image
not
available

XXV

Gratiani

Est Bibliothecæ Abbatiæ
Florentinæ ex dono
P. D. Jo: Bapt. Rota
Veneti.

11. 1. 143

11. L. 1. 143

Digitized by Google

Digitized by Google

JOANNIS GRATIANI

IN GYMNASIO PATAVINO PHILOSOPHI P.

HISTORIARUM VENETARUM LIBRI XXXII

QUORUM XXIV PRIORES NUNC PRODEUNT

TOMUS SECUNDUS.



PATAVII *Ex Typographia Seminarii* MDCCXXVIII.

Apud Joannem Manfrè.

SUPERIORUM PERMISSU & PRIVILEGIO.

FLORENTINAE · BIBLIOT · PUB ·

Digitized by Google

Digitized by Google



HISTORIARUM VENETARUM

LIBER DECIMUSTERTIUS.

1656.

Car. Contarenus Princeps moritur. *Sufficitur Franc. Cornelius:* *inde Bertuccius Valerius.*

PRincipio venientis anni decedit Carolus Contarenus Princeps, cum vix annum regnaſſet. Suffectus Franciſcus Cornelius; clarus & virtute ſua, & memoria Joannis patris, qui triginta ante annis dignitatem eandem obtinuerat. Hoc viginti poſt inde diebus mortuo: Princeps deligitur Bertuccius Valerius; vetus ſenator, idemque nobilis in primis vel multitudine munerum, quæ in urbe & extra urbem obierat, vel quavis commendatione humanitatis, præcellentiſque ad omnia ingenii. Interim navibus aliquot cum pecunia & ſupplemento ſolverat Venetiis Laurentius Marcellus, quem in Foſcareni demortui locum imperatorem crearant; ingentis animi virum, expertum bello, & illuſtrem factis. Veris medio Candiam cum perveniſſet; luſtratis ibi copiis, maturavit Helleſpontum petere, factu-

Laurentius Marcellus, novus imperator Helleſpontum petit.

1656\. rus inſignem annum deleta claſſe Turcarum, & morte ſua. Claſſis ei erat quinque & viginti maximæ formæ navium, triremium totidem, & ſeptem quinqueremium. Adjecerant Melitenſes ſocii triremes ſeptem: quibus viribus fretum una modo res ſolicitum habebat, ne hoſtis ante ſuum adventum occuparet egredi in Ægæum. At tardius hoc anno moverunt Turcæ. Moræ fuit ſeditio Conſtantinopoli exorta, quæ ſine procerum multorum cæde comprimi nequiit. Vulgo militibus in urbe optatus acciderat prioris anni motus in Minore Aſia. Infenſi nanque publica adminiſtrantibus, ſatis crediderant adeſſe finem inviſi dominatus. Decepti in expectatione, ex eo tempore occulte agitare inter ſe conſilia non deſtiterant tollendi, quos præcipue auctores calamitatum putabant. Demum ſic rem aggreſſi ſunt, nullum ut arte eludendi relinquerent locum. Sumptis ex improviſo armis, undique regiis ædibus circumfunduntur. Tum vociferari pro ſe quiſque atque obſtrepere, liberandum tandem Imperium ab indignitate ac ſcelere eſſe: poſcereque facultatem colloquendi coram cum ipſo rege. Triginta millium numerum ſuperabant, permiſti equites peditesſque; animos, quamvis inter ſe ſuſpectos & diffidentes, jungente odio præſentis ſtatus. Poſteaquam miſſi ad iram leniendam Baſſæ duo præcipui honore, iidemque ætate venerabiles, adeo nihil profecerant, ut tantum non impetus in eos fieret; tumultus autem interea creſcebat concitata turba: coacta eſt regina copiam illis regis facere. Revulſis clathris, ſectoque utrinque pariete, diduci voluerunt feneſtram; ex qua ita audiret, ut certo ſcirent adſtare neminem, ab quo reſpondenda exciperet. Ibi fidenter omnium nomine Achomates præfectus Janiſſarorum: *qui corporibus & ſanguine ſuo Imperium antea defendiſſent contra vim externorum, iiſdem tunc deliberatum eſſe ab inteſtino hoſte, unde pernicies proxime immineat, ſcelerata cupiditate miniſtrorum, vindicare. Aſtu ac fraude circumventum eum prohiberi, ne regno conſuleret:*

Seditio Cõſtãtinopoli.

Seditioſi colloquium depoſcunt cum rege.

Querela & poſtulata eorum.

ret: de induſtria tegi res adverſas, efficique ne juſtæ querelæ populorum ad ipſum perveniant: obtrudi interim ſpem inanem potiundæ Candiæ, circa quam undecimum jam annum ſummo cum dedecore hæreat bellum. Hærere vero, quia in nulla publica cura, privatam quiſque utilitatem impotenter ſequatur: graſſari improbos quotidie licentius avaritia & crudelitate; quo autem nihil ſit indignius, peragi pleraque arbitrio fœminarum & ſpadonum. Æquum profecto eſſe expeti pœnas, quo tandem aliquando malorum finis fiat: poſtulare proinde, ut ad necem dederet matrem ſuam, Viſſirium primum, antiſtitem ſacrorum, atque alios ad quadraginta, quorum ſcripta ordine nomina acciperet. 1656.

Rex pene puer, nova ei re, ſeditionis procella, commotus magnopere eſt. Flens præ pavore, ut poterat, collaudat fidem; promittitque habituros quæ peterent: tantum pro matre deprecatus aliquandiu cum eſſet, demum impetravit. Sine mora, Eunuchum unum, mox alterum agi præcipitem e feneſtris jubet; quos perciti furore ac rabie laniaverunt. Continuo conquiſiti alii per *Gynæceum*, perque loca cuncta urbis, per domos etiam legatorum regiorum, quo ſe nonnulli abdiderant. Trucidati omnes, raptataque cadavera per vias; unius præſertim, quem peſſime oderant, quod fama erat, flagitioſum ſupra cæteros conſuetudinem habere cum matre ipſa regis. Dies aliquot tenuit tumultus; quo tempore clientes interemptorum necantur complures, ut quemque fors obtulerat furentibus. Ubi mitigata paulum eſt ira; regina autem, & principes alii, qui periculum evaſerant, receperunt ſe ex timore: deligi cœpti, qui ſuccederent in locum occiſorum. Conſilia tamen haudquaquam facile expediebantur, ut in cura ne, ſi intra partium ſuarum homines conſtitiſſent, darent multitudini anſam inſtaurandi motus. Eo præſides ſacrorum deinceps tres creati intra dies paucos, amotique. Quæſtorem, vixdum magiſtratu inito, laqueo interimunt. Viſſirium dici initio placuerat Cuſſeimum; neque id cauſa honoris, aut opinione virtutis; ſed ut ſu-

Annuit rex.

Cædes multorum.

1656. ſuſpectum ob potentiam, jamque vulgo ardentem invidia, quod conſulto trahere crederetur bellum, ab exercitu avocarent, inſidiiſque exceptum interficerent. Deinde ſententia mutata, Zurnaſſanes eligitur: tum, hujus cum pœniteret, ſurrogatur Sciauſius. Sed is quoque ambiguæ viſus fidei, paulo poſt ſublatus eſt veneno; ſuffectuſque Mahumetes Baſſa Damaſci. Interea per legatos, Juſuphum primo, inde Mahumetem alium, ſumma res adminiſtrabatur. Minus hos verebantur milites, quod infirmo uterque animo eſſet, nec opibus multum valeret. Quapropter, ut in nulla militari diſciplina, turbæ ſubinde exoriebantur; quæ ne denuo erumperent in ſeditionem, periculum erat. Depulſus poſtremo reginæ arte is metus eſt, inducenda inter equites peditesque diſcordia: ſic enim inter ordinem utrumque optimam condicionem ſuam fecit & ſuorum, parato ſemper altero protegere ab alterius injuria. Haſſanem quoque, principeſque alios conjurationis, inter factionum certamina occidendos curavit. Sub idem tempus renata ſeditio in Aſia per milites claſſem conſcenſuros, haud magno conatu comprimitur. Tum verſa cogitatio omnis in bellum apparandum; præpoſito jam navalibus copiis Sinano, maritimæ artis perito, ut qui inter Turcas maxime eſſet. Uſus hic celeritate, exitu ipſo veris claſſem explerat undetriginta navium celſiorum, ſexaginta triremium, quinqueremium novem. Pro certo habebatur, his viribus ſuperari utique Venetum clauſtra Helleſponti obſidentem poſſe. Igitur juſſus ab rege ſtatim proficiſci, Abydum veniens; id primum eſt aggreſſus, ut excedere freto hoſtes ita cogeret, ut rem tamen non daret in diſcrimen navalis pugnæ. Diſpoſitis tormentis littore ultimo, atque emiſſis inde pilis ſtantem in anchoris claſſem inceſſebat. Ubi nihilominus locum obtinebant Veneti: comparat omnia ad prœlium, vi ſibi per medios eos viam facturus. Hora ferme diei quarta, is dies fuit a. d. VI. Kal. Quinct. ſeptentrione ſecundo ſolvit.

Viſſirius alius atque alius ſublegitur.

Tumultus crebri.

Quos demū arte ſedat regina.

Sinanus præficitur claſſi:

qui Abydū venit.

Deſcendit ad pugnā.

vit. Navibus majoris formæ objectis a fronte, roſtratas 1656. recipit in aciem poſtremam. In ſtatione erat Marcellus ad promontorium, quod infra Abydum ab Aſiæ littore procurrit. Marcum Bembum præfectum navium celſiorum læva parte locarat: dextra conſtiterat ipſe claſſe triremium: medium tenebat quinqueremibus Joſephus Maurocenus. Ut venientes in ſe Turcas procul conſpicatus eſt; Bembo præmonito quid fieri vellet, in fretum altum illico triremes expellit. Explicata claſſe, lævum cornu Antonio Barbaro, dextrum Petro Contareno regendum dat; mediam ipſe aciem tuebatur. Modico ſpatio præcedebant triremes Melitenſium ſociorum: agmen claudebant quinqueremes. Bembus, propinquis *Prœlium committitur.* jam hoſtibus, ita ut fuerat imperatum, anchoralibus inciſis, undique ad excipiendos procedit. Paulo poſt triremes quoque concurrerunt. Ingens utrinque ardor erat pugnantium; æquabatque certamen ventus, qui Turcas navium robore & arte gubernatorum inferiores adjuvaret. *Sinanus*, ubi ſuſtinere vidit Venetos impetum primum, in quo plurimum ſpei ad perrumpendum poſuerat; vereri cœpit ne, ſi diu traheretur dimicatio, ad extremum non ſufficerent ſui. Receptum igitur in tutum, dum integræ eſſent vires, ſpectans, retro inhiberi jubet triremes. Obſtitit Lazarus Mocenicus, qui, tradita Bembo navium graviorum præfectura, voluntarius miles navem unam regebat. Etenim obliqua transferendo vela; ordines navium Turcicarum intervectus, ciebat jam ab tergo pugnam: quod turbavit conſilium Sinani; ut ſine magno triremium damno prætergredi ſe celſam navim non poſſe ratus, in aciem, unde paulum exceſſerat, rediret. Duas horas ambigua hæſit victoria. Jamque medium erat diei, cum verſus in Favonium ventus rem inclinavit. Inſtantes nanque tum maxime hoſtes non ferens Turca, haud dubie capeſſit fugam. Abydum curſum intenderat, ut ſe præſidio arcis tutaretur. Poſtquam ſequentes certatim Veneti urgebant ab tergo;

fle-

Digitized by Google

1656. flectit in ſinum , quem aliquo infra arcem intervallo Aſia terra recurvo anfractu efficit : ſatis fidens , optimum *Sinanus ſpectat receptum.* id ſibi perfugium fore ; quod utrinque ex promontoriis , milite ac tormentis antea inſtructis , facile aditu arceri illi videbantur poſſe . Veruntamen nihil propterea retar- *Inſtat Marcellus.* datus Marcellus , qui habiturum ſe Turcas in poteſtate non dubitaret , primam modo procellam jaculantium e terra ſuſtinuiſſet ; princeps ipſe audacter perſequitur intra ſinum . Tum vero concidit animo Sinanus . Parantem dextra evadere , nam læva invehebantur hoſtes , prohibuit Mocenici navis , quæ illuc æſtu illata , ſederat in vado . Itaque poſt imperatorem Barbaro , mox præfectis aliis , qua proximum cuique , per media tela globoſque ſinum ſubeuntibus : ſævum , quia in loco anguſto , ac permiſtis invicem ſine ordine navibus , *Pugna recrudeſcit.* accenſum prœlium eſt . Uſum oculorum principio intermicantibus flammis , ater e tormentario pulvere fumus abſtulerat . Ut , diſcuſſa caligine , rediit lux ; cominus multiplici genere telorum , haſtilibuſque & gladiis paſſim pugnabatur . Hinc ſpes , hinc deſperatio irritabant : Venetis , ſi impetum non remitterent , deleturos ſe claſſem hoſtium univerſam cernentibus ; Turca , clauſo effugio omni , ultima quæque experiente . Ubique tamen ſuperabat Venetus : qui ut navem indeptus quamque eſſet , non prius dimittebat , quam inſiliens caperet , mergeretve , aut incenderet . Inſignis ardore Marcellus , in navem maximæ formæ imperatoria invectus trireme , magna cum cæde reſiſtentium expugnat . Inde aliam adortus , aberat prope ut eam quoque redigeret in poteſtatem . Sed medio in certamine , miſſus balliſta gra- *Marcellus interficitur.* viore ferreus globus , Nicolao Medio , & tribus aliis qui juxta erant , ſtratis , latus illi diſcerpſit , ut viſceribus diffuſis ſtatim expiraret . Morte imperatoris impediri potuit victoria ; ni Joannes Marcellus legatus ejus , obtegens corpus , feciſſet ne ſenſus occiſi perveniret ad mi- *Vincunt Veneti.* lites . Conatu igitur nunquam intermiſſo , uſque in ſe-

rum

rum diei tenuit dimicatio: quo tempore Turcæ, nulla reliqua jam ſpe, ex navibus quæ ſupererant, plerique ſe præcipitaverunt in mare, ſi nando evadere in littus poſſent; Sinanus vero paucis triremibus quam maxime contento remigio ægre elabitur, a Mocenico, cum ſinu excedens navem ejus præterveheretur, male mulctatus. Quatuordecim omnino fuerunt triremes: cæteræ claſſis totius jacturam fecit. Multæ naves abſumptæ flammis aut depreſſæ: haud paucæ immiſſæ ab ſuis in terram confractæ ſunt: triremes tredecim, ſex naves celſiores, & quinque quinqueremes captæ. Supra decem millia Turcarum interfecti, aut dum hoſtem incendiumve fugiunt, hauſti mari. Chriſtianis captivis ad millia quinque detractæ compedes. Ab Venetis deſiderati aut fauciati ad ſeptingentos; in his Mocenicus, qui in ore ictus oculum ex vulnere amiſit: naves duæ majores, Jacobi Quirini & Fauſtini Ripæ, conflagrarunt in pugna, ut tamen qui vehebantur, omnes ſervarentur. Navem quoque Mocenici ejuſdem, alte hærentem vado, fruſtra conati poſtero die abſtrahere, ſpoliatam armamentis concremarunt. Vis ingens tormentorum, nauticique inſtrumenti ex divulſis Turcarum navibus ablata eſt: mox injectis ignibus ex combuſtæ. Victoria admodum memorabilis fuit; ac neſcio, dempto caſu imperatoris, an clarior cunctis, quas Veneti claſſibus ſuis de Turcis antea reportarant. Dies aliquot reficiendo militi ac remigi tribuit Baduarius; ad quem, mortuo Marcello, imperium pertinebat. Interea prætoria Rhodiorum cum militaribus ſignis ſpoliiſque aliis hoſtium data Mocenico; qui victoriæ nuncius Venetias veniens, gaudio implevit Civitatem. Grates illico a patribus Deo actæ: factumque ſ.c. ut quotannis Princeps, comitante Senatu, templum adiret D. D. Joannis & Pauli, quibus ſacra die victi hoſtes erant. Funus inde magnificum ſumptu publico concelebratum Marcello: proſecutique laudibus debitis mortem tanti viri &

1656.

Sinanus elabitur cũ 14 triremibus.

Claſſem cæteram amittit.

Mocenicus vulneratus in oculo.

Lætitia ingens Venetiis.

Funus fit Marcello.

Digitized by Google

1656. ducis ordines omnes. Hieronymus frater ejus ornatus titulo equeſtri: Bernardus frater alter, filiique hujus honore aucti. Tum duces ſingulos, quorum in pugna enituerat virtus, pro merito quemque præmiis afficiunt; Principem Parmenſem præſertim, & Borrum, quos Candia ſolvens Marcellus in claſſem acceperat.

Præmia decernuntur conſanguineis ejus, & ducibus aliis.

Mocenicus autem primo in ordinem equitum relatus a Senatu eſt; mox in comitiis majoribus, habitus ab Civitate, quamvis ætate nondum, virtute tamen & conſilio ſummæ adminiſtrationi par, imperator dicitur. Hæc Venetiis.

Mocenicus eques creatur, inde ſufficitur imperator.

Contra nunciis amiſſæ claſſis Conſtantinopolin perlatis, tantus inceſſit pavor tantaque trepidatio, quanta ſi urbem hoſtes obſiderent. Advocato ſtatim concilio, quidam magnopere regi ſuadere, ſe ut protinus reciperet Hadrianopolin: neque enim dubitabant, feroces Venetos ab victoria, mox venturos ad regiam oppugnandam.

Pavor Turcarum.

Aliis nequaquam videbatur inſtare periculum iſtiuſmodi: *ut nanque hoc propoſitum illis eſſet; tamen non prius claſſem inducturos in Propontidem, quam arcibus potirentur, quæ Helleſponti clauſtra frænarent: tempore vero ad id opus fore: nam & loco opportuno ſitas, & munimento validas haud parvo labore expugnari poſſe. Interim nihil minus committendum, quam ut, abſcedente rege, cauſa præberetur motus alicujus, qui tum denique Venetos accenderet ad audendum.* Curandum potius cenſebant, *ut ſimul tumultus in urbe tolleretur; ſimul, qua opus eſſet, inſtrueretur defenſio, ne quid uſpiam immunitum hoſtis inveniret.* Viſi hi rectius monere. Ergo per idoneos homines, elevando verbis cladem, oſtentandoque fiduciam virium, ſedati paulum compoſitique multitudinis animi.

De defenſione conſultant.

Decem millia militum ad Helleſpontum e veſtigio miſſa: datumque negotium navalis præfecto, ut ſexdecim triremes jam paratas extemplo deduceret ornaretque. Uno tempore præſidia armatorum ac tormenta per muros urbis, aliaque, in quibus ſtationes & vigilias eſſe placuerat, loca diſponebantur. Periculum non evaſiſſet Ballarinus, ab irato po-

Helleſpontum muniunt, urbemque.

pulo

Digitized by Google

pulo quæſitus ad cædem tanquam explorator, niſi in tempore ſe occultaſſet. Inter hæc ab claſſis Venetæ præfectis alia geſta erant, alia parabantur. In conventu militari deliberantibus quid aggrederentur, variarant aliquandiu ſententiæ. Fuere qui putarent tentandam Abydum. Cydonem alii malebant tranſmitti, relicta parte claſſis, quæ freti fauces teneret. Ne facile conveniret, æmulatio faciebat inter duces. Poſtremo pluribus optimum viſum, Tenedum adoriri; quæ adempta Turcis, ſtatio opportuna futura eſſet Venetæ claſſi, unde uſque immineret Helleſponto. Diſtat inſula ab anguſtiis haud plus octodecim millia paſſuum, contra Sigæum promontorium Troadis, frequenter habitata, ferax frugum, maxime vino celebris. Arcem habet quadrata forma: vicuſque adjacet, qui regione altera pertingit ad mare. Septimo igitur poſt die quam fuerat decertatum, deſtinatis ad fauces obſidendas ſex triremibus, quinqueremibus duabus, & ſex navibus majoribus; Tenedum petunt, *ſine auxiliis Melitenſium* ſociorum: qui cauſantes non licere ſibi, niſi ſummi imperatoris vexillum ſequi, abierant cum parte navium captarum cæteræque prædæ. Triduum vento prohibiti, quarto tandem appellentes die, militem exponunt; nec parvo certamine Turcas, qui ex arce eruperant, compellunt intra muros. Ibi Borro pectus ictum eſt glande plumbea. Levius nihilominus fuit vulnus, quam ut operam remitteret: ergo oppugnationem extemplo inſtruit. Nihil terreni aggeris introrſus firmabat murum; eo citius aliquid ejus dejectum eſt. Longe tamen plus intulerunt damni conjectæ intro incendiariæ ollæ. Harum unius caſu conflagravit tormentarii pulveris multum: quæ res ſpe celerius oppugnationi finem fecit. Nam conſternati milites atque incolæ, qui reſiſtebant diem jam quintum, precibus primo, mox minis Baſſam induxerunt, arcem ſine mora ut dederet. Vita & libertas cum magna parte rerum ſuarum conceſſa petentibus. Quingenti milites

1656.

Diſſident ſententiis inter ſe Veneti.

Tenedum aggredi ſtatuunt.

Exſcendentes, arcem oppugnant.

Arx deditur.

1656. lites exceſſere, ac Turcæ alii paulo plus trecenti: iique, ut convenerat, tralati in continentem. Ita amiſſis ſuorum vix centum, inter quos Bernio tribuno, potiti Tenedo Veneti reficiunt cum cura muros, foſſaque & vallo permuniunt. Inde præſidio impoſito, juſſiſque præeſſe Joanne Contareno & Hieronymo Lauredano; rurſus conſultare, quo verterent bellum. Poſtquam non ſatis eſſe videbatur virium, quibus Lesbum Chiumve, quo ſeries invitabat rerum, in poteſtatem redigerent; placuit Lemnum oppugnari. Sufficere ad id viſæ quatuordecim triremes, quinque quinqueremes, & naves majores decem. Quare cætera claſſe ad Tenedum relicta, Lemnum trajiciunt. Inter Athon montem Macedoniæ, & Cherſoneſum Thraciæ poſita eſt inſula portubus frequens, fertili ſolo, inſigniſque Lemnia terra, qua venenis reſiſtitur. Excelſo ad conſpectum tumulo inſidet oppidum, munitum ſitu naturali magis, quam arte: ſubjectumque vicum habet, quem, paucis vim arcentibus, Veneti ſtatim occuparunt. Continuo tormentis verberari oppidum ipſum cœptum. Primis diebus propter mœnium firmitatem vix quidquam proficiebat Borrus. Poſtea ab parte alia admoventi machinas brevi ſucceſſit adeo res, ut ſatis jam patente intervallo decuſſi muri, aperta vi armiſque perrumpi poſſet. Sed præverterunt Turcæ, miſſis caduceatoribus, qui agerent de condicionibus deditionis. Eaſdem impetravere, quas qui Tenedum tradiderant. Ne tamen conſtaret fides, ſtetit per Venetos milites: qui avidi prædæ, indignanteſque eam quoque ſibi præripi nimia humanitate in barbaros; priuſquam hi conſcenderent naves, undique ad ſpoliandos cooriuntur. Conati centuriones tribunique ſcelus prohibere. Quando avaritia plus poterat quam imperium, jamque aperte tumultuabantur, non auſi ultra obſiſtere: itaque nequicquam implorantes fidem Turcæ, exuti ſunt rebus ſuis. In animo erat tranſmittere illinc in proximam inſulam Samothraciam. Verum fama

Lemnum tranſmittunt.

Situs oppidi:

quod oppugnatur.

Deditur.

Milites Veneti ſpoliāt Turcas contra pacta.

ma

1656.

Deditio Samothraciæ.

ma captæ Lemni territi inſulani, priuſquam oppugnarentur, ultro in jus ditionemque tranſierunt, per legatos tributum ſpondentes annuum. Delecti milites quingenti ad Lemni cuſtodiam: muriſque, qua ruerant, reſtitutis, dati qui præſiderent, Paulus Bernardus & Fauſtinus Ripa. Tum incipiente jam autumno, reditum eſt Candiam in hyberna; quo propediem venturum Mocenicum, accipiunt. Huic obviam profectum Borrum caſus inopinatus extinxit. Diſcedens cauſam præferebat, habere ſe, quæ novo imperatori aperiret momenti permagni. Ni pluribus temere creditur, abeſſe volebat Candia uſque in adventum ejus, propter offenſionem inter ipſum exortam & ducem alium inferiore ordine. Navibus aliquot trajicit Zacynthum: inde autem navi tantum una ſolvens, ut Corcyram peteret, repente a quatuor navibus Afris eſt circumventus. Impavide ſuſtentata pugna, navem quidem ſuam ſervavit: cæterum vulneratus in femore paulo poſt Corcyræ deceſſit. Grave id accidit Venetis; viro forti amiſſo, & oppido claro laude bellicæ rei. Paternæ virtutis præmia tulit filius, cui quamvis nondum puberi partem magnam annui ſtipendii, quod patris fuerat, decrevit Senatus. Poſt aliquanto accedit jactura alia. Princeps Horatius Farneſius, dum per hyemem Venetias contendit, morbo ſublatus eſt. Præſtanti juveni indole militari claritas generis minimum jam momentum ad gloriam erat. Mœrori propterea magno fuit jactura. Suffecto in ejus locum Principe Alexandro fratre; mortui memoriam honeſtarunt patres monumento nobili ad Ædem Cruciferorum. Quibus diebus Tenedus oppugnabatur; ſexdecim triremibus Abydum venerat Saida Mahumetes, novus claſſis præfectus. Egredi ipſe per inſeſſas ab hoſte fauces non auſus; ubi deinde audiit Lemnum obſideri, nocte triremes quinque mittit in auxilium: non in tempore tamen, deditione a præſidio maturata. Conſtantinopoli ſuper recentem dolorem ob deletam claſſem, fama captarum

Claſſis redit Candiam.

Borrũ trajiciẽtem Corcyram adoriuntur Afri.

Servat navim; at, vulnere accepto, moritur.

Morbo interit Princeps Horatius Farneſius.

1656\. ptarum ab hoſte inſularum ſedatum paulo ante tumultum denuo excitavit. Vulgo tanquam ſiniſtrum omen fortunam Mahumetis regis horrere cœperant. Et a præfecto Janiſſarorum, ac ſacrorum antiſtite agitabatur clandeſtino de Suleimanno fratre ejus in regnum ſurrogando. Sed reſcitum illico ab rege: itaque per ſpeciem rerum aliarum ad ſe vocatum utrumque obtruncari jubet. Liber periculo præſenti, huc intendit ſtudium omne, ut ſpem de ſe ingentem moveret, quo tutus etiam in poſterum eſſet. Centum triremium carinæ ut ſtatim ponerentur, imperat; utque militum quamplurimum in Aſia atque Europa conſcriberetur, quorum partem proximo anno mitteret in Cretam, partem in Illyricum, ad Venetos ancipiti bello urgendos: quo eodem conſilio placuit manum validam veteranorum tranſire extemplo in Epirum. Mandat ſimul, Tartarorum regem vere primo cum decem ne minus millibus ſuorum adeſſe, quos in Carnos induceret; petitque a Cæſare ut iter daret per fines ſuos: quod nihilominus utile modo fuit ad conciliandam opinionem non ceſſantis regis. Nam & Cæſar ita tergiverſabatur, ut appareret negaturum: & rex Tartarorum excuſabat, juſſum ſe opitulari Polonis vires deficere ad alia bella. Ex omnibus autem nihil utique ſalubrius inſtituit, quam quod Viſſirium æquantem animo rerum molem creavit. Quo ferme tempore dimicatum ad Helleſpontum eſt, venerat Conſtantinopolin Mahumetes princeps Viſſiriorum. Ac eſſe mox cœperat fidei dubiæ: ferebantque, illectum Ballarini donis negligentius agere; atque inde Tenedum & Lemnum amiſſas. Quare dejectus eſt dignitate; quæſtioneſque de eo, ac familiaribus habitæ per tormenta. Nullius tamen culpæ conſcius repertus, in Pannoniam deſtinatur, Caniſiæ urbi præfuturus. Lectus, qui ſuccederet, Mahumetes Cuperlius; ſumpto cognomine ab Epiri loco ignobili, unde ortus erat. Homo magni conſilii texerat ad eam diem de induſtria ingenium;

Tumultus Conſtantinopoli, & periculum regis:

qui claſſem inſtruit, & militem comparat:

Principem Viſſiriorum amovet.

Sufficit Mahumetē Cuperliū:

nium; ſub rege puero veritus multorum exemplo, ne proditum ſibi exitio foret. Tunc mentem latentem aperiens, cauſis motuum internorum cito ſublatis, & nutantem fortunam confirmavit regis, & uſque ad mortem obtinuit ipſe locum, deinceps continuatum filio Achomati, qui bellum Creticum tredecim poſt annis ductu ſuo confecit. Nihil eſt prius aggreſſus, quam Ballarinum ſubmoveret urbe, Hadrianopolin juſſum concedere: id autem, ne qua forte calumnia ab invidis peteretur; quod Viſſirius ante ſe non effugiſſet. Inviti audivere patres de Ballarino. Crediderant, hoſtes victos mari pacem non recuſaturos. Quapropter ad eum ſcripſerant, exploraret, reddituri ne eſſent Cydonem & Rhitymnam, ut Tenedum Lemnumque reciperent. Sed jam ſatis conſtabat, optare bellum Mahumetem: quod quidem ſedulitate ſumma apparavit, & ita geſſit ſequenti anno, ut incœpti nunquam minus Turcas pœniteret. Hoc anno vexavit Italiam peſtilentia. Neapoli primum fœda eſſe clades; ut pars maxima incolarum exiguo tempore abſumeretur. Romam deinde pervadens lues, aliquandiu urbem, & regionem late circa, inter Apenninum & mare, vaſtavit: qua re eſt factum, ne Pontifex triremibus ſuis juvaret claſſem Venetam. Fervebat interim bellum in Inſubribus; ubi Dux Mutinenſis, Gallici exercitus imperator, Valentiam oppugnabat. Prohibere haud potuerat, numero copiarum longe impar, Comes de Fuenſeldagna, præſes provinciæ, Cardinali Triultio paulo ante mortuo ſuffectus. Eo rerum ſtatu movere arma deliberarat Cæſar. Cum preces Hiſpaniæ regis ſtimulabant, tum periculum proprium ſuum, ob ſocietatem cum Svecorum rege renovatam ab Gallis; qui tunc maxime ſolicitarent Civitates pleraſque Germaniæ. Cavendum erat ab Svecis: ſimul videri volebat non violare pacem, quam paucis ante annis cum Gallis Oſnabrugæ pepigiſſet. Quo Svecos magis occuparet bello Polonico, ad regnum recuperandum adju-

1656.

a quo Ballarinus ablegatur Hadrianopolin.

Peſtilentia in Italia.

Mutinenſis oppugnat Valentiam.

Cæſar adjuvat Caſimirum regem.

1656. adjuvat Caſimirum, cui in multis hoc anno affuit fortuna; ut poſtremo Vvarſoviam reciperet.

Auxilia mittit Hiſpanis in Belgium, & in Italiam.

Auxilium autem decernit Hiſpaniæ regi, quatuor millia armatorum in Belgium, duodecim millia in Italiam; id ſe profeſſus facere pace incolumi, quæ ſibi cum Gallis eſſet: non enim pugnaturum militem ſuum in Belgio, niſi cum Britannis; in Italia vero peti Mutinenſem unum, auſum, quamvis fiduciarium Imperii Germanici, invadere Mediolanenſem provinciam, quæ ad idem Imperium pertineret. Ut fieret id credibilius, agitari cœptum in concilio de Mutinenſi proſcribendo ex lege. Præter ſpem tamen, deſtinatæ in Italiam copiæ nihil Hiſpanis profuere.

Seditio militum Germanorum in Rhætia.

In Rhætiæ finibus vetarant duces, agmen mulierum, & inutilem turbam cæteram, ſequi exercitum. Orta inde ſeditio eſt: fugatiſque ducibus, delatum militari conſpiratione ad alios imperium. Ac quamvis poſt paulo reſediſſent iræ, dataque eſſet fides impune laturos; perſuaderi niſi paucis nequiit, ut in Italiam deſcenderent: qui iidem, amiſſa jam Valentia, Mediolanum pervenerunt.

Valentia capitur.

Chriſtina Romam concedit.

Vertente anno regina Svecorum Chriſtina, rejecta Bruxellis hæreſi, Romam tranſiit, ut in ſede Orthodoxæ religionis ipſa domicilium ſibi perpetuum collocaret. Lætiſſimum fuit Pontifici. Nulli ab eo prætermiſſi honores erga maximos quoſque promeritam; quæ a prima infantia imbuta erroribus, raro exemplo virtutis, florentibus annis, regnum potentia nobile, & inclytum gloria, uno veritatis Catholicæ amore, poſthabuiſſet vitæ privatæ.

1657. Anno qui inſequitur, vario eventu a Venetis geſtæ res. Quo gravior accidebat fama bellici Turcarum apparatus, hoc intentius Senatus ſupplere augereque copias ſuas.

Rurſus Veneti ſubſidia petunt a Pontifice:

Interim externæ opis non effugiebat cura. Ab Alexandro Pontifice in primis conatus denuo eſt per legatum auxilia impetrare. Sed qui nollet impendere de ſuo, præſentem inopiam & magnitudinem æris alieni, quod Pontifices ante feciſſent, commemorabat. Deinde, quia pudor erat, nihil ab ſe

au-

Digitized by Google

auferre ſuſtinentes tantam molem belli, ſtatuit opitulari de bonis Sodalitatum duarum, Cruciferorum, & S. Spiritus. Cruciferi, vetuſtæ originis, paſſim in Italia Cœnobia obtinebant ampla & opima: alteri in terris Venetis ſolum, nec ibi niſi tria, at opulenta eadem, in tutela Collegii Xvirum. Viſum tollere Sodalitia hæc; Venetis autem addicere in uſum belli pecuniam ex divenditis bonis, quæ intra fines eorum eſſent. Quanquam qui legibus ſolvebantur Ordinum illorum, niſi mallent ad religioſos Ordines alios tranſire, futuri erant liberi ſacerdotes, ſuis Epiſcopis Clericorum more ſuppoſiti; annua penſione, qua ſe honeſte alerent, ex ærario conſtituta, quandiu viverent: attamen acerbe ferebant, ſedibus ſuis avelli ſe, & exturbari poſſeſſionibus antiquis, cogique repente in aliam vitæ formam migrare. Querelæ proinde exaudiebantur; nec deerant qui criminarentur: *non belli ſubſidia, ſed utilitatem quæri Curiæ Romanæ: nam quantulam partem perventuram ad Venetos? Romanos maximam tracturos ad ſe ſe, reditibus Cœnobiorum omnium, quæ plurima Cruciferorum extra terras Venetas eſſent, translatis Beneficiorum nomine ad alios atque alios homines, quorum commoda augere Pontifici placuiſſet.* Nihil hæc moverunt animum Alexandri; quod otio & mollitia vitæ jam plus nimio deflectentes ab antiquo inſtituto & diſciplina Ordinum ſuorum, viderentur commiſiſſe ejuſmodi pœna luenda. Convenit itaque cum Senatu, ut bona eorum venirent, ſimul etiam ut Cœnobia parva alia publicarentur, quod antea meditanti Innocentio obſtiterant patres; intactis iis tamen, quæ manere, ex uſu populorum eſſet. Delecti Senatores tres, qui una cum legato Pontificis huic haſtæ præſiderent: inde autem decies ferme centena millia nummum argenteorum redacta in publicum. Per idem tempus miſſus eſt ab Senatu in Britanniam legatus extra ordinem Joannes Sagredus eques ad tyrannum Cromuellum; cui haud ſecus ac regi legitimo plerique jam Principes Europæ honorem eundem habuerant. Spes erat ali-

1657. *qui auxiliatur de bonis Cruciferorum, & S. Spiritus.*

Queruntur Cœnobita.

At ſodalitas utraque tollitur.

Bona veneunt.

Jo: Sagredus eques legatus ad Cromuellũ.

Digitized by Google

1657. aliquid auxilii ad Turcicum bellum laturum: nam & affluebant opes; & quamvis in ſumma cura partæ per ſcelus potentiæ retinendæ, attamen non prorſus aberat gloriæ ſtudium. Grata Cromuello legatio fuit, perque honorifice Sagredum excepit. Petenti ut adjuvaret Venetos contra Turcas; *ſibi in animo eſſe*, reſpondit, *ſi unquam ante alias, tum maxime perſequi piratas Afros: ſociis his ademptis, quantum deceſſurum eſſet Turcis virium, cernere ſenatum*. Ne apertam opem ſponderet, illud prohibebat, quod nollet per ſe fieri, ut utilitatem non mediocrem ex commercio cum Turcis maritimo Britanni amitterent.

Vimina nihil proficit apud Moſchorum regem:

A Moſchis Vimina, quem priore anno Senatus illuc legaverat, nihil tulit. Regi irato Tartaris, & Turcis concitatoribus Tartarorum, gaudio erant, quæ præterito anno evenerant feliciter Venetis. Adiri ſe tamen impeditum curis Polonici belli periculique, quod a Guſtavo videretur inſtare, ab Vimina non eſt paſſus. Lautia præberi juſſit: proceresque primo aliquot deſtinavit, quibuſcum ageret de rebus, ad quas miſſus eſſet. Deinde, ut eſt natio ſuſpicioſiſſima, nullum certum reſponſum dare prius conſtituit, quam animos regum Europæ exploraret, ſtatumque & vires cognoſceret Venetorum.

qui Cremonodanum mittit Venetias.

Id negotii mandat ſolerti viro Joannovitzio Cremonodano: quem venientem Venetias ſplendide patres accepere; inde large donis cumulatum cum literis ad regem dimiſerunt, quibus literis ad bellum ſuſcipiendum adverſus communes hoſtes Turcas accurate hortabantur. Interea vi ſumma ab imperatore Mocenico gerebatur jam bellum. Candiæ moratus pauliſper, ut luſtraret copias; vixdum tempeſtivo ad navigandum mari profectus Helleſpontum fuerat. Sed præverterant Turcæ, parte claſſis mature evecti freto in Ægæum. Approperari omni ope placuerat Viſſirio novo Mahumeti; qui magnum exercitum terreſtrem & navalem celerrime

Turcæ copias valde augent.

comparарat, clara initia dignitatis ſuæ recuperata Tenedo Lemnoque facturus. Ex Minore Aſia milites, qui novas

novas ibi turbas ſubinde moliebantur, advocarat Conſtantinopolin, ut & ab effuſa licentia formaret eos, & ſeditioſiſſimum quemque ſine tumultu, quod brevi perfecit, tolleret. Tum Pſeudoprophetæ propoſito vexillo, cum ex omni genere hominum multitudo ingens confluxiſſet: ſcriptis qui præcipue apti bello viderentur, ſeptuaginta millium numerum expleverat. Eodem tempore novas naves inſtruendas, veteres in navalibus reficiendas curarat armandaſque: miſerat ſimul alios alio cum pecunia ad conducendas onerarias, atque accerſenda auxilia ſociorum. Et adeo magnitudine apparatus implerat ſpei ſuos, ut regi dubium non eſſet, quin claſſem ipſemet conſcenderet. Avocavit ille nihilominus ab conſilio tali, objiciendo periculum a militibus, ſi quid contigiſſet adverſi; ut qui non ſemel favorem in Suleimannum fratrem ejus indicaſſent; monendoque, utilius in augendas copias impendi pecuniam, quæ erogari, rege proficiſcente ad bellum, in exercitum conſueſſet. Saidam Mahumetem meliorem terra ducem futurum, in Illyricum mittit; claſſi autem præficit Topalium, hominem ingenio paratum ad audendum, prudentemque maris. Hic extremo hyemis, dum claſſis ad Abydum colligitur, juſſus eſt evehi Helleſponto triremibus triginta, ut auxilia contraheret, tentaretque ſi forte ſubito adventu occupare Tenedum poſſet. Vento vehementi, ne teneret inſulam, prohibitus, Chium petit, inde Rhodum. Per eos dies ipſos ad Helleſpontum pervenerat Mocenicus. De egreſſu Topalii edoctus, inſequi ſtatuit, ut, priuſquam augeret vires, ad pugnam cogeret. Satis ad id viſæ undeviginti triremes, & quinqueremes ſex. Ergo cætera claſſe ad obſidendas fauces, Tenedumque tutandam relicta, ſine mora navigat Chium. Hoſte ibi non invento; Samum dirigens curſum, ſimul exiit freto quod Joniam Chiumque interfluit, in magnum numerum incidit navium Ægyptiarum, quæ mercibus refertæ Smyrnam contendebant. Extemplo adortus,

Topalius claſſi præficitur; qui mature egreditur Helleſponto cum parte triremium.

Imperator Mocenicus ad Helleſpontum.

Relicto Bembo ad obſidendas fauces, inde Ægyptiis navibus diſjectis,

1657.

Digitized by Google

1657. ortus, non longo certamine ſeptem capit, unam incendit, duas demergit: reliquæ in portus proximos fuga delatæ ſunt. Samum inde tranſmittens cum accepiſſet, Topalium profectum Rhodum, brevi reverſurum; maturavit occurrere. Sed procul eum Topalius conſpicatus, quanquam triremes inſularum novem ſibi adjecerat; prœlium tamen declinaturus, retro convertit claſſem. Confeſſio timoris magis incitavit Mocenicum. Et triremibus unis, quia quinqueremium erat curſus tardior, perſequi non deſtitit, quoad in ſpe fuit extremi ſaltem agminis carpendi. Poſteaquam aberat non longe, quin Coi portum hoſtes inveherentur, omiſſo incœpto, redit ad quinqueremes: illinc autem revehitur Chium; locum opportunum, ubi repetentibus Helleſpontum in obvio eſſet. Vixdum Phanas acceſſerat, promontorium Chiorum, cum occaſio alia ex inſperato objecta eſt. Velis veniebant quatuordecim naves majores Afræ. Octo præcedebant, Venetam trahentes navim, quam commeatu & militari inſtrumento onuſtam ceperant ad Cytheram inſulam: ſex intervallo aliquo ſequebantur. Quanquam audax videbatur facinus, claſſe modica roſtratarum laceſſere ad pugnam naves præſtantes robore ac mole, armis quoque & milite optime inſtructas: contemnens tamen periculum Mocenicus, directis in frontem triremibus & quinqueremibus, extemplo congreditur. Ac ſub initium pene ipſum Venetam navim paulum ab agmine abjunctam, exiguo conatu, quod pauci cuſtodiebant, recuperavit. Cæterum quandiu eminus tormentis majoribus geſta res, par ferme dimicatio tenebat. Ubi navis una hoſtium pluribus vulnerata ictibus, excedens prœlio, ſex alias, quæ jam appropinquabant, in fugam avertit; auctus animo Venetus imperator, ſigno invadendi dato, ipſe princeps, ſequente Antonii Prioli quinquereme, ad prætoriam ex proximo oppugnandam ſubiit. Alias e veſtigio adoriuntur ſingulæ quinqueremes, trireme alibi una, alibi pluribus adju-

occurrit Topalio; qui in Coi portũ recipit ſe.

Cum Afris navibus cõfligit ad Phanas.

adjuvantibus. Ex celſis navibus ſtrenue reſiſtentes Afri 1657. duas horas anceps fecerunt certamen. Demum primi *Afri vincuntur.* Antonius Barbarus Adriatici ſinus præfectus, & Leonardus Maurus trierarchus, quam indepti erant, navem expugnant. Dum ſuis aliam circumſiſtentibus auxilio Maurus adeſt, proræque hoſtium hæret prora infeſta; puppis triremis ita circumacta vento eſt, ut littus attingeret, ac Turcæ, qui e terra ſpectabant prœlium, in eam inſilirent. Exturbavit tamen Maurus, quamvis in cervice graviter vulneratus. Inde renovato in navem impetu, Afros ſubigit ad deditionem. Paulo poſt ab Ludovico Baſſo navis alia, interfecto navarcho, capitur. Pertinacius defenſa prætoria: nec finis ante pugnandi fuit, quam qui vehebantur, prope omnes caderent. Inter paucos, qui vivi venere in poteſtatem, Mahumetes Belga fuit, ab Chriſtiana religione profugus, claſſis ejus ductor; ſed qui poſtero die interiit ex vulnere. Naves cæteras, cum jam inſcenſuri Veneti eſſent, ab *navibus ſeptem amiſſis.* deſperatione egerunt Afri in littus: exilienteſque partem maximam fuga ſibi conſuluere. Occiſi ea in pugna Venetorum haud plus centum quadraginta tres; ſauciati ſupra quadringentos: in quibus Barbarus, tum Maurus, Auguſtinus Marcellus, Jo. Franciſcus Bollanus, Andreas Baduarius trierarchi. Quatuor navibus potiti ſunt, cæſis qui in iis erant, extra milites nautaſve fere quadringentos captos, & Chriſtianos aliquanto plures exemptos vinculis. Tres in littus compulſas, quia abſtrahi nequibant, detractis armamentis incenderunt. Meritum decus retulit Mocenicus, ſuffectus procurator *Mocenicus creatus proc. Marcius.* Ædis Marciæ in locum Joannis Barbadici, qui ſub ipſum victoriæ nuncium Venetiis obierat. Verum ſenſerat ille gaudii minus, quod naves reliquæ Afrorum aufugerant. In proximos continentis portus receperant ſe ſe, Scalam Novam, & Suazichium appellant. Sed aliquot poſt dies ſpem ſubigendi accendit Vincentius Quirinus, cum majoribus navibus undecim ei adjunctus. Jamque

Scalam

Digitized by Google

1657. Scalam Novam proras direxerat. Ut ſolviſſe inde comperit naves quinque, ut ſe cum Topalio conjungerent, qui tunc circa Chium inſulam vectabatur: mutato conſilio, Suazichium petit. Stare eo in portu Afram unam nunciabatur, & Alexandrinas quatuordecim, multitudinemque minorum navigiorum. Oſtium eſt peranguſtum; imminetque ex propinquo arx valida muris: Turcæ præterea aggeres utrinque excitarant littore extremo, unde ab alto accedentes tormentis procul arcerent. Arte tamen adhibita, minore quam quod inſtare videbatur damno, fauces ſuperavit. Conſtitutis vicino in ſcopulo æneis balliſtis ſexdecim, naves quinque provehi ad oſtium jubet, unoque tempore hinc e navibus, hinc e ſcopulo aggeres diverberari hoſtium: qui diu vim non ſuſtinentes, cuſtodiam deſeruere. Tunc millia duo militum exponit ductu Odeſcalli Polcenici; quo præfecto terreſtrium copiarum, donec mitteretur qui ſuccederet Borro, utebatur. Ipſe tutus ab ictibus ex arce, navibus objectis celſioribus, claſſe triremium ingreditur portum. Paranti adoriri ſtipata in arcto navigia, prœlio ſuperior Polcenicus incruentam victoriam dedit. Cum enim Turcas, qui portis arcis eruperant, quique deſcenderant ex collibus proximis, concurſu pene primo fudiſſet: tantus invaſit terror, ut illico fuga ex navibus in terram fieret. Pavor idem, arcem ut deſererent qui reliqui intus manſerant, effecit. Ita nullo certamine capiuntur naves, occupaturque arx: unde ſuper copiam aliam bellicarum rerum, ablata quinque & viginti tormenta ænea graviora, ſignata ſtemmate Veneto; quæ captivi affirmabant ex Cypro inſula a Turcis tranſvecta. Cæteram prædam militibus benigne donavit imperator: qui continuo digreſſi ad regionem populandam, non parvo numero pecudum atque hominum potiuntur. In animo habebat tranſmittere inde ad tentandam Chium; magna ſpe, oppidum non ſatis munimento firmum haud difficulter ſe expugnaturum: ſi autem ferret opem Topalius,

Suazichiū tranſmittit.

Portum invehitur.

Naves hoſtium capit, arcemque.

lius, eam ſibi opportunitatem confligendi fore. Bembi literæ a propoſito averterunt. *Profectam Conſtantinopoli claſſem Turcarum, Abydum perveniſſe*, aſſerebant: *duas & viginti naves maximæ formæ eſſe, novem quinqueremes, triremes ad quadraginta: plus quinquaginta millia armatorum adduxiſſe Viſſirium ipſum dici, qui crebris præſidiis littus utrumque inſediſſet: contrahi undique oneraria navigia: credere ſe ſe, propediem aliquid illum moturum*. Id quod erat ſuſpicatus Mocenicus, Tenedum peti; ſine mora trajicit Helleſpontum: quo his iiſdem diebus Melitenſium triremes ſex advenerant, Pontificis quatuor. Non facile imperatorem alium reperias, qui æque Turcas contempſerit. Ducibus de ratione gerendi belli in concilio deliberantibus perſuadet, ut ipſi ultro hoſtes nocte adoriantur. Huc autem ſpectabat, ut, devicta illorum claſſe, id quod in anchoris ſine ordine ſtantem ex improviſo invadentibus futurum opinione facilius ſpondebat; naves celſiores admoverent, quaterentque arces imminentes freto, qua anguſtiſſima ejus ſunt; claſſis vero roſtratarum penetraret in Propontidem. Tumultu injecto, cum rex etiam, qui per id tempus Hadrianopolin conceſſerat, Conſtantinopoli abeſſet: haud diffidebat, impreſſione ſubita capi urbem poſſe. Hæc prædeſtinantem morabatur unum, quod ad ſuperandas fauces opus Auſtro erat. Parva interim prœlia aquandi cauſa cum Turcis quotidie ferebantur, proſpera Venetis: niſi quod ſemel territi ſunt numero aliquanto majore hoſtium e collibus propinquis decurrentium; ut, dum trepidi naves repetunt, illi autem inſtant ab tergo, non paucos amitterent ſuorum. Ibi vir ſtrenuus Federicus Maffejus Veronenſis tribunus, reprehenſans fugientes, cæſus eſt; ictuſque plumbea glande Matthæus Cornelius in trireme imperatoria. Aucto præſidio militum ad aquatores tuendos; poſtridie, quieſcentibus Turcis, exſcenſio facta. Quod tamen eſſet aquatio ea anguſtior, viſum imperatori claſſe triremium Imbrum tranſire, modico inde interval-

1657.

Trajicit Helleſpontum.

Conſilium ejus.

Imbrum pe-

1657. tervallo diſtantem inſulam, ad aquæ copiam petendam, quæ claſſi univerſæ in multum tempus ſufficeret; ne inter agenda, quæ parabat, cura hæc moram afferret. Veruntamen pervertit conſilium ejus fortuna. Ortus repente ventus vehemens dies complures ſic ſæviit, ut Imbro regredi ad Helleſpontum non poſſet. Metus ſollicitabat, ne forte Bembi naves propter aquæ inopiam decederent ſtatione. Itaque ſeptimo die miſſus, qui aquam perferret, Antonius Barbarus cum quatuor triremibus. Ac is magno conatu remigum & militum, Maſtuſia promontorio ſuperato, quo intenderat, tandem pervenit. Cæterum ſparſerat tempeſtas claſſem. Bembi modo prætoria, & naves aliæ duæ propter littora Græciæ ſtabant: reliquas impetus maris, ruptis anchoralibus, compulerat ad objectam Aſiæ oram. Occaſionem non prætermiſerunt Turcæ; rati habere ſe victoriam in manibus, ſi, priuſquam rediret Mocenicus, perturbatos hoſtes aggrederentur. Poſtero igitur die, is dies fuit a. d. XVI. Kal. Sext. primo diluculo, lenita paulum venti vis cum eſſet, ſecundo mari delati, ingenti clamore atque ululatu in Venetos invehuntur. Et ſtatim in diſcrimine fuit Bembi prætoria, quam ad anchoras deligatam pene undique circumvenerant: captaque navis foret, ni Bembus, præciſis anchoris, abripi ſe medium in fretum paſſus fuiſſet. Dimicanti cum quatuor navibus & tribus quinqueremibus Turcicis, ſubſidio accurrit Veneta navis una. Avertit hæc in ſe prætoriam barbarorum; a qua parum abſuit quin primo ferme incurſu ſubigeretur, audacter in eam tranſcendentibus armatis. At puppim proramque obtinentes Veneti, indeque acriter repugnantes, partem primo illorum ceciderunt; mox ex ſuperiore loco utrinque impetu facto, reliquos dejecere: poſtremo navem ipſam grandioribus inceſſentes globis ſic perforarunt, ut curſum non tenens, illata littori confringeretur. Jam Venetæ naves cæteræ proceſſerant ad prœlium. Æquabant initio Turcæ

tis aquatum triremibus.

Ibi dum retinetur vento,

classis Turcarum in naves majores invehitur.

Diſcrimen prætoriæ Bembi.

Subvenit navis alia;

a qua navis una Turcica perforatur.

Concurrunt naves cæteræ.

1657.

cæ animis vires ; paſſimque , ut in numero impari , duæ pluresve naves eorum circumſiſtebant ſingulas Venetas . Proxime periculum venere duæ , Angeli Bembi , & Franciſci Baſadonnæ , quarum ſumma tabulata barbari occuparant : Aloyſii itidem Battaleæ quinqueremis ab quinque formæ ejuſdem navibus oppugnabatur ; & jam tranſiliebat in eam Turca . Non defecerunt tamen Bembus , vulneratus licet , & Baſadonna ; qui hortando ſuos , dimicando impigre ipſi , hoſtem denique cum multorum cæde ac vulneribus expulerunt : lato quoque per tempus auxilio ab quinqueremibus duabus , Aloyſii Foſcari , & Hieronymi Prioli , præter ſpem ſervata eſt Battaleæ quinqueremis ; ubi ictus glande plumbea Foſcarus cecidit . Atrox præſertim pugna erat præfecti navium Bembi . Is male mulctatas naves , quibuſcum congreſſus principio fuerat , cum tandem ſubmoviſſet : unam pertinaciter inſecutus egerat in terram ; ubi laxatis compagibus divulſa eſt . Redeunti in prœlium obviam fiunt tres quinqueremes , quæ eminus certando non parum damni intulere ; Bembo ipſi fragmento ferreæ pilæ ſauciato crure . Sed poſtquam ſubeuntes propius , telorum igniumque vi opprimebantur , fugam arripiunt . Perſecutus ille impulit in littus : mox ſuperveniens cum tribus triremibus Antonius Barbarus duas earum incendit , unam remulco abſtraxit . Dum Bembus in confertos hoſtes denuo infertur , haud ſegniter agebant Veneti duces alii . Pro ſe quiſque Turcicas naves non repellere ſolum , ſed etiam , ubi data occaſio eſſet , petere ultro . Ac plerunque ſuperiores diviſis locis tres ſuccenderunt , quatuor depreſſere . Jamque Turcis ubique nulla in ſpe erat certamen . Fugam igitur capeſſentes , enavigant Helleſponto in altum ; inde autem æſtu provehente , fretum Tenedi intrant . Permiſtæ tamen iis Venetæ naves uſque in noctem dimicationem extenderunt . Ibi navem unam demergit Bembus : alia ex pluribus , quæ delatæ in terram fuerant , militibus & nautis , priuſquam eva-

Pugna atrox, variaque.

Aloyſ. Foſcarus interficitur.

Bembus vulneratur.

Inclinat Turcis ad iniqua res.

Naves multas amittunt.

Fuga arrepta, fretum Tenedi petunt.

Sequentes Veneti uſque in noctem pugnant.

Digitized by Google

1657. evaderent, obtruncatis prope omnibus, expugnatur. Haud diſcrepat quin, niſi nox interveniſſet, quamplurimæ capi aut abſumi potuerint. Fragorem tormentorum ex Imbro exaudierat imperator Mocenicus a primo. Abeſſe ſe ferens ægerrime, turbato licet mari & vento reflante, ſolverat. Poſtremo ferme prœlio, ad Helleſponti fauces labore multo remigum militumque pervenit. Forte tunc tres & triginta triremes Turcarum ac quinqueremes duæ, ſtipatis ordinibus, evehi parabant freto. Itaque, ſigno pugnæ propoſito, protinus occurrit. Secutæ prætoriæ Melitenſis & Romana, triremeſque aliæ novem: cæteræ, ut Maſtuſiam prætervehrentur, præ magnitudine fluctuum fruſtra tetenderunt. Nihil minus crediderant Turcæ, quam mari tam aſpero Venetum Imbro moturum. Ut in ſe venientem conſpexere; tantus ingruit terror, ut quamvis longe præſtantes viribus, averſis retro triremibus, quantum quæque remis valuit, fugerent. Inſtanti Mocenico certam victoriam eripuit e manibus tempeſtas. Jam ultimum adeptus agmen, triremem unam ceperat: parvoque conatu claſſem omnem videbatur expugnaturus. Nam prohibente vento ne Abydum præciperent, proximis Aſiæ littoribus trepidi invehebantur; fugaque militum & remigum in terram fiebat: nequicquam objurgante pavorem Viſſirio, jubenteque milites quos circa ſe habebat, turbam fugientium ferro ac vulneribus redigere in triremes. At repente vis ingens vento addita; ut tenere curſum ultra triremes Venetæ non poſſent. Eo Mocenicus, ne inter ſe concurrerent aut littori inferrentur, anchoras jacere eſt coactus. Nocte quæ inſecuta eſt, lenior ventus factus: & triremes reliquæ eodem convenerunt. Editis imperiis, ut diviſis partibus uno tempore ſparſam claſſem poſtero die invaderent, lucem anxii expectabant; ut, quidquid intercederet noctis, hoc omne morari victoriam videretur. Verum antelucanis horis increbreſcens denuo ventus, totum deinde diem ſic tenuit,

Mocenicus labore magno revehitur ad anguſtias Helleſponti.

Detrectantes certamẽ Turcicæ triremes fugiunt.

Per ventũ inſequi nequit Mocenicus.

Ventus idẽ biduũ prohibet ne

tenuit, ut ad anchoram vix conſiſterent, fluctibuſque pene obruerentur. Quapropter in diem ſequentem differtur pugna: qui tamen tranquillam noctem, ut pridie, excepit procelloſus. Spes erat, ſub veſperam ventum remiſſurum: quod ſi fieret, ſic compoſuerat Mocenicus cum ſocium præfectis; ut, dum ipſe ſeptem hoſtium triremes aggrederetur poſt littus introrſus retractum latitantes, ii triremes alias quindecim, quæ non inde procul adorientibus patebant, conjectis ignibus concremarent. Hora ante occaſum ſolis cadente vento; cum triremibus duodecim movit. Pluribus locis oræ ejus objecerant Turcæ aggeres, tormentaque ſuperimpoſuerant, ut hoſtes arcerent acceſſu littorum. Sed nihil ille propterea retardatus, quam maxime contento remigio ſubibat. Et haud longe aberat, quin impetum faceret in triremes; cum, ſatis certum non traditur unde factum, erumpens ſubito ex puppi triremis imperatoriæ flamma brevi partem ejus magnam abſumpſit. Tempore eodem decidens antenna caput Mocenico confregit, ut illico moribundus concideret. Qui vehebantur, plus ſexcenti, ferme omnes incendio interiere; in quibus Conſtantinus Michaelius, Matthæus Cornelius, Thomas Superantius, & Joannes Balbus. Partem alvei cum iis, qui ſuperfuerant, fluitantem æſtus ſecundus deferebat ad littus; apparebatque mox prædæ hoſtibus futuram. Prohibuit animo impavido trierarchus, Gulielmus Avogarus Tauriſanus. Hic, etſi res erat undique plena periculi, accedens ad triremem adhuc ardentem, corpus inde eripuit imperatoris: tum Franciſcum Mocenicum fratrem, eundemque legatum ejus ſeminecem, & paucos alios, qui jam mergebantur, cum pecunia & tabulis publicis vexilloque ſervavit. Caſu ducis perculſi trierarchi protinus abſtiterunt incœpto: ut occaſio jam præſens intereideret delendæ claſſis triremium Turcicarum. Habitum id tamen minimum damni præ ut quod morte Mocenici eſt acceptum, fortiſſimi imperatoris.

1657. congrediatur.

Movet demum.

Sed impetum jam daturus, incēſa puppi triremis, ipſe confracto capite expirat.

Audax facinus Gulielmi Avogari.

Inceptum omittūt duces territi caſu imperatoris.

D 2 Nihil

1657. Nihil illi in ea ætate aberat, quo magnis quibuſque du- *Huius elogium.* cibus in æquo poneretur: ſpiritus vir ingentis; acer in conſiliis; in perficiendis quæ deſtinaſſet celer; cuſtos apprime ſedulus militaris diſciplinæ; rigidus adverſus ignavos; in ſtrenuos laudum largus & præmiorum: idem labore ſæpe certare cum infimis militum; ut præcipuus in exercitu eſſet honore tantum & imperio. Carpſere quidam ardorem nimium: quod ipſe haud diſſimulans, neceſſitatem excuſabat: *Turcam enim præpollentem viribus, utique non aliter quam multum audendo ſuperabilem eſſe.* Eo *Socii abeunt.* mortuo, averſa continuo ab Venetis fortuna eſt. Socii primum, retinere fruſtra conante Barbaro Baduario, penes quem ſumma imperii interea erat, biduo poſt pu- *Barbarus Baduarius obit.* gnam, domum abeunt. Deinde Baduarium ipſum adorta vis morbi, paucos intra dies extinguit. Tum, vicem imperatoris obeunte Laurentio Rainerio præfecto quinqueremium, placuit quidem navibus celſioribus de integro obſideri Helleſpontum; reliquam claſſem inter Lectum & Sigæum promontoria Troadis eſſe in ſtatione, ne Turcæ ex continenti Tenedum trajicerent: at ir- *Viſſirius intentus Tenedo recuperandæ.* ritum utrumque fuit conſilium. Diſſipatas fuga naves collegerat Viſſirius: quæque uſui eſſe poterant, utcunque refectis, Topalium inſuper venire juſſerat Mitylenem; ſatis ſperans fore, ut turbati duce amiſſo hoſtes opportunitatem aperirent aliquam inſulæ recuperandæ. Ac paulo longius abſcedentibus improvide Venetis triremibus; capto tempore Topalius Tenedum celeriter tranſ- *Milites exponit in inſulam Topalius:* mittit: parteque inſulæ in Ægæum mare verſa militum millia tria noctis ſilentio exponit. Ubi illuxit, ſenſere qui præſidebant arci, teneri ab hoſte inſulam. Et exonerandis tormentis claſſem revocabant ſuorum. Sed, dum ventus demoratur vehemens, ſpatium fuit Topalio tranſvehendi numerum ferme parem: ſimul Viſſirius *alios ex Troade mittit eodem Viſſirius.* militum non parum navigiis parvis ex Troade eodem cum miſiſſet, brevi ad novem millia armatorum ibi ſunt effecta; ut abunde robur eſſet ad arcem aggrediendam.

Reddi-

Digitized by Google

Reddita interim tranquillitate, Veneta claſſis aderat. Diſ- 1657.
ſidebant tamen inter ſe duces. Alii *ſuſtinendam ſtrenue oppugnationem*, cenſere: *triremibus per idonea loca diſpoſitis, impedituros ne copia alia hoſtium exſcenderent: qua exſcendiſſent, intercluſis maritimis commeatibus, exiguo tempore, ut in parva inſula, ad ſummam penuriam venturas*. Diffiſi alii arcis munimentis, ſuadebant, *ut, prius quam machinæ ab Turcis admoverentur, devocarent milites: etenim, ut ſupra vires reſiſtendo oppugnationem aliquandiu extraherent; inopiam certe ante ſenſuros ipſos inter inimica infeſtaque omnia, quam hoſtes, quibus nocte ſaltem, trajectu facili ex continenti, ſupportari neceſſaria poſſent*. Satis creditur, expugnaturos Turcas non niſi longo labore arcem fuiſſe. Nam ſuperquamquod multum erat intus armatorum, copiaque bellicarum rerum; claſſis etiam accedebat præſidium, quæ omnis generis auxiliis, cum opus eſſet, adjuvaret. Veruntamen nihil horum jam diſpiciebant præfecti arcis Contarenus & Lauredanus, quos terror imminens oppugnationis ſubito occæcaſſet. Certam objicientes perniciem, ſi impetum expectarent, perſuadent Rainerio, ut, ablatis tormentis & inſtrumento militari alio, arx cuniculis ſuccenſis everteretur. Hæc, ut in trepida re, nullo ordine acta. Ab magna cura feſtinandi minus ſolicitis præfectis de militum diſciplina; vix navigia acceſſerant, quibus tormenta imponerentur, cum, profectione jam certa, diſcurſum paſſim ad prædam eſt. Secuta militum exemplum navalis turba; ut certamen rapiendi tumultu cuncta impleret. Exceſſere primi Contarenus & Lauredanus; inde milites. Tectis dumtaxat aliquot injectus ignis, pariterque muri parum admodum decuſſum: quibus id fuerat mandatum, maturantibus receptum in naves, metu ne opprimerentur ab hoſtibus. Ac hi, priuſquam omnes conſcenderent, ſupervenientes, paucos reliquos interfecerunt. Non dubitabant Veneti quin mox Turcæ trajecturi Lemnum eſſent. Claſſe igitur univerſa eo profecti, oppidum muniunt,

Conſultant Veneti.

Ultro arce excedunt, nō ſine magno tumultu.

Lemnū muniunt milit.

1657\. niunt, & præſidium augent; cuſtodiis navium per intervalla diſtributis, quæ naves illorum appulſu arcerent. Sed, ut in longo tractu littorum, quippe plus centum ſexaginta millia paſſuum in circuitu patet Lemnus, non ita difficile Topalio fuit, ab regione averſa, millia amplius tria militum exponere: qui continuo digreſſi ad populandum, partem inſulæ ferro atque igni vaſtarunt. Cura inde injecta Venetis ducibus. Etenim pro tempore anni diu ſtare in ſalo claſſis triremium nequibat. His autem abeuntibus, cernebant multo facilius Topalium copias alias in inſulam tranſvecturum; ac, ſi oppugnare porro oppidum aggrederetur, non ſatis opis fore in navibus aliis, quæ propter magnitudinem propius terram conſtitui non poſſent. Propterea haud deerant, quibus optimum videretur, recipi illico militem in naves oppidumque incendi. At aliter ſtatuit Rainerius, qui per tempus ipſum anni oppugnationibus minime aptum, ſatis fideret, urbem adoriri non auſuros Turcas. Quare, Bembo relicto cum ſexdecim navibus formæ celſioris, claſſis cætera Candiam contendit in hyberna. Tum vero juſſu Viſſirii approperata ab Topalio res eſt. Paucos intra dies millibus armatorum ſeptem trajectis, ab quatuor ſimul partibus oppugnari oppidum cœptum. Milites tuebantur plus mille. Præerant duces impigri, Bernardus & Ripa, præfectuſque armorum Gulielmus Anienus Belga tribunus. His hortantibus, atque, ubi plus laboris oſtendebatur, ultro ſemet offerentibus; ſic illi reſtiterunt, ut aliquandiu loci nihil hoſti relinquerent ad tentandum. Inde, qua aliquid prociderat muri, tranſcendere conantem repulerunt multa cum cæde. Idem ſæpius factum eſt: ubi autem quies ab hujuſmodi certaminibus erat; non interdiu, non noctu ab opere ceſſabatur, ut pro diruto muro vallum introrſus objicerent. Et diem jam quinquageſimum ſuſtinebant oppugnationem. Veruntamen haud paucis ſuorum amiſſis; creſcente quotidie penuria rerum neceſſariarum, inuti-

te atque armis.

Topalius exſcenſione facta, inſulam populatur.

Abeunte maxima parte claſſis Veneta, tranſvehuntur in inſulam milites alii a Topalio.

Arx oppugnatur.

Digitized by Google

1657.

utilique auxilio navium, quæ præſto eſſe nequirent per ventum, labare cœperant animi. Segnius proinde obeuntes munia, poſcentes etiam interdum deditionem, caſtigare præfecti, confirmareque ſubſidii ſpe; ut decem alios dies defenſio extraheretur. Sed poſteaquam vicinum ſcopulum, unde aquabantur, per neglectas cuſtodias, ut ſuſpicio non abeſſet fraudis, Turcæ repente occuparant: tum ultima neceſſitate coacti mittunt caduceatores de oppido dedendo; paciſcentes, ut omnes cum armis rebuſque ſuis ſalvi diſcederent, Bembi navibus excipiendi, cui certum numerum obſidum in id Topalius daret. Triduum vento prohibitus eſt Bembus acceſſu littorum. Dum is obſides accipit, paratque præſidium ſub ſignis exire: Janiſſari, clamantes ulciſcendam injuriam, qua ibidem proximo anno contra deditionis pacta violati Turcæ eſſent; per ruinam muri, fruſtra revocante Topalio, irruperunt conferti in urbem. Ab timore milites Veneti feſtinantes ut ſe proriperent, ad portam anguſtam conglobantur: ubi nonnulli multitudine ipſa ſuorum oppreſſi periere; complures a Janiſſaris capti; reliqui ſpoliati omnibus, quæ ſecum exportabant. Negante Bembo remiſſurum ſe obſides, niſi adverſus fidem intercepti cum rebus ſuis redderentur; redditi, præter paucos, qui volentes manſere apud Turcas, religione patria Mahumeticæ per ſummum nefas poſtpoſita. Hæc ad Helleſpontum acta eo anno. In Illyrico, niſi quod leves invicem excurſiones fecerant populi, jam diu ceſſatum ab armis erat. Redintegratum hac æſtate a Turcis bellum. Viſſirius, ut hoſtes diſtenderet, veris medio miſerat illuc cum ſeptem millibus armatorum Suleimannum Baſſam; quibus viribus auctus Saida Mahumetes regionis oppida per occaſiones aggrederetur. Viſum huic ab Spalato bellum ordiri: quam urbem tunc propugnaculis novis firmabat Camillus Gonzaga, rurſus ab Senatu terreſtri exercitui præpoſitus. Spem ceperat, occupatos opere Venetos repentino adventu oppri-

Dies 60. reſiſtunt Veneti.

Tandem aquatione interclusi, arcem per pactionem tradunt.

Abeuntibus fidem non ſervant Turcæ:

qui, ut obſides recipiant, homines reſque captas reddunt.

In Illyrico, Suleimannus Spalatum ducit.

pri-

Digitized by Google

1657. primi poſſe. Præſenſum tamen ab iis in tempore; ut improvidis haud ſuperveniret. Jam inſtruxerant intus omnia ad defenſionem: itaque auſus non eſt ſubire protinus ad oppugnandam urbem. Modico ab ea intervallo ſubſiſtens, poſtero die caſtellum adoritur in tumulo poſitum quingentos inde paſſus; cujus inchoata munimenta nondum permunierat Gonzaga. Quatriduum permiſti milites atque oppidani, qui ex urbe ad protegendum concurrerant, vim ſuſtinuere. Quinto die propugnatoribus dejectis, captum a Turcis eſt: ſed poſtridie, eruptione ex oppido facta, magno certamine receptum ab Venetis. Interim cum & populi circa, & milites qui Cliſſæ in præſidio erant, infeſta omnia hoſtibus redderent: ſpe depulſus Mahumetes, omiſſo incœpto, iram belli ad populationem agri vertit. Inde exercitum inducit in finitimum agrum Tragurienſem. Ab oppido tentando deterruere præmiſſi exploratum equites, referentes haudquaquam pronum oppugnanti eſſe. Igitur dextra flectit ad pagum frequentem tectis, duarum ab Tragurio horarum itinere, Boſſilinum appellant. Situs eſt ſuper ſinum, læva parte Tragurium ab alto petentibus. Eum in pagum ad famam adventantium Turcarum perfugerant ex proximo agreſtes cum pecoribus ſuis. Incolæ oblatum paulo ante a præfecto Tragurii præſidium militum, fiſi ſuis copiis accipere recuſarant. Tunc multitudini barbarorum impares, petebant auxilia; quæ mitti per infeſſos ab his aditus haudquaquam poterant. Nihilominus admotus terror oppugnationis non perpulit, ut in voluntariam deditionem concederent. Quinque perpetuos dies non viri ſolum, ſed etiam fœminæ ſic repugnarunt, ut tela prius vireſque, quam animus, deficerent. Obruti tandem ſunt multitudine ſuperfuſorum hoſtium: quo ipſo tempore tamen auſa eſt mulier una ignem ſubjicere pulveri tormentario, qui angulo pagi extremo aſſervabatur; ut eo incendio Turcæ ad ducentos abſumerentur, cum amplius quingenti in oppugnatione

Vicinum caſtellum adoritur, capitque:

quod Veneti mox recuperant.

Tranſit ad oppugnandum Boſſilinum.

tione

tione cecidiſſent. Incolarum atque agreſtium ſexcenti cæſi 1657.
aut vulnerati; paulo plus centum vivi capti: cæteri parvis *Expugnat multa cum cæde.*
excepti lembis effugerunt. Loco direpto atque cremato,
conſultare inter ſe Mahumetes & Suleimannus, quid
porro agerent. Verum fama allata, ab Venetis præfectis
conciri undique ad arma populos: victoria illa conten-
ti, exercitum onuſtum præda in fines reducunt. Trepi- *Recipit ſe in fines.*
datum poſtmodum regione alia eſt. In ſpem Aſerivii
occupandi impulerat Turcas proditor Voinus. Quare
exercitu celeriter comparato, Baſſa Chulmiæ primum, *Baſſa Chulmiæ, & Boſnæ Aſerivium adoriuntur.*
mox Baſſa Boſnæ, illuc contenderunt. Opportuni colles
oppugnantibus ex propinquo urbi imminent: inde tor-
mentis compluribus quatere urbem aggrediuntur arcem-
que. Principio ſatis ſuccedebat oppugnatio; parte ſupe-
riore murorum utrobique dejecta. Poſtea minus evenie-
bat. Nam & ipſi genere multiplici telorum ex urbe at-
que arce uſque petebantur ab incluſis; & hominum ex
agris multitudo, ſumptis armis, infeſti aderant, com-
meatus intercipientes. Ut autem armatis navigiis ali-
quot Rhyzonicum invectus eſt ſinum Antonius Bernar- *Intromittit auxilia Ant. Bernardus.*
dus, cujus erat provincia Illyricum; eo adjuvante, re-
rum omnium copia in urbem tuto importabatur: ut
præſidium, aucta inde audacia, interdum etiam erum-
peret ad opera diſturbanda. Perſtare tamen in incœpto
Turcæ; ubi paulo latius ruina murorum patefeciſſet op-
pidum, vi armiſque impetum facturi. Sed premente in
dies magis penuria cibariorum, quando neque in præ-
ſens ſpes admodum fiebat invadendi; &, ſi trahere op-
pugnationem vellent, metuebant ne ad ultimum inopiæ
adducerentur: haud ita multo poſt, relicta oppugnatio- *Coacti inopia Turcæ abeunt.*
ne, abſceſſerunt. Inſecuti penitus in fines qui incolunt
circa: prægreſſi etiam, atque excipientes ſubinde in fle-
xu viarum & ſaltubus anguſtis, occiderunt non pau-
cos, parte magna ſarcinarum adempta. Venetiis ſenſere
minus ſecunda hæc, acceptis nunciis adverſis, primum
de Mocenico imperatore mortuo, de Tenedo deinde

Digitized by Google

1657. ac Lemno amiſſis. Vix credi poterat, poſt navalem pugnam ex victoribus ſuos victos eſſe. Inſinuavit illico ſuſpicio patrum animis, factum id perfidia aut ignavia: ergo quæſtiones decernunt habendas per Franciſcum Maurocenum legatum in Creta. Culpa maxime hærebat in Contareno & Lauredano præfectis Tenedi. Timentes hi ne turba navalis fruges conſumeret, unde privatum quærebant compendium; jactando fiduciam virium ſuarum, cauſam præbuerant, quare claſſis ad inſulam non conſiſteret. Inde, vix exſcendente hoſte, præ inertia & inconſulto metu, auctores ante alios fuerant arcis turpiter deſerendæ: quod ipſum, dum ſua tantum curant, ſine ordine, nec parva jactura rerum aſportandarum fieri paſſi erant. Vocati Venetias ad purganda crimina, neque auſi judicio ſe ſiſtere, fugam ſibi conſciverunt. Quocirca abſentes damnati, adempto jure comitiorum, & irrogata capitis pœna. Placuit ſimul parte conſpecta fori, inciſis marmore literis, culpæ pœnæque monimentum extare. Habitis interim comitiis imperatori creando, magno conſenſu creant eundem Franciſcum Maurocenum, una rerum fama notum Civitati: nam priuſquam ſumeret togam virilem, profectus ad claſſem, ex illo tempore nunquam Venetiis fuerat. Eodem die patrem ejus Petrum Maurocenum Senatorem, clarum virtute ac meritis, ſurrogant Mocenico procuratorem Marcium. Perlatum hoc anno in Senatu de Clericis e Societate Jeſu in urbem & terras Venetas reſtituendis. Quinquaginta annis ante, propter Interdictum a Paulo Quinto Pontifice in Venetos promulgatum, exceſſerant. Statim anno poſt, Interdicto ſublato, egerat Pontifex per Cardinalem Jojeuſæ, ut facultas redeundi concederetur. Negarant patres. Iram accenderant quidam eorum, quos afferretur concionabundos per urbes nonnullas Italiæ quærere invidiam Veneto nomini. Hæc Senatui cauſa fuerat condendæ legis, qua cavebatur: ne Clerici ii in poſterum reciperentur, niſi primum ab Collegio

Senatus quæſtiones decernit de iis quæ acta erant ad Helleſpontum.

Quæſtiones exercet Frãc. Maurocenus.

Contarenus & Lauredanus abſentes damnantur.

Frãc. Maurocenus creatur imperator.

Agitur de reſtituendis Clericis e Societate Jeſu.

gio

gio decretum fieret, cui, nemine uno ibi diſcrepante, 1657. omnes aſſentirentur: deinde ut conſuleretur Senatus, ubi ne minus centum octoginta eſſent, qui ſuffragium ferrent: ac tum denique impetrarent reditum, ſi ex partibus ſex ſuffragiorum, quinque rogationem accepiſſent. Nunc Pontifex Alexander, recenti adhuc beneficii memoria, Carolum Caraffam, Epiſcopum Attellanum, legatum ſuum apud Venetos, adhibere juſſit ſtudium & operam, ut Senatus in gratiam tandem reſtitueret, reponeretque loco priſtino. *Caraffa legatus Pontificis in id connititur.* Curata diligenter ab Caraffa res eſt. Initio, ubicunque occaſio aperiretur, ſerere ſermones, quibus moveret deſiderium eorum; qui probitate vitæ, & ſapientia antecellentes ipſi, in multis quoque utiles haud mediocriter Civitatibus eſſent, juventute præſertim bonis moribus, literiſque ac diſciplinis inſtituenda. Poſtea Principe & patribus in Collegio aditis, accommodata ad tempus oratione, merita Societatis in rem Chriſtianam commemorare: tum purgare: *abſceſſiſſe urbe terriſque ditionis Venetæ, auctoritate permotos & minis Pauli Pontificis: annum jam quinquageſimum extorres eſſe: qui dediſſent iræ cauſam, jam pridem obiiſſe mortem: orare, qui viverent, ne pœna ad innoxios prorogaretur. Si doloris aliquid adhuc in animo reſideret*, rogabat, *ut Alexandro Pontifici vehementer id cupienti condonarent. Qui priore anno auxiliatus ultro eſſet ad bellum contra Turcas, eundem, majora exinde præſtando, adnixurum ut cumulatam gratiam referret.* *Oratio eius apud patres.* Uno tempore cum ex compoſito idem magnopere petiiſſet orator regis Galliæ: *Idem petit rex Galliæ.* parte maxima Senatus inclinante ad lenitatem, tametſi negotium erat perdifficile propter legis formam, ſed tamen facta in Senatu relatio eſt. Contradixit Joannes Superantius eques; defendit Joannes Piſaurus procurator Marcius: cujus ſententiam ſecuti demum, quo Pontifici & regi gratificarentur, queis cordi id eſſet; permiſere, ut Clerici e Societate Jeſu reverterentur; tributa Venetiis ſede, quæ fuerat Cruciferorum. *Perfertur lex de Clericis iis reſtituendis.* Ob eam rem Pontifex, & rex per oratores ſuos

 gra-

1657. gratias Senatui egerunt. Inter hæc ita gerebantur externa bella, nulla ut vicina oſtenderetur pacis ſpes.

Hiſpani fruſtra tentant Valentiam.

In Italia adjuti copiis Cæſaris Hiſpani, Valentiam recipere conati fruſtra erant. Iidem paulo poſt Ducem Mutinæ Alexandriam oppugnantem, lato obſeſſis auxilio, re infecta coegerunt abſcedere.

Mutinensē Alexādria ſubmovent.

Mantuanus Dux de fœdere agit cum Gallis.

Immiſcere ſe armis illis, id quod jamdiu agitabat animo, non ultra diſtulit Mantuanus Dux; æmulatione orta inter eum, & Mutinenſem. Profectus in Galliam, condicionem attulerat jungendi cum rege fœderis, pollicitus utilia multa exercitui ejus in Monte Ferrato; præterea vero paſſurum ſe, Caſale cuſtodiri præſidio militum ex gente, cui amicitia & ſocietas cum rege intercederet.

Fœdus deinde jungit cum Cæſare.

At reverſus in Italiam fœdus repente ſanxit cum Cæſare his legibus: *ut penes ſe imperium ibi eſſet militum Germanorum; utque annua pecunia menſtruis penſionibus ſibi ab Cæſare numeraretur, decem millia pondo argenti: ipſe autem facultatem faceret Germanis & Hiſpanis intra Caſalis muros ſe, ubi opus eſſet, recipiendi.*

Variè ſuccedunt res in Belgio.

Res in Belgio alterna ſucceſſerunt vice. Nam primo recuperarant in Hannonia Hiſpani Fanum S. Ghisleni: Galli Montem Medium ceperant, oppidum Lucemburgenſis tractus. Deinde tentatum ab his Cameracum ſuperveniens Condæus ex obſidione eripuit: pariterque Hiſpanos fruſtrata eſt ſpes occupandi ſubita impreſſione Caletum, emporium Picardiæ in Oceani ora, quod Philippo regi erat propoſitum tradere Britannis, ut favorem ſibi conciliaret gentis.

Ferdinando Cæſare mortuo, habentur comitia creādo ſucceſſori.

In Germania haud modice diffidebatur, quem ſucceſſorem Ferdinando Cæſari crearent. IV. Non. Apr. is obierat. Filium Leopoldum, regem Pannoniæ, qui annum ætatis ſextumdecimum nondum expleſſet, reliquerat in tutela Archiducis Leopoldi.

Multa movent Galli contra Auſtrios.

Electorum in diverſum tendebant ſtudia: multa miſcebant Galli, ut eos averterent ab Auſtriis: regi quoque & Archiduci non ſatis conſtare apud animum poterat, uter peteret dignitatem.

Inter Auſtrios ipſos nonſatis li-

Archidux, quamvis ſciret nonnullorum in ſe favorem inclinare, tempe-

temperatus tamen moderatuſque, non adducebatur, ut 1657.
obſtaret regi. At quando credebatur vulgo, Philippum *quet uter*
filiam ſuam, ad quam hæreditas regnorum Hiſpaniæ *petat.*
pertineret, nuptum daturum Leopoldo regi: non una
ſuberat cauſa, quamobrem metueret ne unus idem-
que, Cæſar & rex Hiſpaniæ tuto eſſe non poſſet. Nam
ſuſpectam futuram potentiam ejus Principibus cæteris Eu-
ropæ: Germanos vero, aut Hiſpanos, haud facile paſ-
ſuros ſe regi per præfectos; quorum tamen alterutrum
neceſſe foret. Dum hæret conſilium, & Philippi vo- *Dubitatio-*
luntatem certius explorant; reginam audiunt ventrem *nem tollit*
ferre. Mora inde injecta rei eſt. Tum natus Philippo *natus regi*
filius, Carolus dictus, dubitationem omnem cum exe- *Hiſpaniæ filius.*
miſſet: non multo poſt rex Leopoldus proficiſcitur Fran- *Leopoldus*
cofurtum, ubi comitia habebantur creando Imperatori; *rex Pannoniæ profici-*
quo magis in præſentem pronos ſuffragatores haberet. *ſcitur Francofurtū ad*
Principio anni qui inſequitur, anceps deliberatio pauli- *petendum.*
ſper tenuit Senatum Venetum de Turcico bello finien- 1658.
do. Mentionem pacis ultro moverat Viſſirius; qui ſol-
vi cuperet cura belli cum Venetis, ut vires univerſas
alio converteret. Oderat is privatim Georgium Ragot- *Viſſirius o-*
zium Principem Tranſylvaniæ, a quo petitus falſis cri- *dit Ragotzium.*
minibus apud regem Turcarum eſſet, adductuſque non
ſemel in periculum. Opportunitatem ulciſcendi Ragot-
zius hanc præbuerat. Imminens in occaſionem augendi
opes ſuas, venerat in ſpem Polonici regni occupandi,
fovente Carolo Guſtavo; qui præda ex Polonorum ur-
bibus acta & poſſeſſione Boruſſiæ contentus, eum ibi,
quam alium quemquam, regem mallet. Itaque, nullo
tunc, ut putabat, metu ab Turcis impeditis bello Cre-
tico, aut ab Auſtriis, quos cogitatio diſtringeret ſucce-
dendi in Germanicum Imperium; cum quantum pote-
rat militum celeriter collegiſſet, hyeme intempeſta Po- *Ragotzius Poloniam*
loniam ingreditur: quam, deficientibus Caſimirum viri- *intrat:*
bus ad cœpta urgenda, alibi ceperant Moſchi, alibi
Tartari auxiliares ipſi vaſtabant. Initio uſus ſecunda for- *Cracoviam*
tuna, *occupat &*

1658\. tuna, Cracoviam primum exigua contentione redigit in *arces aliquot.* poteſtatem, præſidiumque imponit: deinde arcium aliquot, ut inter tot clades conſternatis populis, portæ ei patuere. Sed poſtquam Leopoldus rex fœderis memor, quod iciſſet pater cum Caſimiro, ſex millia militum Germanorum miſerat auxilio Polonis: hi, extemplo facti alii, ad omnia occurrentes, ſic repugnabant, ut jam Ragotzius par neutiquam eſſet. Nec liberum erat Guſtavo opitulari, per regem Daniæ, qui Ducatum ingreſ- *Polonia excedit.* ſus Bremenſem, intulerat bellum. Ergo aucto Cracoviæ & arcium aliarum præſidio, concedere in Tranſylvaniam ſtatuit; unde milite inſtructior primo quoque tempore reverteretur ad conata peragenda. Prævertentes numero magno Poloni, abeuntem excipiunt locis iniquis; ut neque ad pugnam animus, neque exitus ad *Cogitur condiciones accipere.* fugam eſſet. Coactus igitur eſt condiciones ſubire; ut deduceret illico armatos ex arcibus, utque pecuniam grandem penderet. Dum, velut in nullo aliunde periculo, tutus incedit; adorti ex improviſo Tartari, un- *Superatur a Tartaris.* dique circumveniunt. Prœlio victus, vix ægreque cum paucis evaſit ipſe: cæteri aut in medio cæſi aut vivi capti. Super dolorem acceptæ cladis, timor angebat ne commiſſi ab ſe pœnam repeterent Turcæ. Quare literis primo, mox legatis, poſtremo donis miſſis nitebatur ut leniret Viſſirium. Uno tempore deprecari iram orator Guſtavi: Leopoldus quoque, cui ſatis jam culpam videretur luiſſe, per legatos idem agere. Veruntamen Viſ- *Viſſirius ſtatuit eum bello aggredi.* ſirius, occaſione oblata explendi in inimicum odii, nihil auribus cum admitteret, perſequendum armis perduellem dictitans, qui Turcici Imperii vectigalis, contra voluntatem regis adoriri externam auſus gentem fuiſſet: parare ſtatim adverſus eum cœpit bellum; juſſis præfectis Budæ & Temeſvariæ exercitum in Pannonia colligere. Hæc movebat cauſa, quamobrem ad pacem *Poſtulata Viſſirii ab Venetis.* cum Venetis inclinaret. Accito Hadrianopolin Ballarino ſubobſcuris verbis ſignificat, *auditurum de condicionibus regem*,

gem, ſi Candia concederetur. Ubi ſimulabat Ballarinus, 1658. ſe non ſatis aſſequi ſententiam ejus; poſitis ambagibus expromit: *modo Veneti Candiam atque arces alias in Creta inſula dederent, æquis legibus propediem conventuram pacem:* *ſin renuerent*, denunciat, *propoſitum eſſe, bello quam acerrimo ubique, præſertim in Illyrico eos premere. Opportunitatem reconciliandæ amicitiæ ſi, quæ tunc eſſet, prætermitterent, aliam poſtea nullam fore.* Tum inſtat, *perſcriberet hæc protinus ad ſenatum, qui intra duos menſes certum reſponſum daret.* De literis Ballarini referentibus Sexviris, certari ſententiis adverſis cœptum eſt. Erant haud pauci, atque inter hos Valerius Princeps, qui cenſerent non recuſan- *Valerius Princeps ſuadet deditionem Candiæ.* dam pactionem. *Quid enim diutius trahi bellum, quod annum jam quartumdecimum ſumptu intolerando, nulloque pretio operæ gereretur? Victum quidem ſæpe navali prælio hoſtem; at uſque eo ſuperare illi vires & animos ad retinenda quæ ſemel eripuiſſet, ut cunctantibus reliqua in Creta voluntate tradere, minitari ultro haud dubitaret. Ut delerent denuo claſſes ejus, tamen edoceri eventu, inanem conatum eſſe recuperandi quæ amiſiſſent. Si autem, quod omen averterent Superi, variaret fortuna; quid expectare victos, qui vincendo nihil profeciſſent? Pro certo habere ſe ſe, Turcas vi immani copiarum Candiam ipſam mox aggreſſuros; id quod annos aliquot propter pueritiam regis, & inteſtinos motus diſtulerint. Urbem terreſtri ac maritimo ſitu validam, omni genere munitionum ſeptam undique, quam liberi a mari commeatus alerent, ſatis quidem credere, non parum laboris præbituram oppugnantibus. Veruntamen ſuppeditare ne, unde confiderent, ſic inde arceri barbaros poſſe, ut ingenti mole connixi tandem non potirentur? Quid autem, ſi interea juſtum exercitum in Illyricum, ſi Tartarorum multitudinem in Carnos Viſſirius immitteret? Profecto vanas minas ejus haud eſſe: nam & milite regnum abundare, & Tartaros, vel ſi ferro pandendum iter per Cæſaris terras ſit, ad ſpem populandæ Italiæ alacres feſtinaturos. Quid tunc acturos ſe, multiplicatis bellis, qui vix uni nunc ſufficerent? Paratam ſcilicet opem fore ab regibus Chriſtianis, qui ad unum omnes*

decer-

Digitized by Google

1658. *decertarent inter ſe; nulla ut pars Europæ, ne Italia quidem vacaret bello. At enim turpe eſſe Candia cedere ſine certamine. Minus ne, quam erat dignum, ad id locorum conſtanter feciſſe, qui ex improviſo fraude appetiti, per tot annos prævalido hoſti reſtitiſſent? Cuncta autem nequicquam expertos ut frangerent ferociam, nulla jam ſpe Cydonis & Rhitymnæ recipiendæ, magno numero militum & quatuor fortiſſimis imperatoribus amiſſis, inopi ærario, feſſiſque præbendo milite ac pecunia provinciis, Turcis vero denunciantibus, totis ſe viribus imperii ſui geſturos id bellum; moneri caritate patriæ, ne pertinaciter reſiſtendo ſummam rem in non neceſſariam aleam darent. Pacem igitur, quæ, ſpectantibus ad perniciem armis, ultro ab hoſte offerretur, ne abnuerent; ſecuti majorum exempla, qui, ne diu bellando cum Turcis remp. forte adducerent in diſcrimen, vinci interdum conſtantiam ſuam cupiditate eorum paſſi eſſent. In laude ſemper poſitum, conſilia ita pro tempore moderari, ut, qui minus poſſet, antequam extrema ingruerent, cederet potentiori.* Continuari bellum malebant alii; ex quibus Joannem Piſaurum equitem & procuratorem Marcium, in hanc ſententiam diſſeruiſſe accepimus. *Si duodecim ante annis auctor aliquis extitiſſet concedendi Cretæ inſulæ, videri fortaſſe poterat, ſalva dignitate noſtra ſuadere. Orſus Turca ab ſcelere ac perjurio bellum, nos, ut in media pace, imparatos repentino adortus impetu eſt. Non id claſſis nobis ſuppetebat, quod illico ingentibus copiis ejus objiceremus: præſidia militum exigua inſulam tuebantur: luxuriabant ibidem longo otio populi, quos nullus armorum externorum timor, vixque militaris diſciplinæ ulla contineret: duces ipſi, primo nec opinata re perculſi, deinde aut diffiſi viribus, aut inter ſe diſcordes, quid agerent, qua potiſſimum parte ferrent opem, haudquaquam expediebant. Propterea urbs munimento firma, Cydon, minore quam quod propoſuerant animis, periculo a barbaris capta eſt: mox Rhitymnam ſpe citius expugnarunt. Pro explorato erat, Candiam continuo aggreſſuros; nec ex vano metum ceperamus ne eundem exitum oppugnatio haberet: quod ſi fieret, ſucceſſu elatos, ut quidque præter cætera immunitum*

Diſſuadet Jo. Piſaurus.

nitum

Digitized by Google

nitum eſſet, ita vim ad id omnem verſuros apparebat. Nemo prudens æſtimator dedecus nobis objiceret, ſi tunc, inſula tota hoſti permiſſa, finire utique bellum, unde moles tanta impenderet diſcriminis, occupaſſemus. In tali autem fortuna non deficientes animo; qui nunc ſubito concidimus; ut modo pax ab Turca impetretur, Candiam voluntate dedere parati ſimus? Quo in ſtatu res noſtræ ſint, obſecro, mentibus proponite. Quartuſdecimus annus agitur, ex quo hoſtibus immaniſſimis terra reſiſtimus marique. Illi quidem hoc modo præmium fraudis ac perfidiæ cum tuliſſent, ut inter tumultum primum oppida duo occuparent; ſemel deinde atque iterum adverſus Candiam vires ſuas nequicquam experti, jamdiu intactis urbis ejus aſſident muris. Nos autem bellum interim ſic gerimus, ut nuſquam nos pœniteat conſtantiæ. Græciæ Aſiæque oras paſſim vaſtavimus; inſulas ſubegimus Ægæi maris, nobis tributum ut penderent; Turcarum mercatorum naves, onerarias militem & commeatum portantes identidem aut cepimus, aut demerſimus? Quid? auſæ claſſes noſtræ obſidere quotannis clauſtra Helleſponti anguſtiorem Conſtantinopoli fecerunt annonam; claſſeſque Turcicas aut ne freto exirent prohibuerunt, aut exeuntes male mulctarunt: non ſemel etiam, quamvis longe inferiores numero navium, ſic conflixerunt, prope ut delerent. Inter hæc ſecunda, monſtri ſimile profecto eſt, qui vincimus, id agere, ut condiciones pacis a victis accipiamus. Scilicet ſolicitos nos habet eventus belli: quem, ſi conſiliis utimur iiſdem, neceſſe eſt eundem eſſe. Num angit cura reparandæ claſſis; quam, niſi quod triremem imperatoriam ortum caſu incendium abſumpſit, incolumem habemus? An duces noſtri, aleam non æquantes animis, noviſſime admonent, abeſſe haud procul perniciem, ni protinus bello abſiſtatur? Imo contra pleni ſpei fiduciæque, qui videant ſe invictos mari, nihil magis timent, quam ne non deſcendere denuo in pugnam Turcæ audeant. Defuturam autem nobis pecuniam in ſumptus, cur metu vano fingimus? Haud equidem bene vos novero, ſi paratos non putem, ubi opus ſit, vertere in publicum uſum divitias privatas, poſſeſſionem tum denique pulcram vereque ſplendidam, ſi ad ancipitia patriæ tempora referventur. 1658.

1658. *ventur. Veniat porro in mentem, obſiſtendo tot annos hoſti potentiſſimo, quam commoverimus ſtudia populorum noſtrorum. Et nullus dubito, libentius in dies de privato collaturos in bellum; quo bello cernant, illum antea ſuperbe inſultantem, eripientemque ſubinde, quæ avare concupiſſet, ſentire tandem aliquando, injuriis ſuis non violari nos ſemper inultos. Quid vero ſubſidia ab regibus Chriſtianis deſperamus in perpetuum, perinde ac ſi obſtinaſſent ad internecionem inter ſe decertare? Ne quid de bellis aliis dicam, quæ, ut initia & cauſa ſunt, minus diuturna fore, facile credi poteſt: haud temere exiſtimaverim, filio nuper auctum regem Hiſpaniæ, brevi nuptias filiæ paſſurum ab ſe impetrare Galliæ regem pacis cauſa. Cenſemus autem, ne tunc quidem auxiliaturos nobis adverſus hoſtem; quem non Venetis magis, quam Chriſtiano nomini univerſo infenſum, trajecturumque, ſi occaſio detur, in eorum quoque terras bellum, pudor ſit nos unis opibus noſtris tandiu ſuſtinere? At inſtat & urget Viſſirius ferox: ni Candiam extemplo dedit is, nulla vobis neque terra, neque mari ſalus eſt. Minas ne has pertimeſcam, qui hominem videam, dum parum juvant vires, aſtu graſſantem? Bellum tam integrum habere ſe intelligit, quam fuit, cum undecim ante annis Candia cœpta oppugnari eſt. Qui jamdudum intermiſſam oppugnationem denuo aggrediatur, ratio non ſuppetit; quod nos victrici claſſe mare obtinemus. Si vero in Illyricum deſcendat, vix ulla ſpes eſt rem ſibi ſucceſſuram: nam montoſa & aſpera loca ſunt, commeatibus avia; ut numero magno copiarum geri ibi bellum non queat: labor præterea ſuccurrit expugnandarum arcium maritimarum, quibus claſſes noſtræ omni tempore auxilio eſſe poſſint. Itaque inexpiabiles iras denunciando tentat animos veſtros, ſi forte timore inducat, ut voluntate remittatis, quod ſe novit vi atque armis haudquaquam facile extorturum. Vos igitur inexpugnabiles bello, ſonitu verborum territi imperata facietis? Reputate quæſo, p. c. ut abeſſent pleraque horum, quam tamen in præſentia pavidis conſiliis locus non ſit. Amens odio, in Ragotzium bellum intendit. Ea expeditio propediem nos allevabit parte periculi: ipſi quem exitum daturus ſit in Tranſylvania*

Mars

Mars communis, incertum eſt. Congredietur cum hoſte non contemnendo; cui, ſi vincatur acie, arces permunitæ, præcipiteſque viæ & anguſtæ ſaltubus crebris, magnam ad demorandum facultatem præbituræ ſunt. Spondet ſtatus rerum, non quieturum regem Pannoniæ; metu ne, ſucceſſu creſcente audacia, proximo ſibi arma a Turcis inferantur. Nos quoque, niſi ignoramus opportunitates noſtras, non prætermittemus adjuvare ex compoſito Ragotzinm; quo bellum illud difficilius hoſti faciamus. Ergo cum depulerimus prementem viribus univerſis; quale quantumque fuerit dedecus, dum alio avertit a nobis robur copiarum, hoc de quo ſumma contentione hactenus dimicatum eſt, ſine certamine, minitando territandoque eum auferre? Ecquid intelligimus, quid dedita Candia amittatur? Urbs munitiſſima ipſa, & ditiſſima Græcarum omnium totam ſibi Cretam inſulam adjicit, partem haudquaquam deſpiciendam Veneti imperii; fines firmantem ſitu ſuo, tutantemque portubus claſſes noſtras; propugnaculum piratis objectum, præſidiumque, quo non a nobis ſolum, ſed etiam ab gentibus Chriſtianis cunctis impetus barbarorum arceatur; ut uno in oppido infinita prope jactura ſit. Hanc ſi ultro fecerimus, tuebimur ne nos exemplo majorum, qui cauſa belli finiendi, quæ hoſtis iſ idem poſtularet, interdum permiſerint? Sapienter illi quidem; pacem redimentes iis, quæ ſe retenturos bellando prorſus diffiderent. Nos vero, qui fiduciam & multam & magnam habemus, cur tamen ad Viſirii nutus comminationeſque fracti animis noſtra deſerimus? Paret prius claſſes, quibus pellat nos poſſeſſione maris; exercitus terreſtres cogat, trajiciatque in Cretam; tum, quid armis poſſit, Candia de integro oppugnanda experiatur. Quæ tunc noſtra fuerit fortuna, monebit eadem quid optimum factu ſit. Integrum nihilominus erit Candia decedere. Næ nos peſſime reip. noſtræ nunc conſulimus, ſi deſperatione præpropera decernimus, quod eſſe oportet extremum atque ultimum. Hæc atque talia locutus perſuaſit. Ergo reſcribi placuit Ballarino: *non abnui pacem, ſi componi æquis legibus poſſit: Candia ſenatum non cedere.* Continuo Piſaurus mutua ſe pollicitus, daturum trecenta octoginta pondo argenti, excitavit ditiores ad

1658.

Vincit ſententia eius.

Digitized by Google

1658. æmulandum. Princeps Valerius primum ſexcenta pondo dono dedit. Deinde admodum multi profeſſi ſunt, pro viribus pecuniam certam collaturos, alii præſentem totam, annuis penſionibus alii, quoad bellum eſſet. Gratiæ ob eam rem Piſauro actæ a patribus: in quem converſis ſtudiis Civitatis, mortuo paulo poſt Valerio, Princeps ipſe ſuffectus eſt. Simul Ballarini literæ Venetias allatæ fuere, rumor pervaſerat, Senatum, feſſis jam rebus longo bello, Candia tradita pacem facturum. Poſtquam contraria fama obtinuit, non fieri pacem: tunc gaudio inſperato efferri homines, & conſtantia patrum uno paſſim ore celebrari. Inſignis Pontificis lætitia fuit, ut lacrymas non teneret. Collaudata virtute Senatus; hortando inſtandoque permovit Cardinales nonnullos & Romanos proceres, qui abundarent fortunis, ut auxiliares copias, deſtinari ſolitas ad claſſem Venetam, augerent de ſuo. Commendavere reges alii quoque: impenſe præter cæteros rex Leopoldus; ut qui valde metuiſſet ne, devicto Ragotzio, vacuus Viſſirius cura Cretici belli, occaſione uteretur invadendæ Pannoniæ. Recipiens Baptiſtæ Nanio oratori, quacunque poſſet ope, ſe adjuturum in poſterum Venetos ad bellum; in præſens cohortatus eſt per literas Senatum, ut ad petenda ſubſidia a Principibus Germaniæ aliquem mitteret Francofurtum, quo ipſe tunc contendebat. Miſſus eſt ſine mora Hieronymus Javarina a ſecretis Senatus. Graviter tulit Viſſirius deceptam ſpem ſuam. Negandi cauſas apte exequentem Ballarinum indignabundus cum audiſſet: acriter inclamatum faceſſere protinus jubet; appoſita ædibus ſtatione militum ad cuſtodiam. Non adeo tamen angebat pax ab Venetis recuſata, ut quidquam voluntatem imminueret Ragotzium perſequendi armis. Itaque proficiſci ipſe ad exercitum Taurunum ſtatuit, quo militibus etiam qui in Aſia erant, edixerat conventum. Navium, quantum ſatis videretur ad extrahendum bellum, Cuſſeimo tradit; quem ſuſpectum propter opes nimias

Princeps creatur.

Pontifex ſpondet auxilia;

& Leopoldus rex Pannoniæ.

Viſſirii indignatio ob recuſatam a Venetis condicionẽ.

nimias & favorem militum, arte uſus alia atque alia, jam aliquando abſtraxerat ab Creta. Interea Maurocenus imperator, refecta claſſe, hyemis extremo Candia ſolverat. Infrequentes remige habebat roſtratas: quare ad eas ſupplendas vectari tantiſper circum inſulas hoſtium conſtituit; præmiſſo ad Helleſpontum cum celſioris formæ navibus Hieronymo Contareno Bembi ſucceſſore, qui anguſtias obſideret. Aſtypalæam primo, deinde Chalciam venit, parum ab Rhodo diſtantem inſulam. Facta deſcenſione, arcem adortus expugnavit; partemque incolarum in ſupplementum remigum accepit. Carpathum inde petens, navigatione utitur adverſa. Nebula primum objecta repente eſt, denſa adeo, ut, conſpectu adempto, vix concurſum inter ſe triremes vitarent. Tum occidente ſole, fœda tempeſtas coorta disjecit late claſſem. Triremes tres, quarum unam conſcenderat Benedictus Michaelius præfectus ærarii, fluctibus ſuperfuſis, periere. Quinqueremis Jacobi Capellii vento abrepta ad Cherſoneſum Cretæ, confringitur; ægre enantibus qui vehebantur. Imperatoriam autem triremem, amiſſo gubernaculo, cum ſæpius prope fuiſſet ut mergeretur, denique una cum trireme alia vis tempeſtatis præter ſpem in Carpathi detulit portum. Tandiu ibi moratus Maurocenus, dum procellæ reliquum deſæviret, Aſtypalæam repetit: ubi collectis triremibus, ut intellexit, egreſſum Helleſponto quadraginta triremium claſſe Cuſſeimum, quod Contareno propter ventos adverſos tardior navigatio fuiſſet: optimum ratus eſt Cytheram tranſire, unde hoſti Cydonem trajicienti obvius fieret. Paucis ante diebus Venetæ triremes quinque ad eam inſulam ex Illyrico appulerant. Advenere paulo poſt ductu Prioris Bichii (Pontificis erat ſororis filius) auxiliares duodecim ſociorum; additis navibus decem majoribus, quas Cardinales quidam, & primores Romani alii inſtruxerant ære privato. Audiens claſſem Turcarum ad Chium inſulam eſſe, parumper incertus hæſit imperator, Chium ne

1658.

Maurocenus Chalciā expugnat.

Tempeſtas eum adoritur.

Triremes tres ſubmerguntur.

Quinquer. una cōſtringitur.

Ad Aſtypalæam colligit claſſē.

Trajicit Cytheram:

ubi ſociorū auxilia excipit.

Digitized by Google

1658. ne contenderet, an Cydonem. Urbis hujus nocturna impreſſione potiundæ ceperat ſpem; pollicentibus nonnullis Cydoniatarum, ſe locis duobus, quorum ob exiguitatem præſidii negligeretur cuſtodia, Venetum militem intro accepturos. Viſum deinde Chium petere. Nam, ſi ſuperaret prœlio Cuſſeimum, id quod fretus viribus fore non dubitabat, per otium tentaturus poſtmodum Cydonem erat. Profectus Cythera, Paron inſulam tranſmittit; ubi præter opinionem invento hoſte, componi extemplo armamenta jubet, aptareque militem arma ad certamen. Jamque proris infeſtis ſubibat; cum pugnam detrectans Cuſſeimus, averſis in altum triremibus, effuſe fugere intendit. Et inſequentes Venetos tunc fruſtratus, poſt aliquanto rurſus eluſit ad inſulam Andrum. Quamobrem Maurocenus, nequicquam fatigatis remigibus, Delum traducit claſſem; ubi in militari concilio, quod ad eam diem occultaverat, aperit, de Cydone aggredienda. Simul cauſas & rationem cognovere conſilii ejus, facile aſſenſerunt omnes. Erat rei agendæ ordo, ut nocte concubia triremes tres, & navigia complura minora, tacito remigio portum invecta, militem admoverent, qui muros ea parte immunitos, adjuvantibus ex compoſito oppidanis, caperet; uno autem tempore ut ad diſtinendos Turcas, expoſitæ in terram cohortes quatuor regionem averſam urbis ſcalis tentarent. Veruntamen, quod opportune conſtituerat imperator, diſcuſſerunt duces alii imprudentia ſua. Terreſtribus copiis præerant duo pari jure imperii, Franciſcus de Villa Nova, & Jacobus Gremonvillius. Dum ſibi uterque munus depoſcunt ducendi milites; accenſique æmulatione, etiam extra concilium, incautius pro ſententia pugnant, palam facta res eſt: neque mora, Neapolitanæ celoces duæ, quæ furto inſulam eam attigerant, præmii ſpe, Cuſſeimum ad Capharæum Eubœæ ſtantem, quid pararetur, monuerunt. Etſi metus retrahebat ne incideret in claſſem Venetam; tamen magnitudine periculi anxius

Ad Paron obvius fit claſſi hoſtium.

Sed pugnã illi detrectant.

Aggredi ſtatuit Cydonem.

At ortum diſſidiũ inter duces Conſilium turbat.

Præmonitus Cuſſeimus Cydo.

xius Turca, nihil cunctatus eſt Naupliam contendere ad milites accipiendos. Inde citato remigio decurrens Cydonem, auget præſidium: diſpoſitiſque cuſtodiis per muros, vigilias nocturnas intentius ſervari ubique jubet; fractam præterea catenam ferream refici, qua portus oſtium claudebatur. Cytheram interim tenuerat Maurocenus. Ictus dolore ob irritam rem tantam, concilium iterum advocat. Auctor ipſe erat, ut, quando parum proceſſiſſet dolus, vi aperta uterentur; claſſemque hoſtium in portu invaderent. At non abnuit ſolum Bichius: ſed etiam apparatu magno nihil cum profuiſſet, veluti tamen abunde navata hoc anno opera, quod veniſſet ad claſſem; Maurocenum conantem retinere minime audiens, biduo poſt revertit in Italiam. Tum Venetus, quod unum liceret per vires, progreſſus ad portus fauces, inſtructa acie triremium, tres perpetuos dies laceſſere ad prœlium hoſtem inſtitit. Nemine contra exeunte, abſcedere demum coegit tempeſtas. Jam ſatis ibi tuta omnia videbantur Cuſſeimo. Quare aliquot poſt inde diebus portu egreditur, Conſtantinopolin rediturus. Medio in curſu experiri placuit, ſi ſubito impetu capere Tenon inſulam poſſet. Ab Georgio Cornelio equite, qui præerat, deſcenſione prohibitus, tranſmittit Chium; unde non procul, celeritate qua ſuperabat navigiorum, bis ſe perſequenti Mauroceno ſubduxit. Servata Cydone, id quod pertinebat ad ſummam belli univerſi, laudem præmiumque expectabat. Veruntamen in fraudem incidit, dudum a Viſſirio præparatam. Ubi nanque pervenit Conſtantinopolin; præfecturam Boſnenſem, provinciam minorem quam pro jam adminiſtratis, ſibi deſtinatam cognoſcit, tanquam reo non commiſſæ cum Venetis navalis pugnæ. Dum autem profectionem in Boſnam parat, ex improviſo raptus in carcerem obtruncatur. Ex bonis ejus, relicto quod liberis alendis ægre ſufficeret, plus quadragies centena millia regalium nummum redacta in publicum. Venetus imperator poſtquam

1658. *nem trajicit, & urbē munit.*

Profectus eo Maurocenus nequicquam provocat illum ad pugnam.

Reverſus Conſtantinopolin Cuſſeimus, Boſnæ præficitur;

deinde necatur.

1658. quam hoſtem aſſequi fugientem nequibat, biduum moratus ad Cenuſſas inſulas, Samum primo trajicit: exſcenſionemque ad populandum facit. Mox appulſus Claron, Myrtoi maris inſulam, inter Lerum & Coum; non levi certamine expugnat arcem. Qui tuebantur, pars cæſi inter dimicandum; cæteri, abjectis armis, dedentes ſe ſe, remigio addicti ſunt. Poſtremo myoparonibus tribus, & onerariis quatuor majoribus captis; jam procedente autumno, in hyberna claſſem reducit.

Maurocenus Claron expugnat.

Navibus aliquot hoſtium potitur.

Nihil in Illyrico actum hoc anno. Quieverant præfecti Turcarum, parte magna militum Taurunum inde avocata. Veneti propter bellum, quod ad Pannoniæ fines gerebatur, continuerant ſuos intra arces & caſtella; ut, ſi qua forte irruptio repentina fieret in provinciam, parata defenſio eſſet. In Tranſylvania res primum e ſententia Viſſirio evenerat adverſus Ragotzium. Impar hic multitudini Turcarum & Tartarorum, cedendum ratus fortunæ, liberum fecerat Civitatibus, ut Principem alium in locum ſuum eligerent. Electus Franciſcus Redejus. Cum tamen arces nonnullas ſibi retinuiſſet; ſimul receſſerunt Turcæ Tartarique, denuo Principis titulum & poteſtatem aſcivit: qua re Viſſirius concitatus, poſtulare a Tranſylvanis, mitterent ad ſe caput ejus, arceſque tres, quas nominabat, traderent. Ragotzius nihilominus, in præſens ſatis munitus præſidio eorum, quos fideles circa ſe habebat; id moliebatur, ut augeret domeſtico milite vires, & externa pararet auxilia. Deſtinatis Francofurtum legatis, opem affectis rebus ab rege Leopoldo orat: per Nanium autem rogat Venetos, fœdus ſecum facerent contra communem hoſtem: nec dubitavit ab ipſo Romano Pontifice ſubſidia petere. Erat quare crederet adjuturos omnes. Pontifici nanque ſpondebat, ſe, relicta Calvini ſecta, religionem Romanam amplexaturum. Expediebat Venetis bellum eſſe in Tranſylvania, quo copiæ Turcarum ab Creta abſtrahebantur. Cæſarem vero ſibi ut adjungeret, admonebat:

Vi coactus Ragotzius, cedit Principatu.

Simul abſceere hoſtes, locum repetit.

Auget copias.

Auxilia petit ab rege Leopoldo, Venetis, & Pontifice.

qua-

quærere eos occaſionem occupandæ Pannoniæ totius: ſcire ſe ſe, modo cederet ipſe arcibus aliquot, præſertim Varadino, unde trajicere tuto exercitum poſſent in Pannoniam, pacem impetraturum. 1658. Nihil permotus eſt Pontifex promiſſis; qui provideret, non diutius quam cogeret metus, manſurum hominem in ſtudio religionis, quod tunc oſtentaret temporis cauſa.

Non audit Pontifex.

Senatus Venetus libenter pollicebatur auxilia pecuniæ; non facturus moram fœderi, ubi primum ſocietatem cum eo rex Leopoldus junxiſſet.

Veneti pollicentur pecuniam.

Anxium hunc habebat diſcrimen Pannoniæ. Quamobrem legatis Ragotzii facta ſpe fœderis; bono animo ut eſſet, hortabatur.

Spem oſtendit Cæſar:

Cæterum rejiciens cuncta in reditum ſuum Viennam, in præſentia aliquid militum Annibali Gonzagæ tradidit; ut, caſtris poſitis in inſula Cituorum, qua periculum oſtenderetur arcibus ſuis, præſto eſſet.

qui fines munit:

Poſt aliquanto eventu armorum vario Ragotzius uſus. Coacto non parvo numero armatorum, partem Turcici exercitus ad Maruſium amnem vicit prœlio: ad ſex millia occidit, vivos cepit ſupra mille & quingentos, tormentaque & impedimenta ademit.

Ragotzius Turcas prælio ſuperat ad Maruſium.

At mox Viſſirius damnum penſavit, potitus arce valida, modico ab Julia intervallo, Jenam appellant; primo prope adventu ejus deditione facta: dubium metu an perfidia præfecti; qui deinde juſſu Ragotzii pœnam dependit capite.

Viſſirius potitur Jena.

Continuo minis & populationibus ſubactæ Civitates, ut rurſus Principem alium ſufficerent in Ragotzii locum. Inclinabat favor Turcarum in Acacium Bachianum propter tributi magnitudinem, quod ſe penſitaturum ſpondebat ultro. Ergo creatus is eſt Princeps Tranſylvaniæ; in montanam regionem concedente Ragotzio, ut ſe munimento locorum tutaretur.

Ragotzius jam viribus impar concedit in loca montana.

Tametſi ſolicitudinem haud mediocrem afferebat Leopoldo Jena amiſſa; Senatus autem per oratorem ſuum ſedulo agebat, ut cum Ragotzio ſecumque jungeret fœdus: tamen curis aliis pluribus eodem tempore implicitus nequiit perpelli, ut ſe tunc ei bello illigaret; quod e re ſua eſſe crederet omnia inte-

1658.

Leopoldus creatus Imper. Romanorum: in certas leges.

gra ſervari in annum inſequentem. Viennam reverterat, XVI. Kal. Sext. creatus Francofurti Imperator Romanorum. Moverant multa Galli, primum ne crearetur; deinde, id quod tenuerunt, ut in certas leges: quarum erat caput, ut fidem prius daret, ſtaturum ſe conventis in Vveſtphalia; neque commiſſurum ut ſe immiſceret bello, quod Galli cum Hiſpanis gerebant. Propterea ſocietatem etiam inierant cum Guſtavo Svecorum rege, Electoribus Moguntino & Colonienſi, Ducibus Brunſvvicenſibus, & Neoburgenſi, Haſſiæque Lantgravio; ut, ſi promiſſa inde non ſervaret, conjunctis armis cogerent. Inter hæc non remiſerat bellum in Italia. Placuerat Galliæ regi ab copiis ſuis premi caſtris hybernis Mantuanum agrum; ne Carolo impune eſſet, quod ſe anno proximo fallacibus condicionibus fœderis conſcribendis fruſtratus eſſet. Carolus, præterquamquod grave accidebat, ſe inſpectante, ferri agique res ſuorum; timens etiam ne intra ea non conſiſteret pœna, confugerat ad Venetos. His iram ſedulo deprecantibus fidem primo obſtrinxerat rex, ab Mantua arcibuſque aliis vim abſuturam: poſtea facultatem fecerat Mutinenſi paciſcendi cum illo, ut uterque in poſterum abſtineret ab alterius injuria. Condicionibus peractis; egreſſus hybernis Mutinenſis, Adduam flumen copias tranſducit. Inde Ticinum trajicit: Mortariamque adortus, oppidum firmum arte, inter Papiam & Vercellas, brevi oppugnatione redigit in ditionem. Tum ſine certamine occupato Viglebano, ut cura tuendi liber eſſet, muros diruit: quo tempore fruſtra conati ſunt Hiſpani impreſſione repentina Valentiam recuperare. Dum oppugnationem aliam parat; vulnere accepto æger, paucos intra dies vitam amiſit. Fertur, poſtremo pœnituiſſe conſilii, quod ſecutus erat: certe moriens hortatus valde eſt Alphonſum filium, ut quamprimum Hiſpaniæ regem placaret; tum vero ne qua re offenderet Pontifices Romanos: neque enim inter reges ullum

Mantuanus Dux, prementibus eum Gallis, confugit ad opem Venetorum.

Per hos cõvenit de pace cum Mutinenſi.

Mutinenſis potitur Mortaria,

& Viglebano.

Ex vulnere moritur; hortatus filium ad pacem.

dici

dici poſſe, quem Eſtenſium familia minus ſibi infenſum eſſe vellet, aut amicum mallet. Mortuo Duce, nihil ultra tentatum ibi ab Gallis: neque alibi quicquam geſtum, quod juvet commemorare. In Belgio modo obſeſſa ab Ludovico rege Dunquerca eſt, captaque; quod opus fuit belli illius ultimum. Eo cum tranſmiſiſſet claſſis Britannica; junctis viribus Galli Britannique, aliquandiu magna vi oppugnavere. Superatis ad extremum ingenti prœlio hoſtibus, qui ductu Joannis Auſtrii, & Condæi feſtinarant ad ferendam opem; per pactionem urbs traditur regi: qui ut, qua arte petebatur ipſe, eadem peteret Hiſpanos, habendam Cromuello conceſſit. Hoc rerum ſtatu, nihil minus cum ſperaretur, pax convenit. Ex incommodo cœlo ad Dunquercam valetudinem contraxerat Ludovicus: morboque ingraveſcente, ad id jam devenerat, prope ut deſperata eſſet ſalus. Cum convaluiſſet; regina, periculo filii in religionem veniente, animum ad pacem continuo adjecit. Quare oſtendit Mazzarino, *ſtare ſibi ſententiam bellum utique finire; quo populi a diuturnis malis tandem aliquando reſpirarent. Regem pene ereptum iram Superum indicaſſe, tot clades odiaque tanta improbantium. Induſtriam omnem adhiberet, ut pax cum Hiſpanis primo quoque tempore componeretur. Pro meritis in eum ſuis confidere, nihil prætermiſſurum, ut, quiete reddita regno, hanc ipſa, quam unam poſſet, ſervati filii gratiam Deo perſolveret.* Se vero ita facturum recepit Mazzarinus. Ac principio ſtatim opportunus caſus adjuvit. Obſtiturus Cromuellus erat, qui ingentia ſibi per armorum eorum occaſionem improba cupiditate propoſuiſſet. Hic ſub idem tempus extinctus, quod tyrannis contingit perquam raro, morbo eſt. Ricardum quidem filium reliquit ſucceſſorem in tutelam Britannici regni; at qui neque animo neque ingenio æquaret molem tantam. Itaque ſine ullo ad Britannos reſpectu, arte rem aggreditur Cardinalis. Id agere ſe ſimulat, ut regi, qui per ætatem par connubio jam eſ-

1658.

Galli in Belgio, devictis prœlio Hiſpanis, capiunt Dunquercam,

& Cromuello tradunt.

Rex Galliæ ex morbo gravi convaleſcit.

Regina pacis cupida.

In id incumbit Mazzarinus;

Cromuello per id tempus opportune mortuo.

Simulate agit de ſorore Sabau-

Digitized by Google

1658. eſſet, uxorem daret ſororem ſuam Dux Sabaudiæ. Opinionem iſtiuſmodi ut aleret, matrem Ducis & filios invitat Lugdunum; quo media hyeme rex ipſeque & proceres regni complures convenere. Interim clam ſignificat Comiti de Fuenſaldagna, *illud tempus eſſe tranſigendi de pace: ſi nuptiæ confierent cum Margarita ſorore Sabaudiæ Ducis, nullam ſpem ſupereſſe amicitiæ reconciliandæ inter Gallos & Hiſpanos: credere ſe, Philippum pacem non aſpernari. Admonere igitur, ut, quod ejus intereſſet, maturaret: ſi filiam collocaret in matrimonium Ludovico*. Qualem prædeſtinarat, exitus fuit. Diutini belli pertæſus Philippus, quia, filio tunc altero ſuſcepto, prorſus credebat, poſſeſſionem Hiſpaniarum ad Gallos per filiæ nuptias minime emigraturam: non ultra cunctatus eſt pacis pretium filiam ſpondere, miſſo in id Lugdunum Antonio

[...]dia Ducis matrimonio jungenda Ludovico regi:

ſimul pacem utilem offert regi Hiſpaniæ, ſi filiam Ludovico nuptum daret.

Aſſentitur Philippus.

1659. Pimentello. Compos optati Mazzarinus, paulo poſt ſecutus regem revertit Lutetiam; prius apud matrem Sabaudiæ Ducis, ne ob verba data querelæ locum relinqueret, excuſata communi utilitate pacis; obligataque fide, ſi quid forte interveniſſet, quominus filiam regis Hiſpaniæ duceret Ludovicus, non aliam eum, quam Margaritam, ducturum. Invitus hic prætermiſerim unum atque item alterum, in quo, homo cætera intentus anxie incrementis ſuis & ſuorum, moderati animi ſpecimen præclarum præbuit. Sororis ejus filiam, egregia forma in primis, rex juvenili impotentia deperibat: ac, ut recto & legitimo amore potiretur, has appetebat impenſe nuptias. Ipſe regis voluntati non gravi ſolum atque accurato ſermone, perque literas adverſatus ſæpius eſt; ſed etiam, ne ſanando præſens obſtaret, puellam poſtremo ſubmovit longe procul. Ejuſdem virtutis dixeris, quod cum filiam ſororis aliam jungere matrimonio poſſet Duci Sabaudiæ, modo Pinarolium huic traderetur, tum autem ut quidquid conſilii Dux idem ſuſciperet in poſterum adverſus Genevenſes, ne rex Galliæ impediret: conſtanter recuſavit; negans id ſibi

Moderatio Mazzarini.

fas

Digitized by Google

fas eſſe, ut regis jacturis domeſtica amplificaret. Cæterum, quoad de legibus pacis non conveniſſet, ratus belli minime omittendam cogitationem; huc incubuerat, ut nova ſibi compararet ſubſidia. Venetos trahere in ſocietatem belli contra Hiſpanos conabatur. Per Alphonſum Ducem Mutinenſem, cui filia ſororis ejus alia (multæ erant) noviſſime nupſerat, condiciones dicit fœderis: *Ut rex juncto exercitu cum Duce Sabaudiæ ab Pedemontio, Veneti & Dux Mutinenſis ab parte averſa Inſubriam invaderent. Ne minus quatuor millia militum Veneti conferrent, ad quos ſcribendos rex numeraret argenti pondo duodecies mille: his copiis ut adjiceret rex millia ſex peditum, duo millia equitum. Debellato ibi, quod brevi fore ſponderet ſpes, ut Veneti haberent Laudem Pompejam, Leucum, & regionem inter Larium lacum & Bergomatium fines; Mutinæ Ducis Cremona uti eſſet: reliquum autem provinciæ ejus aut Princeps alius obtineret attributum conſenſu communi fœderatorum, aut fœderati inter ſe ipſi partirentur.* Quoniam vero vix putabat Venetos occupatos Cretico bello, adduci poſſe ut novo ſe implicarent: pollicetur, *omnino annixurum regem, ut honeſtis condicionibus pax cum Turcis reconciliaretur: ſin minus, facultatem dabat ſcribendi in Gallia decem millia militum, qui claſſe regia in Cretam tranſveherentur ad recuperandam Cydonem. Hoc autem perfecto, erat auctor ut conjuncta claſſes arma inferrent Neapolitano regno, ubi Brunduſium, atque Apulia omnis Veneto cederet.* Objecta utilitas ingens nihil Senatum movit; qui, vel ſi cura alia quavis ſolutus fuiſſet, turpe duceret, nulla recenti injuria provocatum, repente hoſtem fieri Hiſpanorum. Itaque per eundem Alphonſum gratiam profeſſus regi & Mazzarino ob ſtudium in ſe; cauſas probabiles oſtendit, cur ei ſe fœderi non adderet. Nec ultra tetendit Mazzarinus; certa jam pace cum Philippo, jamque pactis induciis. Quin occulte hortatus eſt Alphonſum, properaret redire in amicitiam cum Hiſpanis: utiliora nanque impetraturum, ſi ſeparatim ſibi paciſceretur. Id agere Alphonſus illico aggreſ-

1659.

Idem Mazzarinus cōdiciones fœderis propo- nit Venetis.

Rennuit Senatus.

1659. aggreſſus : & facilem habuit magiſtratum Mediolani ad concedenda quæ potiſſimum peteret . Haud ita multo poſt locus eligitur, in quem principes miniſtrorum Cardinalis Mazzarinus ab Gallis, Ludovicus Haroſius ab Hiſpanis ad diſceptandum de pace convenirent . Fuit is inſula ad Pyrenæos montes , Phaſianorum dicta ; quam parvus amnis Vidoſſa facit , terminus communis utriuſque imperii . Hic ex æquo congreſſi ad colloquium . De dote , atque oppidis , arcibuſve , quibus ceſſurus aut non ceſſurus Galliæ rex eſſet , nulla fuit controverſia ; quippe his antea compoſitis . Duo veniebant in contentionem ; de Luſitanis alterum , alterum de Condæo . Luſitanos admitti pariter ad diſceptandum volebat Mazzarinus : id quod recuſabat utique Haroſius , non magis cauſa Philippi , quia admodum ſpes eſſet continuando bello ſubjici denuo imperio ejus Luſitaniam poſſe ; quam privato odio ſuo , & cupiditate abolendæ armis ignominiæ , quam paulo ante acceperat , clade magna ab illis affectus , cum Helvas oppugnaret . Contra poſtulanti Haroſio , ut Condæus reſtitueretur in locum priſtinum , adverſabatur Mazzarinus ; tum quod ſibi periculoſum erat habere in Gallia inimicum pollentem opibus ; tum etiam quia non dubitabat undique arrepturum eundem occaſiones turbandi regnum . Aliquandiu neuter remittebat . Demum flecti ſe paſſus eſt Mazzarinus ; pactus ut beneficium reſtituti Condæi penſaret Hiſpaniæ rex tradita regi Galliæ Avenna , Duci autem Neuburgenſi Juliaco . Quantum ad Luſitanos , videbat tandem expedire regi ſuo bellando cum iis atteri vires Hiſpanorum . Igitur VII. Id. Novembr. his potiſſimum legibus ſancitur pax. *Ut Philippus rex Hiſpaniarum Mariam Thereſiam filiam natu majorem in matrimonium daret Ludovico Galliæ regi , doſque uti eſſet quinquies centena millia nummum Philippæorum ; ita tamen ut illa jus abdicaret ſuccedendi in regna Hiſpaniarum : ut Galliæ rex Arteſiam retineret ; Fano S. Audomari , Ariaque , & agris eorum exceptis : ut itidem retineret*

Mazzarinus & Haroſius de pace colloquuntur.

Condiciones conveniunt.

ret

ret in Flandria Gravelinguam, Burburgum, Fanum S. Venantii, caſtellaque & agros, qui ad hæc pertinerent; in Hannonia, Landrecium, & Quercetum; in tractu Lucemburgico, Theodonis Villam, Damvillerium, Epoiſum, aliaque circa ignobilia caſtella: Perpinianum quoque, Ruſcinonenſem tractum, & Confluentes, quæ ſunt cis Pyrenæos montes, haberet; mitterenturque utrinque, qui certis finibus terminarent regionem: uti Galliæ rex cederet Baſſorum oppido, & Monte S. Vinoci, pro Mariæburgo, & Philippopoli, quibus contra cederet Hiſpaniæ rex: redderet inſuper Hiſpaniæ regi Hypras, Aldenardam, Dixmudam, Furnas, regionemque ad Legiam fluvium, & obſcuras arces aliquot in Comitatu Burgundiæ; in Italia vero Valentiam, & Mortariam; tum Rhodam, aliaque, quæ ultra Pyrenæos montes eſſent in Hiſpania: uti Hiſpaniæ regis miles decederet Rupe Regia, aliiſque quæ Princeps Condæus poſſideret loca: ut rex idem abdicaret jus omne in Alſatiam, & quæ ad Alſatiam pertinerent: uti Lotharingiæ Dux, dummodo ne recuſaret condicionem (condicionem autem eſſe, ut mœnia Nanceji everterentur, utque Galliæ rex Mojenvicum, Ducatum Barrenſem, Claromontium, & Stenæum haberet, parvaſque arces alias, ut & iter liberum in Alſatiam) reſtitueretur in terras ſuas: Duci Sabaudiæ ut ab Hiſpanis Vercellæ redderentur, ſuaque pariter redderentur Principi Monœci Portus; præterea ut rata haberentur pacta Claraſci: uti Hiſpani præſidium deducerent Corregio; atque ut quæ controverſiæ intercederent inter eos & Ducem Mutinenſem cauſa dotium, penſionum, fructuumque, eæ amice tollerentur; itidemque controverſiæ cum Rhætis cauſa Vallis Tellinæ: ut rex uterque Pontifici Romano inſtarent, diſceptationem cum Duce Mutinenſi de Comaclenſibus paludibus tandem finiret; uti etiam conſtitueret temporis quantum æquum eſſet, intra quod Dux Parmenſis recuperaret Caſtrum. In hæc convenit pax: cujus nuncii ubique accepti gaudio incredibili populorum. Lætatus valde eſt Senatus Venetus; qui ſatis fideret, depoſitum id bellum profuturum etiam rebus ſuis in Creta. Paulo ante deſtinarat Viennam legatos duos extra ordinem, Nicolaum Sagredum equi-

1659.

Legatio Venetorum ad Cæſarem.

1659. equitem ac procuratorem Marcium, & Baptiſtam Nanium equitem, qui dignitatem gratularentur Leopoldo Cæſari; ſimul, quando per Javarinam nihil opis ab Electoribus Francofurti impetrarat, apertius cognoſcerent ſententiam ejus de bello, quod crederetur Pannoniæ imminere ab Turcis, deque adjuvando Ragotzio. Grata Cæſari legatio fuit. Cæterum ſic reperiebant; ſtatuiſſe, quoad poſſet, certamen cum Turcis declinare. Nam præterquam patiebatur moleſte perſtare Philippum in bello adverſus Luſitanos, quem cura ea exſolvi voluiſſet, ut paratum præſidium ad omnes caſus illinc haberet: angebat quoque metus ab rege Galliæ, jam ſibi infenſo propter miſſa Hiſpanis auxilia in Belgium & in Italiam. Neque enim dubitabat, quin is, armis aliis tunc liber, adjuncturus ſe eſſet Guſtavo, quocum ipſe opitulando Polonis & Danis, commiſerat a minime obſcuris initiis bellum; idemque occaſione uſurus opprimendi ſe, ſi videret impeditum dimicatione cum Turcis. Quare profeſſus legatis Venetis egregium ſtudium erga Senatum, hoc modo affirmabat; *ſimul turbari aliquid ab Turcis cæpiſſet in Pannoniæ finibus, ſe magna vi copiarum obviam iturum*. Ita ſpe ad vanum redacta, juſſi inde Sagredus Romam, Nanius Lutetiam ad petenda ſubſidia tranſire; in id ipſum profecto jam Madritum Jacobo Quirino equite. Ac reges quidem eam præferebant voluntatem, ut, ſi conſociata opera Pontifex conniteretur, credi poſſet, confeſtim ſubventuros. Verum hic præter opinionem viſus erat mutaſſe aliquid in Venetos animi priſtini. De re dictu levi cum oratore Sagredo querebatur: *Altovito legato ſuo Venetiis negatam a patribus facultatem veniendi in Collegium alba tunicula detecta; quam tamen non obtegeret Archiepiſcopus Embrodunenſis, tunc legatus ibidem Gallorum*. Defendebat Sagredus: *Semper ſic conſueviſſe ejus ordinis legatos Gallos; qui regem etiam ipſum forma eadem veſtitus adirent. Cur autem ab Altovito repente nunc ſolvi morem, quem perpetuo ſervaſſent legati alii Pontificis?* Secus accipiebat Ponti-

Conſilia Cæſaris.

Põtifex de re levi diſſidet cum Venetis.

Pontifex. Et, quoad Archiepiſcopus ille Venetiis fuit, Altovitus non adiit ad Principem, ne inferior dignitate, quam Gallus videretur: obtecta enim tunicula, Romanis, minuta hæc magno in diſcrimine ponentibus, habitus creditur demiſſior. Sunt qui non facile putent, hanc cauſam fuiſſe, quamobrem periculoſiſſimo tempore ſtudium auxiliandi remitteret Alexander. Suſpicari malunt aliam. Voluerat is quidem pacem inter Gallos & Hiſpanos componi, etiam propter Creticum bellum: at compoſitam ægre ferebat ſe non adhibito, qui in conventu Monaſterienſi tantum huic rei, tamque diuturnum legatus ipſe Innocentii laborem impendiſſet: & quod reges aliquid ſimul ſtatuiſſent de Caſtro & Comaclo. Dolor iſtiuſmodi Venetis oberat fructum ſperantibus ex pace, quæ moleſta illi eſſet. Cæterum uti Alexandro pacificatore noluerat Mazzarinus, quod, cum improbare eum non ignoraret utilia multa Principibus & Civitatibus non Orthodoxis ſancita Monaſterii; providebat fore, ut ſumptus conciliator, eadem tunc repetendo arguendoque, difficultates objiceret, quæ moram interponerent paci. Forte hoc anno ne triremes quidem Romanæ præſto fuerunt Venetæ claſſi. Bichius Neapolin vix prætervectus, cum Afrorum piraticas naves quatuor procul conſpexiſſet, progredi non eſt auſus: quanquam autem Afri ferme ſtatim abierant; tamen, timore excuſſa Candiæ memoria, retro unde venerat, revertit. Effecit id, ut neque Melitenſes ſocii trajicerent in Cretam. Diu triremes Romanas Meſſanæ fruſtra præſtolati, domum & ipſi redierunt. Ergo auxilium omne externum deſtituit Venetos: etenim quinque millia nummum argenteorum ab Cardinali Barbarino data ad remiges comparandos; trecentos pedites qui Veneta ſtipendia mererent, & remiges ad quinquaginta ab Duce Mutinenſi miſſos, ex uno animo dantis auxilia dicas. Nec Turcæ ipſi auxere navales copias ſuas, diſtendentibus Viſſirium curis aliis. Quantum attineret ad Ragotzium, pro-

1659.

Triremes eius non iuvant claſſem Venetam.

Ragotzius

Digitized by Google

1659. ſligatum videri poterat bellum. Adverſis nanque coa-

cedit Principatu.

ctus, ceſſerat Principatu; pactus cum Bacchiano ſucceſſore, ut bona modo ſua in Tranſylvania, & Comitatus duos, quos poſſidebat in Pannonia, retineret. Viſſirius nihilominus, nondum exſatiata ira, extrema quæque minitabatur Tranſylvaniæ populis, niſi illum de medio tollerent: iis autem cunctantibus, inſtaurare bellum parabat. Veruntamen hoc primo afferebat ſolicitudinem, quod a principio agi ſenſerat de pace inter reges Galliæ & Hiſpaniæ: quæ ſi conficeretur, vix dubitabat quin laturi uterque Venetis opem forent; unde hi prævalidi repeterent quæ in Creta amiſiſſent. Poſtea

Seditio in Aſia Minore.

ſeditio excepit in Minore Aſia; cujus cauſa in diſcrimen ſummum adductus ipſe eſt. Vis magna omnis generis hominum, duce Haſſane Baſſa Hierapolis, late regionem tumultu implentes, Chalcedonem acceſſerunt. Miſ-

Seditioſi ad Chalcedonē duce Haſſane.

ſis ad regem legatis, affirmabant; paratos ſe eſſe pati quidlibet ac perpeti pro dignitate ejus & incolumitate imperii: Mahumetem autem principem Viſſiriorum ad ſupplicium minaciter poſtulabant; quem propter crudelitatem ferre amplius non poſſent, ſævientem quotidie in capita innoxia, quos aut privatim ſibi ſuſpectos haberet, aut unde nihil aliud quam prædam ſperaret. Poſtquam lenibus reſponſis irritabatur ſeditio, ſuadente Viſſirio, qui brevi multum militum contraxerat Conſtan-

Venit eo rex.

tinopolin; rex trajicit Chalcedonem, vi atque armis propalam uſurus. Sed Baſſa primum Nicomediæ, quem cum parte copiarum placuerat præcedere, deinde Mortaſſane Baſſa Erzevirenſi, cum tribus millibus equitum

Damno accepto, deſperat Viſſirius de rebus ſuis.

in auxilium adveniente, fuſis fugatiſque: Viſſirius velut deſperatis rebus, ſic conſternatus eſt, ut procumbens ad pedes regis magnopere oraret, ne cunctaretur ſanguine ſuo furorem extinguere conjuratorum; aut ſaltem poteſtatem faceret abdicandæ dignitatis. Animus is commendavit hominem regi. Quare ſublatum confirmatumque pergere juſſit eadem fide, dareque operam, ut

cona-

Digitized by Google

conatu graviore ſeditioſis occurreret. In id incumbenti 1659.
aperuit fortuna occaſionem ſpe citius tollendi tumultus. *Favet deinde ei fortuna.*
Repente corripitur Haſſanes ſtupore corporis mentiſque.
Dum paulum recreatus Hierapolin redit; mittitur ad illum Mortaſſanes ſpecie conciliandæ concordiæ. Fraude vero in eundem compoſita, inter epulas irrumpentes ex improviſo ſatellites, reſte collo injecta ſtrangulant, atque una principes triginta alios. Ducibus interfectis, *Haſſane necato, extinguitur ſeditio.*
multitudo omnis diſſipata pene momento eſt. Tum Viſſirius, ſucceſſu inflatus & regis gratia, necandos curat primorum aliquot, quorum ab ſe alienas in eo motu notarat voluntates; interque hos Topalium, quo uſus præcipue fuerat ad Tenedum Lemnumque recuperandas. Aſper inde etiam in legatos Chriſtianos, jus ipſum gentium non veritus eſt violare. Venerat Conſtantinopolin Gallus quidam, nuper profectus Creta. Is affirmans Gremonvillio, ſe Conſtantinopolin petere cupidum viſendæ urbis ejus, claſſem interim Venetam ſpeculatus; *poſtea abierat* cum literis illius, quas ad legatum regis Galliæ perferret. Mentitus cauſam erat. Ab ſacris Chriſtianis transfugiens ad impietatem Turcicam, literas Gremonvillii detulit ad Viſſirium; qui ubi eas perlegit, accitum legatum filiumque objurgat acerbe de clandeſtinis conſiliis cum Venetis adverſus Turcas: mox *Viſſirius legatum Gallum violat.*
tanquam mancipia cædi verberibus utrumque jubet, trudique in carcerem. Indignum, ut quod maxime, viſum Galliæ regi. Et juſta ira exſtimulabat protinus ad ultionem. Avertere tamen miniſtri, periculum oſtendentes ne forte nacti ea ex re opportunitatem Hiſpani, minus faciles ſe præberent ad pangendam pacem, de qua tunc agebatur. Igitur placuit in præſens Blondelium mittere Conſtantinopolin ad expoſtulandum. Audiit ſuperbe Viſſirius: vixque in magnam gratiam petentis regis, ſpopondit tandem, ſe liberaturum utrumque cuſtodia. Continuo perſcribit ad illum literas, in quibus legatum accuſabat, defendebatque ab ſe factum:

1659. poſtulabat præterea, ut actutum in Galliam revocaret ad luenda quæ commiſiſſet. Per idem fere tempus, incertum quorſum ſpectaret, Ballarinum advocarat Conſtantinopolin: ſub adventum vero ejus mercatores nonnullos & Interpretes Venetos conjecerat in carcerem, a quibus data dona Baſſis quibuſdam rumor ferebat. Quæſtionibus habitis per tormenta, quando rei, quam ſuſpicabatur, indicia nulla extabant, reſtituit in libertatem. Inter hæc conſenuerat bellum. Claſſem modicam Helleſponto emiſerat Viſſirius; ad cujus voluntatem id unum agebat qui tunc præerat Halius, ut per ludificationem hoſtis æſtatem extraheret. Venetus imperator fugientem Turcam diu inſecutus, quia ſpes non erat confligendi, neque virium ſatis ad tentandam Cydonem; vertit eo curam, ut maritimas hoſtium arces, prout quæque maxime opportuna aggredienti videretur, oppugnaret. Sæpius hoc bello Leuctrii, regionem colentes Peloponneſi inter Meſſeniacum & Laconicum ſinum, miſſis clam nunciis, polliciti fuerant Venetis præfectis, ſimul claſſem littoribus ſuis admoviſſent, arma ſumpturos contra Turcas. Priore anno fidem dederant Mauroceno, ſi ad ſe trajiceret, plus millia ſex armatorum ad facienda quæ imperaſſet, illico adfuturos. Non negligenda occaſio viſa. Quare Vitylum ſinus Meſſeniaci portum invectus claſſe, principes gentis ad ſe vocat, quibuſcum de ratione gerendi belli conſultaret. Decrerat Coronem primo ac Methonem adoriri, inde præſidio inſidere Iſthmum Corinthiacum; quo facilius, intercluſis Turcarum auxiliis, reliquas arces redigeret in ditionem. At tunc hærere Leuctrii: urbium illarum munimenta objicere, atque exequi difficultates alias; ut mentem viderentur mutaſſe. In urbem Abæam modo imperatorem intendebant, parvo a mari diſtantem ſpatio, cujus præſidii metu, dicerent, nudare ſtudium populos non audere. Etſi, ut erant initia, conjectabat, quæ promiſiſſent haud præſtituros: arbitratus tamen ſpem quamcunque minime omittendam,

Ballarinum accerſit.

Venetus imperator fruſtra inſequitur Halium.

Leuctrii ſpem Veneto faciunt defectionis ab Turcis.

Trajicit eo Maurocenus.

Leuctrii ſpem fallunt.

Digitized by Google

tendam, expoſitis copiis, ducere Gremonvillium ad op- 1659.
pugnandum jubet. In ſuccedentes eruperunt Turcæ ad *Abaam oppugnat*
mille & ducentos. Sed oppoſito equitatu, impetum re- *Maurocenus;*
tudit Georgius Cornelius: & ardor tantus fuit militum
perculſis inſtantium, ut fugientibus permiſti in oppidum
penetrarent. Inter eum tumultum arce quoque exceſſe-
runt Turcæ qui cuſtodiebant. Cæterum cum Leuctrii ne
tum quidem uſpiam apparerent; fallacem promiſſi gen- *captamque evertit.*
tem ſatis expertus imperator, direpta urbe atque ever-
ſa, claſſem inde abducit. Contarenum præfectum na-
vium celſiorum petere Helleſpontum placuit, ut naves
hoſtium frumentum merceſque Conſtantinopolin vectan-
tes interciperet. Ipſe Chium contendens claſſe duarum
& viginti triremium, quinqueremium ſex, haud pro-
cul inſula Halium improvidum pene oppreſſit. Abeun- *Ad Chium aſſequitur Halium.*
tem perſecutus, inclinante in occaſum jam ſole, noviſ-
ſimum agmen adipiſcitur. Triremes duæ ab Antonio
Barbaro & Hieronymo Piſauro captæ; evadentibus ta-
men prius in terram Turcis qui vehebantur. Jamque
aberat prope ut Maurocenus, cum triremibus quatuor
prægreſſus longe cæteram claſſem ſuorum, quinque alias
invaderet. Harum periculo permotus Halius vela con-
trahit; tum denique animo par, quod cum paucis tri-
remibus Venetis pugnaturus ipſe viribus univerſis foret.
Nec detrectavit certamen imperator; haud dubius ſuſti- *Ad pugnã cogit.*
neri Turcam uſque in adventum navium aliarum poſ-
ſe. At dum acriter dimicatur utrinque, ſuperveniens
nox prœlium diremit. Ne poſtero die denuo congrede- *Nox intervenit.*
rentur, ventus impediit paulo ante lucem coortus; quo
uſus Halius Samum petit, dein Rhodum. Non viſum
Mauroceno inſtare hoſti, tutum receptum intra inſulæ
ejus portum habituro. Ergo profectus Helleſpontum,
res inſpicit ſuorum: tum navigat Toronem, Macedo- *Toronem petit.*
niæ oppidum, poſitum in peninſula, ad ſinum Toro-
naicum, quo colligi a Turcis commeatus acceperat. Ab
parte una, eaque valde anguſta, oppugnari poterat: &
cum

1659. cum ſatis inſtructum tormentis alioque bellico inſtrumento erat, tum præſidium tuebatur validum. Sed ſtatim atque parari oppugnationem viderunt Turcæ, victi metu turpiter deſeruerunt. Direptum ab Venetis eſt incenſumque; ſex & triginta tormentis inde ablatis. Continuo ad populandam maritimam oram Minoris Aſiæ ducta claſſis. Optimum autem cenſuit imperator circa Joniam potiſſimum conſiſtere, ſi forte Rhodo revertentem Halium deprehenderet in freto, quod Chium ab Jonia interſcindit. Ibi præter ſpem potitur Erythris; arce peninſulæ Joniæ, ad occidentem ſolem, contra Chium. Illinc ſemel iterumque egreſſi Turcæ ferme omnes qui tutabantur, ut aquatione Venetum prohiberent. Quod animadvertens Maurocenus, ſic diviſit copias, ut pars erumpentes hoſtes exciperent, pars pugnæ tempore modico circuitu ſuccederent ad intercludendum reditum in arcem. Facta quæ imperarat. Tunc impetum daturus in arcem, invehi portum jubet Bernardum Nanium præfectum quinqueremium, indeque mœnia tormentis quatere. Pauci intus manſerant. Itaque ſimul ruere cœperat aliquid muri, nocte excedentes, in proximum ſaltum perfugerunt. Ingreſſus arcem Maurocenus diripiendam concedit militi. Non facile rebatur retinere: quare evertit mœnia ſubjicitque ignem tectis; præter copiam rerum aliarum, balliſtis æneis ad octoginta avectis. Interim Halius moverat Rhodo, millibus fere tribus militum relictis, qui per occaſiones parvis navigiis tranſveherentur Cydonem: Venetos autem ut vitaret, præter averſa Chii inſulæ navigans, recta pervenerat ad Helleſpontum; ubi liberis faucibus inventis, nam forte tum Contarenus cauſa aquandi paulum abſceſſerat, claſſem receperat in tutum ad Abydum. Re cognita imperator, eodem protinus trajecit, ſi qua poſſet ope, conjunctis cum Contareno copiis, prœlium commiſſurus. Poſtquam biduum laceſſendo nihil proficiebat, Chium primo redit: mox legens inſulas oræ ejus, magnum inde numerum

Deſertam arcem incendit.

Erythras occupat.

Ad Helleſpõtum fruſtra provocat Halium ad pugnã.

rum

rum hominum abducit, quibus uteretur ad remigium: tum onerarias complures hoſtium capit, aut incendit: poſtremo Rhodum circumvectus, accedit ad Chelidonias Pamphylii maris inſulas. Tres ſunt ad Sacrum promontorium: quarum quæ media, arcem habet in colle poſitam, imminentem portui vicoque, qui multo quam arx frequentius habitabatur. Emporium plagæ illius celebre ante alia erat; eoque appellebant onerariæ omnes ex Ægypto. Maurocenus ſpe incenſus arcis expugnandæ, negotium dat Petro Quirino, ut quinque triremibus in ſtatione eſſet ſupra inſulam, ne quod ſubſidium ſubmitteretur ab continenti. Ipſe, milite educto, opera ac tormenta duabus ab partibus admovet. Ac brevi tempore muri non parum ſtratum eſt: jamque parabat vi atque armis invadere. Sed non expectavere impreſſionem qui præſidebant. Paciſcebantur primum, ut ſalvi abirent cum rebus ſuis. Deinde nihil impetrantes Veneto ſe in arbitratum dediderunt. Validiores corpore deſtinati ad ſupplendas remigio triremes. Non deerant in concilio, qui tuendam milite cenſerent arcem, unde Turcæ utilitatis multum perciperent. Maximæ parti tamen, præſertim imperatori viſum id perdifficile, propter longinquitatem: ergo egeſta præda generis omnis, ſubruta eſt cuniculis. Tormenta avexere plus quinquaginta: conceſſum poſtmodo in hyberna. Anni exitu Venetiis mœſtitia magna Civitatis obiit Joannes Piſaurus Princeps, inveterata prudentiæ & gravitatis fama. Dominicus Contarenus in locum ejus ſurrogatur, inclyta virtute ac ſapientia Senator; ea magnitudine animi, ut oblatam dignitatem diu recuſaret.

1659.

Chelidoniæ inſulæ tres.

In mediam exſcendit Venetus, & arcem oppugnat.

Dedunt ſe Turcæ: arx diruitur.

Mortuo Piſauro Princeps ſufficitur Domin. Contarenus.

FINIS LIBRI DECIMITERTII.

Digitized by Google

HISTORIARUM
VENETARUM
LIBER DECIMUSQUARTUS.

1660. ANno Cretici belli jam ſextodecimo, erant ob quæ non pigeret Patres tandiu reſtitiſſe; quæque, ſi porro pergerent, polliceri ſucceſſus in diem meliores viderentur. Candia annos aliquot nequicquam oppugnata, prœliiſque navalibus ingenti cum jactura commiſſis; velut fatigatus eo genere belli Turca, robur copiarum verterat in Tranſylvaniam. Levatis inde Venetis periculi parte addebant fiduciam acceſſuræ vires novæ, auxilia militum ab rege Galliæ. Perficere is decreverat, quod antea nequiverat bello impeditus cum Hiſpanis. Itaque per Mazzarinum ſignificat oratori Nanio, eſſe in animo peditum millia quatuor ſub expertis ducibus Candiam ſtatim mittere, qui regiis ſtipendiis ibi militarent; adjectis equitibus ducentis, qui ab Venetis acciperent equos. Continuo expeditionem apparandam cum delegaſſet in Mazzarini ipſius curam: ab hoc lecti pars militum, quos facta pace tradiderat Condæus, tum quod exercitatiſſimi bello habebantur, tum ut per eam cauſam procul ablegaret qui contra regem tuliſſent arma. Principem Almericum Eſtenſem præficit, adoleſcentem illum quidem, ſed quem valde commendaret militaris virtus. Huc autem reſpiciebat, ut ubi bello magis claruiſſet, in matrimonium ei collocaret Hortenſiam Mancinam, ſororis ſuæ filiam: quam hæredem deſignarat bonorum, quæ ampla in Gallia poſſidebat. Quapropter nitebatur aliunde etiam ſubſidia Venetis comparare; potiſſimum a Pontifice; ſatis libere, quanquam fortaſſe minus verecunde aut tempeſtive, monendo, *ne in magno diſcrimine*

Rex Galliæ militem decernit in Cretam.

Mazzarinus Pontificem extimulat ad auxiliandum;

diu-

1660.

diutius ceſſaret: expeditum illi eſſe colligere aliquantum militum, & armare, qui Cretico bello navarent operam. Ita demum ſtimulos admoturum Principibus aliis, ideo præſertim cunctantibus, quod viderent ſummum ipſum præſidem gentium Chriſtianarum, ad barbarorum conatus inter primos expoſitum, non magnopere excitari. Multo ſapientius conſulturum famæ ſuæ, ſi vires adjiceret Venetis ad tam pium bellum; quam ſi, quod tunc ageret, urbem Romam exotico marmore, & operibus, monimentiſque titulo ſuo inſcriptis exornaret: quas impenſas, ut temporibus aliis forte laudabiles, certe reſpueret præſens neceſſitas Chriſtianæ rei. Simul auctor erat Sabaudiæ Duci, *reconciliaret tandem amicitiam cum Venetis, & ultro adverſus Turcas magno animo adjuvaret.* Genuenſibus autem oſtendebat, *quanti intereſſet eorum Venetos habere amicos, qui plurimum in Italia poſſent. Occaſionem demerendi, qualis tunc eſſet, haudquaquam facilem futuram poſtea.* Venetos ipſos hortabatur, *ut, quoad liceret integra dignitate, ſtudia allicerent Principum Italorum: neve quicquam præverterent bello, quod tanta cum gloria Veneti nominis gereretur.* Verum præterquamquod Dux Sabaudiæ mille pedites dedit, nihil collatum ab aliis. Firmum ſtabat Genuenſibus quævis alia privatis rationibus poſtferre; neque committere quidquam in Turcas, unde maritima negotiatio ſua deterior fieret.

ut & Sabaudiæ Ducem;

& Genuenſes.

Pontificem vero ab auxiliis augendis illud retrahebat vel maxime, quod Mazzarinus ſuaſor eſſet. Diſplicebat injecta ad Pyrenæos mentio de Caſtro, & paludibus Comaclenſibus. Quando autem nihil cura hujuſmodi attinebat ad Hiſpanos; pro certo habebat, inſerta hæc condicionibus pacis Mazzarino auctore. Verſus ergo in id unum, ut eluderet conſilium ejus; primo ſpem facit Duci Parmenſi, controverſiam ipſos inter ſe ſine arbitris compoſituros. Deinde prolatando de induſtria cauſandoque modo hæc modo illa, ne ab legatis Galliæ & Hiſpaniæ regum adiretur, rem extrahit dum circumagerentur præfiniti judicio dies. Ad poſtremum, Cardinalibus ex nec opinato convocatis, pronunciat, Caſtrum ad Ponti-

Pontifex infenſus Mazzarino.

Caſtrum addictum Eccleſiæ in perpetuum.

1660. ficem Romanum pertinere: itaque comprehendi Sanctione, qua alienare quicquam bonorum Eccleſiæ Pontifex in perpetuum vetaretur. Dedit ea res in præſens cauſam ſermonibus: paulo poſt offenſiones inde graves extitere. Interim Venetiis, quæ opus ad bellum eſſent, ſtudio ſedulo parabantur. Præter veteres naves refectas, triremes novem, & naves maximæ formæ quatuor recens ædificatas deduxerant navalibus, ornarantque: tum onerarias majores conduxerant complures, quibus vis commeatuum & bellici inſtrumenti Candiam portaretur. Millia militum quinque in Italia coegerant: eodem tempore Hieronymum Javarinam proficiſci placuerat in Bavariam, ubi quantum plurimum poſſet peditum ſciberet. Accedebant Germani alii milites bis mille, quos dederat de copiis ſuis Leopoldus Cæſar, ut Veneta ſtipendia in Creta mererent. Auxilia hæc ſerius aliquanto, quam oportebat, præſertim propter adverſa maris, in Cretam pervenere. Imperator Venetus tamen nihilo ſegnius adminiſtrabat bellum. Per hyemem res contigerat, unde ſpes fieret eximendi in libertatem M. Antonium Delphinum; qui quatuordecim ante annis ad Candiam in pugna captus, & a Cuſſeimo Conſtantinopolin redeunte adductus ad regem, arcta cuſtodia tenebatur in compedibus & vita ærumnoſa. Caſtellis novis ad Helleſpontum extruendis præpoſuerant Franc-Mahumetem, natione Hiſpanum; qui puerulus veniens in poteſtatem Turcarum, inde educatus Conſtantinopoli, per varios militiæ gradus nactus denique fuerat præfecturam Navalium. Eo contendens trireme vehebatur Rhodia, navarcho Meſſanenſi quodam, qui Chriſtianam religionem deſeruerat. Pœnitebat hunc piaculi. Quare ex compoſito cum captivis in Turcas repente coortus, plures obtruncat, inter quos trierarchum; tum ad Melon inſulam navigans, Franc Mahumetem vinctum tradit Mauroceno. Viſum Venetias eum mittere. Patres, qui antea Delphinum pretio redimere conati fruſtra eſſent, Turcis aſſen-

Apparatus Venetarum.

Triremis Rhodia traditur Venetis.

De permu-

aſſentientibus quidem de patriciis pecunia reddendis aliis, at de hoc uno negantibus obſtinate; permutaturi cum Franc-Mahumete erant. Præter opinionem tamen, oblatam condicionem illi reſpuerunt; ut qui nulla plerunque tangantur miſericordia eorum, quos deſtituit fortuna. Ubi primum tempeſtas anni aperuit mare, claſſe univerſa Andrum petit imperator. Experiri autem rem ingentem ſtatuerat. Chalcidem cogitabat, quam comperiſſet exiguo teneri præſidio militum; hoſque ipſos, ut in nulla ſuſpicione tali, vagantes licentius cuſtodiam urbis negligere. Si ex improviſo adoriretur, ſatis fidebat, ſe non difficile potiturum: ademptam vero hoſtibus inſulam, quæ urbem unam eam haberet, clauderetque mari Græciam, permagnum ad omnia momentum videbat fore. Ergo ad Andrum diviſa claſſe, Antonium Priolum navibus celſioribus circumvehi Eubœam jubet, perque ſinum Maliacum ſubire ad Chalcidem; ipſe parte alia Euboicum ſinum ingreſſus, uno tempore venturus eodem erat: ut ad prohibenda ab continenti ſubſidia, pontem, quo Eubœa jungitur Achajæ, utrinque interſcinderent; mox in inſulam deſcendentes, copias ad urbem admoverent. Proſperos ventos ad trajiciendum Priolus habuit. At venti iidem quominus claſſis roſtratarum ad freti anguſtias perveniret, diu obſtitere; ut interim præfecto urbis ſpatium eſſet ad revocandos milites, accerſendaque auxilia, & defenſionem in muris comparandam. Magna remigum contentione provectus illuc tandem imperator, cum cerneret, quod conſilium tutum factura fuerat celeritas, id, mora interpoſita, temerarium jam eſſe; omiſſo incœpto, enavigat inde, ac denuo conjunctus cum Priolo Sciathum advertit claſſem. Supra Eubœam ſita inſula eſt contra Magneſiam promontorium, inter Pelaſgicum & Thermaicum ſinum. Inſulis circa omnibus pendentibus tributum, recuſabant Sciathenſes; freti arce, impoſita rupi confragoſæ crebriſque ſepta turribus. Itaque malo cogendos ratus, ex-

1660.

tando M. Ant. Delphino fruſtra agunt patres.

Maurocenus aggredi Chalcidem parat:

Fruſtratur eum ventus.

1660. ſcenſionem facit; balliſtiſque majoribus quatere mœnia *Sciathum oppugnat; capitque.* aggreditur. Triduum labore multo nequicquam oppugnavit propter difficilem ſitum, & uſque jaculantibus contra incluſis. Quarto die cum turres duæ procidiſſent, conjectiſque igniferis globis, pluribus intus locis arderent tecta, ruerentve: victa pertinacia eſt. Pacti ut incolumes cum ſingulis decederent veſtimentis, arcem tradiderunt. Direptam miles concremavit: ab inſulanis autem tributum, quam quod abnuerant, gravius exactum. Non ultra tunc diſtulit imperator Cytheram tranſmittere ad excipienda auxilia: quæ dum opperitur in diem, partem æſtatis ibi conſumpſit. Galli milites *Adventus Gallorum Cytheram.* primum advenere; quibus expoſitis, eques Pol naves ſtatim abduxit, juſſus ab rege piratas Afros perſequi: inde Melitenſium & Romanorum ſociorum triremes, quibus addiderat duas M. Hetruriæ Dux: poſtremo Princeps Almericus. Egreſſam Helleſponto claſſem Turcarum ad Lesbum inſulam ſtare nunciabatur: eo igitur extemplo contenderunt. Hoſte non invento, qui præmonitus, paulo ante abierat; vagati dies aliquot, ſicubi obvius fieret, re irrita revertuntur Cytheram. Militari tunc advo- *Cydonem adoriri ſtatuunt.* cato concilio, omnium ſententiæ huc decurrere, ut Cydonem tentarent. Plus quatuordecim millia militum recenſebantur: multitudinem undique ex agris ad exercitum conventuram, fidem fecerant pridem Cydoniatæ: parte inſuper præſidii, quod validum erat Candiæ, in id uti conſtituerant. Priuſquam copiæ imponerentur in naves, tanquam omen expeditionis ejus, militum fuit ſeditio negantium ſe ante conſcenſuros, *Seditio militum.* quam menſium quatuor ſtipendium numeraretur. Quandoquidem tribuni reprehendentes, atque objurgantes flagitium, nihil proficiebant: agi mollius placuit. Obire lenibus alloquendo Garennius, equitatus Gallici præfectus: *quantum poſtularent pecuniæ, in ærario non eſſe: habituros ex ea, quæ primum ad claſſem adveheretur.* *Oratio Garennii ad eos.* *Præmia inſuper pro merito quiſque expectarent. Adeſſe occaſionem egregiam oſten-*

Digitized by Google

oſtendendæ virtutis: crederent, populorum Chriſtianorum oculos 1660.
in ſe converſos, animos & dextras intuentium. Si obſtinarent imperio repugnare; caverent, ne, non ob negata ſtipendia quæ peterent ante diem, ſed quod hoſtem timerent, ceſſare viderentur: quas autem utilitates tantas eſſe, quibus famæ poſthaberent jacturam? Memores igitur priſtinæ fortitudinis, partique decoris, quo imperator duceret, alacres ſequerentur. Flexit oratio hæc pleroſque: quamobrem, menſis unius ſtipendio accepto, omnes in poteſtate fuerunt. Tum conſcenſis navibus, in Cretam traducta claſſis. Amphimalum ſinum intravere: at ibi ſtatim cognoſcunt, magna ſe deſtitutos ope ad rem gerendam. Præterquamquod noviſſime ſtatuerant Cydoniatæ eventum expectare; ne, ſi cœpta Venetis minus ſuccederent, exitio ſibi apud Turcas foret aperuiſſe voluntatem: ab Candia quoque literæ afferebantur Marci Bembi legati, *graſſari paſſim morbos in milites, & oppidanos; quotidieque multos interire. Si partem eorum, qui valerent, vix autem dimidium præſidii id eſſe, mitteret; timere, ne opportunitas invadendæ urbis hoſti præberetur*. Non ideo tamen abjecerunt ſpem. Qua optimus erat egreſſus, expoſiti milites octingenti, qui caſtellum S. Venerandæ adorirentur. Et brevi certamine captum eſt, cæſis qui tuebantur. Dum exercitus univerſus exſcendit, pugnatum aliquantiſper cum Turcis, qui concurrerant ad prohibendum. His repulſis, Garennius cum ala equitum, & peditibus quadringentis ad noſcendum Cydonis ſitum prægreſſus, modico ab urbe ſpatio, loco alto conſedit. Inſiliens mox in altiorem, dejectos illinc Turcas intra muros, unde eruperant, redigit; Haſſane Baſſa, qui præerat, occiſo. Urbem autem contemplatus undique, cum detuliſſet ad concilium, circuitum eſſe munitionum, quem præſentibus copiis nequirent complecti: mutata ſententia, viſum eſt prius aggredi caſtella tria circa Amphimaliam, e quibus Turcæ portum infeſtum faciebant; ut, ſi deinde inducerent populos ad arma capien-

Dicto audiunt.

Tranſmittit claſſis in ſinum Amphimalum.

Caſtellum S. Venerandæ expugnant Veneti.

pien-

1660. pienda, iis ſibi adjunctis, pergerent Cydonem. *Caloierum occupant: inde Calamum.* Calojerum primo, deſertum fuga cuſtodum, occupant. Poſtea admotæ copiæ ad Calamum; ubi qui præſidebant, vix primam oppugnationem ſuſtinuere. *Procedunt ad Arpicornum.* Via ſylveſtris, arcta, & aſpera ferebat ad tertium, Arpicornum. Eam inſederant numero haud parvo Turcæ; pluribus quoque locis ſaxorum congerie, aut cæſis arboribus intercluſerant. Cœptum prœlium ab Garennio, qui ducebat agmen primum. Ac urgere ante non deſtitit, quam turbatos in fugam conjiceret. Sed dum ipſe cum paucis inſequitur intemperantius, in flexu quodam viæ ab ſubito conversis (quod crebro ſolent Turcæ inter fugiendum) *Garennius circumventus a Turcis occiditur.* circumventus eſt: &, prius quam ſuccurri ab aliis poſſet, obtruncatur. Ducis caſu conterritus equitatus referebat ſe ſe: avertiſſetque etiam peditatum, niſi duces exprobrantes formidinem retinuiſſent. Tum impetu inſtaurato, iterum hoſtes impellunt; quibus via dilapſis, *Caſtellum desertũ intrant Veneti.* recta procedunt ad caſtellum. Præter ſpem vacuum invenere. Quare præſidio impoſito, confeſtim ire ad pagum mediterraneum placuit, Cicalaria eſt nomen. *Progreſſi ad Cicalariam, ibi ſe muniunt.* Hinc ſylva munit, hinc montes præalti: ubi metati caſtra, a fronte atque ab tergo vallum objiciunt. Non deſperabant, eo demum conventuros ex agris Cydoniatas: miſſique illico quoquoverſum qui excitarent. Dum eos *Vallum adoriuntur Turcæ.* expectant, ab Nova Candia Turcæ ſupervenerunt, ſeptem millia peditum, equites quingenti; quibus vallum repente adorientibus, vix ſpatium fuit Gremonvillio ad ſuos inſtruendos. Dimicatum magna parte diei: ſæpiuſque ſuperſcandentem hoſtem Venetus depulit. Poſtremo ſimul a fronte munimenta intraverant Turcæ, ſimul per dorſum montis demittentes ſe ſe ab latere inſtabant; ut totis jam caſtris trepidaretur. Rem in diſcrimine verſantem ſuſtinuit imperator, qua plurimum laborabatur, accurrens ipſe. Præſentia ejus atque exemplo confirmati milites acriter primo obſtiterunt; inde gravius connixi *Repelluntur.* vallo hoſtem ejiciunt. Ad mille & ducentos Turcarum

cæſi:

cæſi: Venetorum deſiderati plus ſeptingenti. Cæterum 1660. quia futuram ibi cernebant moram inutilem; neque enim attinebat aggredi Cydonem, paratis barbaris auxilium intromittere: reditum paulo poſt ad caſtellum S. Venerandæ, mox ad Calamum eſt. Deliberantibus quid rei ſuſciperent, quamvis ſocii, ut conſuerant, præfeſtinantes abiiſſent, perſuaſit Maurocenus, ut ſtatim trajicerent Candiam, caſtra Turcica ad Novam Candiam, dum pars abeſſet exercitus, tentaturi. Ergo conſcendere militibus juſſis, acceptoque in triremem imperatoriam Principe Almerico, qui aliquandiu Amphimaliæ æger, tunc primum ex morbo recreabatur; altero poſt die Candiam appulere. Etſi non ſatis exploratum habebant, qualis duceret ad arcem via, qui ſitus, quæque forma eſſet caſtrorum: tamen ut opprimerent hoſtem incautum, reditumque prævenirent eorum, quibuſcum pugnarant ad Cicalariam; nihil cunctati ſunt, bifariam diviſis copiis, eo contendere. Turcas non fefellerunt. Ac impetum intra vallum non expectantes, auſi etiam ſunt ultro occurrere. Sed excepti ab dextro Venetorum cornu, brevi certamine funduntur fuganturque. In eo concurſu, dum verſatur inter primos, cecidit, ferreæ glandis ictu fœmore abſciſſo, Hieronymus de Nigris, miles voluntarius, frater Antonii, qui a ſecretis erat imperatori; ad cæteram laudem, familia antiquæ originis, locoque illuſtri in civibus Venetis. Paulo poſt qui lævum tenebant cornu, quibuſque imperatum fuerat ut vicinum transgreſſi collem, ab tergo hoſtem invaderent, cum Turcarum cohortes tres non procul conſpicati eſſent; quamvis difficultate viæ ordinibus nonnihil turbatis, tamen æmulatione eorum, qui in dextro cornu vicerant, accenſi, injuſſu tribunorum ſe in illos curſu inferunt. Minime diſpar fuit fortuna; vix prima cum emiſiſſent tela, terga dantibus barbaris. Continuo potiuntur munimento, quod illi pro caſtris inſtruxerant grandioribus balliſtis. Tunc viſum Mauroceno e veſtigio

Candiam redit claſſis.

Proſpere pugnāt Veneti ad Cādiam Novam:

Hieronymus de Nigris occiſus.

Turcæ fugiunt.

Candiam Novam

1660. ſtigio Candiam Novam aggredi, quo paucos ſe ex fuga recepiſſe animadverterat. Et approbantibus cum ducibus aliis, tum Principe Almerico, agmine compoſito ſubibant ad oppugnandum. At certam victoriam prope e manibus ducis eripuit militum avaritia. Priuſquam vacua caſtra prætervehérentur, ab prædæ aviditate ingreſſi ſunt pauci primo, deinde plures, tandem omnes, nequicquam revocantibus centurionibus & tribunis. Dum belli immemor id quiſque agit, ut plurimum ad ſe rapiat: ſubito deſcendentes ex colle, qui angulo poſtremo caſtrorum ex propinquo imminebat, equites Turcæ non plus triginta, eos qui ibi prædabantur, terruere. Temere his clamantibus, *adeſſe hoſtium exercitum*: cum vocem eandem redderent protinus alii ſuper alios, ignari licet quæ, aut unde vis eſſet; momento tantus cunctis incuſſus eſt metus, ut, præda armiſque abjectis, fugam paſſim ſine reſpectu arriperent; quæ ab ducibus nec imperio, nec auctoritate, nec ad extremum precibus ſiſti potuit. Occaſioni non defuerunt Turcæ. Pars effuſi portis Novæ Candiæ, alii ex vicinis ſaltubus, quo paulo ante trepidi perfugerant, ſubito erumpentes; magno ululatu in fugientes invehuntur. Et prope uſque ad Candiam continenti curſu perſecuti, noviſſimos, ut quoſque adepti ſunt, cecidere. Fuerunt hi ad mille & trecentos: centum novem conferta in munitionum anfractibus turba obruti obtritique ſunt, aut in urbis foſſam ſe præcipitaverunt amentes pavore; cujus non ante finis fuit, quam tutos ſe mœnibus cernerent. Tum autem ad ſe cum rediiſſent; dolere omnes, non virtute hoſtium, ſed timore, quem finxiſſent ipſi ſibi, tantum ignominiæ acceptum: invicem incuſare: fateri merito iratos duces; vixque conſpectum eorum præ pudore ſuſtinere: voces etiam interdum exaudiebantur, *vellent actutum experiri, quid denuo eductis in prælium animi eſſet ad abolendum dedecus*. Et vero experiri decreverat imperator, qui accenſos ſua ſponte & numero præſtantes,

Adoriri ſtatuit Maurocenus.

Avaritia militũ cauſa cædis.

Metu vano cõſternatos, fugienteſque

perſequuntur Turcæ uſque ad Candiam.

tes, ſatis fideret fore certamine ſuperiores. Sed dum poſtero die inſtruit de integro eruptionem, accipit rediiſſe Novam Candiam copias Turcarum, quas repentino diſceſſu ex portu Amphimalo fuerat fruſtratus. Apparebat, ſi nihilominus perſtaret in conſilio, valde anceps diſcrimen futurum. Quapropter rem differre ſtatuit in auxiliorum adventum: tria nanque millia Germanorum, ſuper cohortes aliquot Italici generis, jam profecta Venetiis nuntiabantur. Quiete interim refecturus in urbe milites erat. Poſtquam contagione vulgabantur quotidie magis morbi, correptuſque ipſe in periculum venerat; ut primum potuit per vires, abducere inde eſt coactus. Abduxit autem Paron, miti cœlo inſulam: ubi tamen Princeps Almericus non plus corpore, quam animo æger ob res minus proſperas, extinguitur, anno ætatis undevigeſimo. Magnus mœror in exercitu fuit, magnumque juvenis ejus deſiderium; in quo eximiam indolem maturæ virtutis perſpexiſſent. Funus quam ampliſſimum ab imperatore, poſtea Venetiis ab Senatu factum: qui monumentum etiam poſuit in templo D. Franciſci, quod dicti Conventuales curant; monumentoque ſtatuam ſuperimponi juſſit. Quod antea tacite, id tunc propalam conqueri duces Gallorum, *impune illos ferre, quorum flagitio contracta eſſet calamitas ad Candiam Novam*. Legato præſertim Almerici inſtante atque urgente, quæſtiones decretæ. Erant indicia, *ab manipulis aliquot ſiniſtri cornu, quibus praerat injuſſus Antonius Barbarus praefectus roſtratarum, mali initium ortum. Dum proxime caſtra hoſtium ducerentur, vicinæ prædæ cupiditate illectos caſtra intraſſe: cæteros, ne exortes eſſent, idem feciſſe*. Quamobrem citatus Barbarus ad purgandum. Quod autem parere diu recuſaſſet: ſecutus imperator juris ordinem, ad extremum capite abſentem damnavit. Sed ille celeriter Venetias veniens, cauſatuſque ſuſpectum ſibi judicem imperatorem, apud XLviros capitales objectum crimen diluit; eorumque ſententia abſolutus eſt. Viſa culpa o-

1660.

Morbis in urbe graſſantibus.

concedit claſſis Paron inſulā.

Princeps Almericus ibi moritur.

Querela Gallorum.

Quæſtiones habentur.

Citatur Barbarus:

qui Venetias tradiciens, abſolvitur.

Digitized by Google

1660. mnis recidere in diei illius fortunam. Nec aliter vel a primo interpretatus fuerat Maurocenus ipſe; quem ad quæſtiones inſtituendas vix ægreque pertraxiſſet caſtrenſis querimonia: ut autem Barbarum damnaret, ad id coegerat ſpretum imperium vocantis ad dicendam cauſam. Ne quid ultra moveret hoc anno, effecit tum adventus auxiliorum expectatione tardior, tum morbus, quo gravi & diuturno rurſus eſt implicitus. Exitu vero autumni paulum confirmatus, diviſa claſſe, aliis Cytheram Tenumque, aliis Paron aut Melon inſulas attribuit ad hyemandum; ut & haberent omnes hyberna commoda, & navigia hoſtium, ſi qua commearent Cydonem, per occaſiones interciperent. Cæterum ob continuatos trium & viginti annorum labores imbecilla jam valetudine, & viribus infirmior, quam ut ſperaret ſuffecturas porro rebus gerendis; miſſionem ab Senatu petiit, impetravitque. Succeſſor datus Georgius Maurocenus; qui decem ante annis legatus in Creta fuerat. Exiguum numerum militum ea æſtate Cydonem miſerat Viſſirius curis intentus aliis. Ac, niſi quod triremes duodetriginta, ad coercendos Coſaccos deſtinatæ, tempeſtate perierunt in Euxino Ponto; evenit ubique conſilium. Exortam nanque rurſus ſeditionem militum in Minore Aſia compreſſit ſine armis; Suleimanno duce eorum necato, quem ſpe prœmiorum Conſtantinopolin pellexerat. Converſum inde in Tranſylvaniam, opinione etiam majora exceperunt. Acerbe ferens Ragotzius pulſum ſe poſſeſſione Principatus, collegerat per hyemem militum aliquantum: ſuderatque partem exercitus Turcarum, plus mille occiſis. Initio autem æſtatis, etſi haud amplius millia ſex armatorum ſub ſignis habebat, auſus eſt tamen cum quinque & viginti millibus confligere. Et arte ſic adjuverat vires, ut momento nequaquam parvo ſuperior eſſet. Veruntamen caſus adverſus victoriam repente tranſtulit ad victos. Inſtanti cedentibus Turcis, quorum ſeptendecim manu ſua interfecerat, cum

Succeſſor Mauroceno deſtinatur Georgius Maurocenus.

Ragotzius reparat bellum.

galea

1660.

Ex vulnere moritur.

Turcæ Varadinum adoriuntur, & expugnant.

Cæſar venit Tergeſte.

Venetorum ad eum legatio.

Legatio alia in Britanniam ad Carolum II.

galea excidiſſet, nudum caput plumbea glande icitur. Labentem ex equo extulere corporis cuſtodes in proximum caſtellum, ubi prope ſtatim expiravit: milites amiſſo duce conſternati, horrenteſque jam hoſtem, cujus modo cædebant terga, fugam capeſſunt. Morte Ragotzii confectum crediderant bellum Tranſylvani. Cæſari quoque erat pro haud dubio, recepturum ſe Comitatus duos, quos ille conceſſione Ferdinandi poſſederat in Pannonia. At ſpem decepit cupiditas Viſirii. Uſus occaſione, Halio Baſſæ imperat, ut junctis cum Bacchiano viribus, Varadinum e veſtigio adoriatur: quod oppidum oppugnatione duum ferme menſium expugnatum eſt; magno Pannoniorum dolore, qui ea trajecturum ad ſe bellum providerent. Miſerant hi quidem uſque a principio Viennam legatos oratum Cæſarem, ut opem obſeſſis ferret. Veruntamen Cæſar, qui ſatis putaret, arcibus occupatis, quas antea poſtularant, quieturos denique Turcas, non facile adducebatur, ut ea cauſa bellum ſuſciperet. Quare, dum non quam maturato oportebat, ſuccurrit, oppido potiuntur Turcæ. Profectus autem hoc ipſo tempore Vienna, ut Stiriam Carinthiamque & Carniolam inſpiceret, venerat Tergeſte. Oratores duos extra ordinem legerunt patres, equitem Andream Contarenum & Nicolaum Cornelium procuratores Marcios, ut illuc trajicientes gratularentur adventum. Legationem aliam paulo ante decrerant in Britanniam. Angelus Corrarius & Michael Maurocenus equites miſſi gratulatum Carolo Secundo; quem opera præſertim Monchii, Scotorum exercitus imperatoris, regem Britanni ſalutarant. Lætum Principibus & populis Europæ omnibus acciderat, ortum regio ſanguine, regis filium, infando ſcelere ſuorum interempto patre, extorrem tot annos egentemque, tandem paternum regnum recuperaſſe. Fecit inſuper ipſe, quo minus præterita dignus fortuna videretur. Nam cum pluribus aliis ingentem oſtendit animum, tum data inimicis venia,

1660. extra parricidas paucos, qui tuliſſent ſententiam capitis in Carolum patrem. Prope amentes gaudio Britanni, ut nata gens eſt præ cæteris immodice odiſſe, aut favere, rem celebraverunt: nonnullorum etiam effoſſa cadavera, Cromuelli ante alios, perque urbem raptata & ſuſpenſa patibulo. Hoc eodem anno venit ad finem bellum inter Svecos & Polonos; cui, præter Daniæ regem & Cæſarem, Elector Brandeburgicus & Belgarum Civitates ſe immiſcuerant. Duo potiſſimum impulere, pax ut componeretur; unum, mors Guſtavi regis Svecorum, cui ſucceſſerat Carolus filius quadrimus: alterum, quod conveniſſet ad Pyrenæos montes inter Gallos & Hiſpanos, ut recte ſervarentur condiciones pacis pactæ in Vveſtphalia; armis autem cogeretur, quicunque recuſaret. Fuerunt leges ſummæ, *ut Sveci & Poloni redderent invicem occupata: omniaque ut eſſent ſtatu eodem, quo fuerant ante bellum*. Hæc alibi cum agerentur: in Gallia conjugium Ludovici & Mariæ Thereſiæ pacem firmarat. Dum tempeſtas anni ſineret ſponſam cum rege patre ætatis jam ingraveſcentis ad Pyrenæos accedere; interim Ludovicus obibat per otium provincias ſuas, valde utili ubique adventu. Per inteſtinos motus regni, perque bella cum externis, multa populi peccarant fiducia impunitatis contra auctoritatem regis. Hugonottæ potiſſimum & condiderant paſſim templa, & loca nonnulla aggeribus caſtelliſque ſepſerant: Maſſiliæ vero & Arauſione munitiones magni operis excitarant, quæ præſidio eſſent imperium detrectantibus. Terrore præſenti perculſæ Civitates regium militem accepere: & illico munimenta paſſim everſa, ſtrataque templa. Triſtius conſultum in Maſſilienſes. Provincia hæc erat Ducis Mercurii; qui, ut expoſitum alibi eſt, Cardinalis Mazzarini ſororis filiam habebat in matrimonio. Ut igitur inſigne documentum Cardinalis ſtatueret, ne quis in poſterum faceret minus verecunde erga affines ſuos; millibus octo armatorum repente miſ-

Pax inter Svecos & Polonos.

Ludovicus perpacat regnum.

ſis

Digitized by Google

ſis Maſſiliam, mœnia locis dirui pluribus voluit, adimi populo arma, perque vias paſſim figi cruces; tum vero edita parte urbis ædificari arcem cum propugnaculis, quæ valido militum præſidio firma, ſpem in perpetuum præcideret novandi res. Priuſquam reges ad Pyrenæos ſubirent, tenuit inter legatos controverſia non levis de finibus Ruſcinonenſis tractus; qui niſi pangerentur, condicio vetabat pacis, reddi Rhodam: hanc autem reddi antea placuerat, quam nuptiæ fierent.

Diſceptatio de finibus Ruſcinonenſis tractus.

Cum, prout utrique expediebat, varie terminaretur regio, diuque neuter concederet alteri; auctor erat legatus Gallus Lionnæus, arbitrum aliquem ut ſumerent. Nanium vero eligebat, oratorem Venetum. Sed Hiſpani pertæſi moræ, finiri diſceptationem maluerunt arbitratu Mazzarini: qui, ne pateretur vinci ſe officio, utilitate poſthabita, Hiſpanis adjudicavit, quam finium partem ſibi maxime cuperent.

Finitur arbitratu Mazzarini.

Ad montes tunc convenere Philippus cum filia, & Ludovicus cum matre, Philippi ſorore.

Ad Pyrenæos conveniunt reges.

Non ſemel congreſſi ad colloquium reges & regina mater in inſula, ubi priore anno conventus habitus de pace fuerat. VIII. autem Id. Junias magnifice celebrantur nuptiæ pro utriuſque fortuna regis; mortalibus undique ex Gallia atque Hiſpania eo effuſis, ut ex re clara expectataque gaudium etiam haurirent oculis.

Nuptiæ celebrantur.

Antequam inde abſcederetur, actum eſt de finiendo bello inter Hiſpanos & Luſitanos. Condicionem ferebat Philippus: *Ut Alphonſus* (is tunc rex Luſitaniæ erat, in tutela matris, nondum per ætatem regni potens) *cederet regno. Ceterum veniam pollicebatur præteritorum; relicturum ſe Brigantinis Ducibus paterna atque avita bona; conceſſurum præterea, ut major ejus familiæ natu proregis perpetui titulo uteretur.*

Non convenit inter Hiſpanos & Luſitanos.

Luſitano contra ſtabat ſententia regnum retinere: non recuſabat tamen profiteri beneficiario ſe nomine poſſidere ab rege Caſtellæ; cui promittebat tributum annuum, decies centena millia nummum argenteorum, quatuor millia peditum, inſtructaſque naves octo celſioris

Digitized by Google

1660. ris formæ. Neutris remittentibus, media condicio ponebatur ab pacificatoribus Gallis: ut Alphonſus Braſiliam haberet, titulumque Algarbiæ regis. Ne hoc quidem impetrari a Philippo potuit; cujus averſum animum ab Luſitanis, privato odio ſuo actus Haroſius faciebat implacabiliorem. Quæ res iis cum exemiſſet prorſus dubitationem, quin diu bellandum ſibi cum Hiſpanis foret, agere ſtatim de fœdere cum Carolo Britanniæ rege cœperunt; ſimul omni ſtudio Ludovicum ſibi magis conciliare: a quo poſt aliquanto non ſolum data facultas ſcribendi in Gallia militem, ſed etiam copiæ aliæ in Luſitaniam deſtinatæ: at ita, quaſi privatus duceret Mareſchallus Turennius, quo minus deforme eſſet, malique exempli, vix pacta cum Hiſpanis pace, denuo ordiri contra eos bellum. Secundum legatos Luſitanos Venetus orator auditus eſt Nanius. Negotium huic dederat Senatus, conferret cum regibus conſilia de Cretico bello; peteretque, ut conſociarent arma adverſus Turcas. Cauſas executus eſt, *quamobrem, compoſita tandem pace, cujus maxime ſpe tot annos Veneti tolerarent bellum grave, curam ipſi ſuſciperent periculi propulſandi, quod magnum immineret Chriſtianis populis: Hiſpanorum potiſſimum agi rem*, oſtendebat, *pro quibus Venetus, Cretam defendendo, dimicaret; & in quos, Creta amiſſa, moles deinceps inclinatura Turcici belli videretur*. At, quidquid anniteretur Nanius, non ultra permoti ſunt, quam ut tantiſper deliberarent inter ſe de mittendis claſſibus, quæ oram Africæ diviſis partibus popularentur: ſic enim ulturos ſimul injurias, quas ab Afris prædonibus ſubinde accepiſſent, ſimul ſocialia inde auxilia averſuros ab Turcis. Verecundia Gallo minor erat negandi in præſens opem aliam; qui, Principibus ceſſantibus cæteris, ipſe quamvis amicitia vetere cum Turca junctus, propalam militum jam aliquid dediſſet. Recipiebat, daturum ſe numerum majorem, ſi Pontifex aliique, quorum pariter intereſſet infringi vim Turcarum, adjuvarent pro virili. Sequenti anno nihilominus argenteos num-

Legatus Venetus Nanius auxilia petit a regibus.

Minus proficit.

nummos centies mille numerari juſſit, quorum pars tertia tribueretur militibus Gallis in Creta, reliquum verterent patres in uſum belli arbitrio ſuo. Hiſpanus Luſitanicum bellum excuſabat. Id ubi primum confeciſſet, prolixe naves, arma, homines pollicebatur. Pecuniæ modo aliquantum viſus ſpondere in annum venientem, ut & militum, quos Veneti ſciberent in Neapolitano regno atque in Sicilia: quorum tamen neutrum præſtitit. Anno extremo Venetiis mortem obivit Auguſtinus Vianolus magiſter ſcribarum: Magnum Cancellarium dicunt honorem hunc, ſupremum eorum, quos capiat ordo civium, proximum dignitati patriciorum. Summa conſenſione ſufficitur Jo: Baptiſta Ballarinus, propter egregiam operam, quam Conſtantinopoli inter angores corporis animique navabat reip. ſolutus lege, quæ abeſſe vetat urbe Venetiarum gerentem magiſtratum hujuſmodi. Per idem tempus Pontifex Cardinales octo creavit, in quibus Venetum unum, Gregorium Barbadicum, Epiſcopum Bergomatium, celebrem in primis fama ſanctimoniæ & doctrinæ. Eam ob rem Romæ ab oratore Veneto Senatus verbis gratiæ actæ Pontifici. Nihil is prorſus anno, qui inſequitur, auxilii contulit, cauſatus, ut alias, ærarii anguſtiam & magnitudinem æris alieni. Suppeditandæ quidem pecuniæ ingrediebatur viam eandem, quam quadriennio ante; ut Ordinibus Cœnobitarum quibuſdam ſuppreſſis, bona publicarentur, quæ in Venetis terris poſſiderent. Nec pro temporum difficultate abnuebant patres. Verum ubi ſibi poſtulabat velut mercedem, ut jus eſſet Clericis ditionis Venetæ prædia & fundos acquirendi; id quod, graves cauſas ſecuta Civitas, quinque & ſexaginta abhinc annos interdixerat lege in perpetuum: juſſerunt Sagredum oratorem omittere mentionem ſubſidiorum, quæ nonniſi peſſimo publico impetraturi eſſent. Ea opportunitate perlibenter uſus Alexander, ne triremium quidem quidquam hoc anno in Cretam decrevit. Dati modo ab Cardinali Barbari-

1660.

Jo: Baptiſta Ballarinus creatus magiſter ſcribarum.

Gregorius Barbadicus Cardinalis.

1661.

Gratias Pontifici agit Senatus: qui nihil auxilii impetrat ad bellum.

1661. barino mille modii frumenti: Cardinalis autem Spada legavit moriens decies mille argenteos nummos. Curæ interim fuerat Senatui, ut novus imperator Georgius Maurocenus cum ſupplemento & pecunia mature admodum Venetiis proficiſceretur; juſſus inter alia occaſioni non deeſſe recuperandæ Cydonis, ſi quam ſtudia oppidanorum præbuiſſent. Metuerat id ipſum Viſſirius; qui

Viſſirius intentus retinendæ Cydoni.

ita in Pannonia gerere conſtituerat bellum, ut ſimul capta de Venetis in Creta retineret. Quapropter interfici voluerat Suleimannum Baſſam; quem ſævitia imperii avaritiaque exaſperare in dies magis animos audiebat Cydoniatarum. Surrogatus Franc-Mahumetes Luſitanus, Chriſtianæ deſertor religionis: qui per hyemem triremibus decem trajiciens Cydonem & veniam illis dedit, qui contacti ſcelere attentatæ defectionis ferebantur; nec quemquam triſti, ſicut ante, ſervitio premi eſt paſſus, ut opinione clementiæ & juſtitiæ omnes ſibi conciliaret: Cum Cydonem peteret, agilitate navigiorum eluſerat partem Venetæ claſſis ſtantis ad Cytheram. Quod ubi cognovit Maurocenus, profectus eodem ipſe eſt, ut cuſtodia intentiore caveret ne quid auxiliorum a Turcis miſſum deinceps falleret. Inde cum per ſpeculatoria navigia comperiſſet, viginti Ægyptiorum naves milite refertas & commeatu, Lybico mari ad urbem eam tendere: obvius improvidis ut eſſet, ſolvens Cythera, con-

Maurocenus adoritur 20. naves hoſtium ad Cadiſcum.

ſtitit circa Cadiſcum promontorium. Illinc in prætereuntes ſubito invectus, primo ſtatim impetu ſic turbavit, ut in fugam conjiceret. Ac tantiſper connixus ſequendo, quia velocitate præſtabat navium, potiturus videbatur. Verum deſperantibus jam effugium ſaluti fuit exorta repente nebula. Conſpectu enim adempto, dum ſubſiſtere Venetus cogitur; illi nihil propterea curſum remittentes evaſerunt. Pars Rhodum inſulam, cæteri Peloponneſum fuga delati ſunt. Navis modo una, Venetis triremibus forte immixta, ſimul ac primum diſcuſſa caligo aperuit diem, parvo certamine capitur. Tum

Nebula iis ſubſidio eſt: qui tamen navem unã amittunt.

Mau-

Maurocenus novo imperatori claſſe tradita, Venetias red- 1661.
it: ubi adventu ſuo convertit in ſe Civitatem, cupi- *Mauroce-*
dam noſcitandi de facie, quem fama tantum & factis *nus redit*
notum ad præfecturas omnes militares, atque ad impe- *Venetias.*
rium tandem ſummum armorum provexerat. Severus ad continendam vindicandamque militis diſciplinam, ut ferme ſolet, in aliquorum incurrerat malevolentiam. Quare appetitus mox falſo crimine eſt: viſumque Sena- *Appetitur*
tui mittere extemplo in Cretam Stephanum Magnum, *calumnia.*
qui de male adminiſtrato imperio, quod illi objiciebatur, quæſtiones diligenter exerceret. Comperta is omnia paulo poſt cum retuliſſet; non ſolum abſolverunt cunctis ſententiis Maurocenum, ſed etiam damnarunt ca- *Abſolvitur.*
lumniæ qui accuſarant. Interea imperator luſtrarat claſſem ad Cytheram; quo non multo poſt triremes pervenere Melitenſium ſociorum. Agitanti concilium affertur, duodeſexaginta roſtratis, & multitudine onerariarum egreſſum Helleſponto Halium, triremes duodecim inſularum Ægæi maris ad Tenedum ſibi adjunxiſſe. Pro certo erat, quamprimum navigaturum Cydonem: ergo nihil cunctanter occurrit. Sed moram attulit tempeſtas; quæ adorta non procul inſula Melo, repulſum concedere in Amphimalum ſinum coegit. Ut in- *Novus imp.*
tellexit ad Erythras ſtare hoſtem colligendis militibus, *Mauro.cenus nequicquam per-*
imponendiſque in onerarias commeatibus intentum, rur- *ſequitur*
ſum ſolvit; magna ſpe, ſi impedito ſuperveniret, eam *Halium;*
optimam ſibi occaſionem fore gerendæ rei. Præſenſit Halius, recepitque ſe penitus in Chii portum: cujus fauces dum modico illinc ſpatio inſtructa claſſe Venetus obſidet; ingruens in Turcas peſtilentia gravis, magnum numerum remigum militumque exiguo tempore abſumpſit, ac præter duces alios ipſum Halium. Auſus filius ejus noctis ſilentio ſe proripere triremibus triginta: qui- *qui Chii moritur.*
bus tranſmittens Conſtantinopolin, cum ut patri ſuccederet impetraſſet; denuo evehitur freto in Ægæum, auctus triremibus aliquot: inde autem contendit inſulam

1661. Tenon, hoſtibus ad Chium obſidendo occupatis, arcem tentaturus. Verum Maurocenus, ubi exiiſſe Helleſponto eum accepit, id quod erat ſuſpicatus, diviſis copiis, partem relinquit ad portum porro claudendum; ipſe claſſe reliqua Tenon petit.

Turcæ exſcendunt in Tenon inſulam.

Deſcenſionem fecerant Turcæ: ac quamvis ſtrenue vim arcente Franciſco Gritto, qui præſidebat, ſubibant undique ad oppugnandum.

Adveniente Veneto, fugiunt.

Ut videre procul claſſem Venetam, omiſſo protinus incœpto, ad naves redeunt: tantaque cura fuit approperandi, ut multos ſuorum in littore desererent; qui mox circumventi ab inſulanis ſunt captique.

Aſſequitur Venetus.

Fugientes diu inſecutus imperator: & jam aſſequebatur.

Quamvis aſpero mari, pugnam committit.

Sed hoc eodem tempore increbreſcente vento, fluctibus dubiis volvi cœptum eſt mare, ut regi triremes vix poſſent. Ea re tamen nihil ille deterritus, ſigno pugnæ propoſito, princeps ipſe in proximos invehitur: idem cæteri faciunt. Raro forma prœlii ſimilis traditur. Prope abhorret a fide, triremes uſque eo afflictatas tempeſtate, propemodum ut magnitudine æſtus mergerentur, nihilominus horas aliquot extendiſſe certamen. Jamque permixtæ claſſes abreptæ vento, prope acceſſerant ad inſulam Melon: cum ſuperior tandem Venetus ſeptem triremes hoſtium impellit in terram; una potitur imperator; unam Laurentius Cornelius Adriatici ſinus præfectus, duas ſocii Melitenſes expugnant: reliquæ fuga diſſipatæ ſunt.

Hoſtes ſuperat.

Cum parte Halius tenuit portum Cydonis; pars impactæ littoribus aliæ aliis, confractæque aut demerſæ: quinque Rhodum uſque, amiſſis armamentis, decurrerunt. Ex iis, quæ ad Melon perfregerant carinas, exſcenderant in terram Turcæ, ſeque vallo muniebant: at imperator, expoſito milite, undique circumſeſſos, fame mox ſubegit ad deditionem. Ad mille erant, inter quos tribuni ac centuriones nonnulli, & quinque trierarchi.

Maurocenus eques creatur.

Ob eam victoriam Senatus remuneravit honore imperatorem, dignitate equeſtri collata.

Præmium

Præmia quoque decrevit ducibus aliis, Melitenſiumque præfecto torquem aureum: quem

tamen

tamen is recuſavit. Sæpe alias ortæ offenſiones fuerant 1661.
cauſa prædæ; quamvis Veneti imperatores plus etiam
æquo ſociis tribuentes, id ſemper caviſſent ne forte
maligne ſecum participatam quererentur. Tunc fremebant
ereptam ſibi, atque haud exiguam. Triremem Turcicam
uno tempore inſequebantur duæ, imperatoria Venetorum,
& una Melitenſium. Aberat non longe, quin Veneta indipiſceretur; cum ab Turcis albo vexillo ſublato, deditio facta eſt: imperator autem militari more nautico ſignum dederat, accipi eos. Aſt Melitenſes nihilominus ſubeuntes, inque deditam inſilientes triremem, tanquam in captam, cæſis Turcis pluribus, cæteris catenas injiciunt. Viſa Mauroceno agi ſimul fides, ſimul dignitas imperii, non violari jam deditos. Ergo milites ſuos & Laurentii Cornelii, cujus navis propter erat, jubet e veſtigio repetere triremem. Rem illi executi licentius: ut contemnentes, objurganteſque, expellerent inde cuſtodias Melitenſium, unum etiam aut alterum dejicerent in mare; captivos quoque eorum aliquot, quos e trireme ſua ſtatim admiſcuerant novis captivis Turcis, ſibi retinerent. Id pati animo periniquo non diſſimulavit præfectus. Et ab ira, imperatore inſalutato, triremes ſuas domum repente abduxit. Pars altera claſſis Turcarum, quæ in Chii portum abdiderat ſe ſe, coactis hyeme appetente Venetis abſcedere, tum denique egreſſa eſt, reditura Conſtantinopolin. Interea Antonius Priolus præfectus navium celſiorum, inter Carpathum inſulam & Samonium Cretæ promontorium, ſeptem onerarias hoſtium bellicum inſtrumentum ferentes in Cretam adortus, tres ceperat, reliquas in terram actas incenderat. Naves deinde majores duas onuſtas milite & commeatu prope Rhodum conatu non levi expugnavit: potituſque haud inde procul quinquereme etiam una eſſet, qua milites quadringenti vehebantur, ni portus perfugium præbuiſſet. Ita male habitis in Ægæo Turcis, claſſis Venetorum univerſa incolumis de-

decretum a Senatu recuſat ductor Melitenſium.

Cauſa offenſionis.

Inſalutato imperatore, abit.

Ant. Priolus naves complures hoſtium intercipit.

Digitized by Google

1661. ducitur hybernatum. Mari Jonio tamen ad inſulam Paxon naves amiſſæ duæ graviores, quibus portabantur cataphracti equites centum, ducenti pedites. Afræ naves formæ ejuſdem quinque in eas invectæ, poſt acre certamen ſubegere; præter milites qui ſuperfuerant pugnæ, Sfortia Biſſaro, & Leonardo Verlato ducibus cataphractorum captis. Qua æſtate hæc ſunt acta in Græcia, parabatur a Turcis ſumma vi adverſus Cæſarem bellum: inchoatumque etiam foret, ni intervenisset mors Viſſirii. Jam pridem Conſtantinopoli proceres querebantur, occaſionem non unam proferendi in Polonia & in Pannonia imperii elapſam ſibi per Creticum bellum. Tunc, ut res in Tranſylvaniæ finibus ſe ſe dederant proximo anno, novam oblatam opportunitatem putabant, qua Pannoniam Superiorem ſub jus ditionemque redigerent. Eo trahi quidem utcunque bellum cum Venetis placebat, quibus fatigandis ſatis fiderent Candia ſe tandem potituros per pactionem: cæterum pro ſe quiſque regi ſuadere, ut quamprimum maximam partem virium verteret in Pannoniam. Poſtquam princeps quoque Viſſiriorum idem cenſebat; ſecutus rex conſilium, Hadrianopolin venit, ut belli apparatum præſens urgeret. Ducere copias ſtatuerat Viſſirius ipſe: qui ad præſtruendum, ne quid minus tutum ſibi ab Tranſylvania eſſet, poſtulare minaciter a Civitatibus ut arces traderent nonnullas, præſidio Turcarum obtinendas; Bacchiano autem, quem habere cœpiſſet ſuſpectum, gravia multa imperare, ut ſponte abdicaret Principatu: quod cum feciſſet, Joannes Chimenius ab Civitatibus ſuffectus eſt. Occupari continuo armis Albam Juliam jubet; ireque Tartaros ad vaſtandos fines intimos, quo populos redderet obedientiores populationum terrore. Hæc ſolicitudinem ingentem injecerant Cæſari, ad quem legati ab Civitatibus ventitabant, auxilium anxie orantes. Imminere haud dubie apparebat bellum. Cœpta igitur ut moraretur Turcarum, millia aliquot militum maturavit mittere in Tran-

Naves duæ Venetæ ad Paxon capiuntur ab Afris.

Bellum in Pannonia cogitant Turcæ.

Bacchiano ſufficitur Tranſylv. Princeps Chimenius.

Turcæ potiuntur Alba Julia.

Tranſylvaniam duce Montecucculo. Tempore eodem 1661. ſimul hortabatur Germanos Principes & Civitates, ut conſociarent vires ad defendendam Pannoniam, quæ una tutam Germaniam ab incurſionibus barbarorum præſtaret: ſimul per Aloyſium Matthæjum legatum ſuum extra ordinem a Principibus Italiæ, ſubſidia ut conferrent, petebat. Sed, ut egregiam voluntatem profiterentur omnes; neminem tamen periculum permovit, quod longe ab ſe abeſſe quiſque crederent.

Cæſar auxilia quærit undique ad imminens bellum.

Viſus Pontifex duntaxat magnopere id curare. Nam & pro parte ſua virili adjuturum ſe promiſit; & literas dedit ad Galliæ, Hiſpaniæque reges, ac Senatum Venetum, quibus ad faciendum fœdus cum Cæſare ſecumque excitabat.

Adjuvat tantum Pōtifex:

Interim Jubilæum promulgat ad numen divinum propitiandum: decumaſque ſex imperat redituum ex ſacerdotiis cunctis in Italia, exceptis iis, quæ in Venetis terris eſſent; qua pecunia Cæſar ad bellum uteretur. Pronis auribus audivere vocantem ad ſocietatem fœderis.

qui hortatur reges ad fœdus contra Turcas.

Senatus ſanciendo præficit Petrum Baſadonnam oratorem Romæ ſuum: inde Galliæ rex Cardinalem Antonium Barbarinum, poſteaque legatum alium extra ordinem Obevillæum; rex vero Hiſpaniæ Aloyſium Ponce-Leonium, jam ibi legatum. Ac Senatus quidem ſyncera fide agebat, paratus fœdus jungere in condiciones, quæ ſibi prodeſſent ad bellum Creticum.

Legati deſtinantur.

Verum erat alibi haudquaquam ſimplex habitus animorum. Species modo quærebatur ab regibus, ne prorſus negligere diſcrimen Pannoniæ viderentur. Cæterum putabant Galli, nihil ſibi minus expedire, quam ut contra Turcas arma ſociarent cum Auſtriis, quibuſcum aut bella aut cauſæ ſuſpicioneſve bellorum perpetuo eſſent. Hiſpani autem cura occupati recuperandæ Luſitaniæ, tantum aberat ut novum ſuſciperent, etiam omni ope occulte extimulabant Cæſarem ad avertendum condicionibus certamen cum Turcis; quo ſibi viribus omnibus opem ferre, cum uſus poſceret, adverſus Gallos Luſita-

Animus regum.

Digitized by Google

1661. ſitanorum ſocios poſſet. Qualem hi optabant exitum, res tunc habuit.

Romæ lente agitur de fœdere.

Egreſſo Pontifice ruſticatum, ſero admodum agi cœptum de fœdere. Apud Cardinalem Ghiſium congregarunt ſe Cardinales aliquot a Pontifice jam deſtinati; itidem Cardinalis Antonius Barbarinus pro rege Galliæ, oratores duo, Hiſpanus & Venetus, tum Matthæjus legatus Cæſaris. In eo conventu de cauſis fœderis deque laudibus Pontificis, qui ſuſcepiſſet curam illam, non una præfatus ampla eſt Cardinalis Franciſcus Barbarinus. Eandem in ſententiam Cardinales certatim alii, oratoreſque pluribus diſſeruere. Aſt mentio nulla tunc facta de legibus ſocietatis; ne forte contentio oriretur inter legatos regum, qui primus quive ſecundus in medio proponeret. Dimiſſo concilio, placuit ut legati ſinguli ſeorſum traderent Cardinali Ghiſio ſcriptas condiciones, in quas paciſcendi poteſtatem permiſiſſet rex cuique ſuus. Quia autem res longius trahebatur: auctor erat Matthæjus, ut fœdus interim ſanciretur inter Pontificem, Cæſarem, & Venetos. Quod conſilium, quanquam diſplicebat legato Hiſpano, tamen non aſpernatus Cæſar, per Joannem Sagredum oratorem Venetum Viennæ explorat, quæ Senatus voluntas ſit. Reſcripſere: *ſi Pontifex fœderi nomen daret, ſique Cæſar decerneret utique tueri ſua armis, nullam ſe moram jungendæ ſocietati facere*. Veruntamen Pontifex gloriam quidem cupiebat, ad ſe perventuram, ſi opera ſua in fœdus reges conſenſiſſent: at gravabatur belli ſumptus ſubire. Cæſar quoque libenter ducebat tempus; ut qui, ſi poſſet vitare

Intentus Cæſar in occaſionem declinãdi belli,

bellum, vel cum jactura aliqua pacem mallet. Quocirca haud multo poſt, Turcis ſimulantibus ſtudium idem non diſcindendæ amicitiæ, quo imparatiorem opprimerent;

legatũ mittit Conſtantinopolin.

legatum mittit Conſtantinopolin ad diſceptandum, Jo. Philippum Pereſium; Montecucculum etiam ex Tranſylvania revocat: ubi Viſſirius, ad populos diſtrahendos in factiones, paulo ante novum Principem eſſe

Abaffius Princeps Tranſyl.

juſſerat Michaelem Abaffium, pollentem ibi opibus, ſibique

Digitized by Google

bique fidum in paucis. Dum nequicquam de ſocietate 1661. agitur Romæ, Cæſar vero vanam pacis ſpem ſecutus, ſegnius bellum parat; præbita occaſio rei gerendæ Turcis foret, niſi cunctationem attuliſſet morbus Viſſirii, quo demum interiit. Mortem ejus tulit rex permoleſte: qui & præter morem ſæpius inviſit decumbentem; & facile paſſus eſt ab ſe impetrare, ut Achomatem filium valde juvenem, raro exemplo, ei ſurrogaret. Ferunt a moriente accepiſſe admonita hæc, pro natura regni illius, ſalubria: *ne conſilia audiret mulierum* (reginam autem matrem potiſſimum deſignabat) *ne ſineret privati ullius fortunas creſcere ultra modum: ditaret undique quam maxime ærarium: quam minimum ceſſaret ab armis, ne ſuorum dilaberentur vires, hoſtibus timor decreſceret.* Vir fuit ingenii magni, regno regique utilis: jure factis laudandus, niſi plerunque malis artibus, crudelitate præſertim, clam palam graſſatus eſſet. Incidit in hunc annum mors Julii Mazzarini Cardinalis. Curis laboribuſque confectus, præmature ſibi adhuc vigenti ætate, alieno Galliæ tempore, quippe adoleſcente rege, extinguitur. Vitæ actæ ſimilis exitus fuit. Lapſus in morbum, ubi ſenſit finem vivendi adeſſe, tum vero æquabilitate ac fortitudine uſus, & de privatis rebus ſuis conſtituit, & collocutus eſt graviter cum rege de publicis, quas ſcire eum & moneri, intererat regni. Scripſit etiam ad Pontificem verbis ſupplicibus, ut infenſum reconciliaret: eidemque legavit ducenties mille argenteos, quos judicio ſuo erogaret in bellum Turcicum. Defixus inde in cogitatione una rerum immortalium, ſignificatione magna pietatis erga Deum; deceſſit, undeſexageſimum natus annum. Ab exiguis initiis ad alta provexit natura quædam in eo eximia, cui non induſtria, non fortuna defuere. Adminiſtrationem ſummam regni, temporibus turbulentiſſimis, æquavit conſilio & opera. Inter odia in ſe potentum, & factioſorum armatas acies ita verſatus eſt, ut ſtaret auctoritas & dignitas regis incolumis: ipſe

Imponitur ab Viſſirio:

qui moritur, utilia regem monens.

Achomates filius ſuccedit.

Julius Mazzarinus Card. obit.

Elogium ejus.

1661. ipſe conflictatus adverſis, proſcriptus & exul, retinuit tamen conſtantiam: mox reſtitutus, ſi unquam ante alias, maxime tunc in honore fuit; ut non Galliæ ſolum, ſed etiam Europæ propemodum totius arbitria unus ageret. Excelſus inerat animus, appetens imperii famæque, munificus, liberalis, quem ſibi non difficulter placarent inimici; cautus idem, ne uſpiam offenderet; ſolers apprime ad tegenda, quæ mente agitaret; facundus, comis; decorus etiam majeſtate, quam vultus gravitaſque oris præ ſe ferebat. In tot virtutibus atque tantis, facile creditur, fuiſſe habiturum minimum invidiæ ejus, qua diu periculoſeque flagravit, niſi adjeciſſet ſubinde flammam ipſe multitudine tributorum; quæ poſcebant bella, & unde opinio erat ditare ſemet: quod opes arguant ferme in immenſum privatim auctæ, & ad ſuos aggeratæ. Mors cum inſtaret, fatenti ingenue locupletatum ſe de regni re, petentique ab rege præſente, ut pro cætera magnitudine ſua faceret gratiam debiti; libenter feciſſe tradunt bene de ſe merito, deque univerſo regno: cujus utilitatibus etiam longe in poſterum providerat. Etenim ſpe cum deſtinaſſet, per connubium cum Maria Thereſia aliquando perventura ad Gallos Hiſpaniæ regna, quod ætas noſtra vidit: non dubitavit, Gallis ipſis invitis ac repugnantibus, cum periculo ſuo, perſtare in bello; ut feſſum malis Philippum ad nuptias eas compelleret. Potitus propoſito, felix obivit conſummata gloria. Exinde autem Ludovicus regnum per ſe moderatus eſt. In Hiſpania per idem tempus moritur princeps Miniſtrorum Ludovicus Haroſius, vir & is quidem prudentia magna; ſed quem decepit plerunque fortuna. Auctor continuandi belli Luſitanici, e vita tunc exiit, cum Philippum regem non depoſiti minime dubie pœniteret. Extulerant nanque animos Luſitani, qui non ſemel congreſſi ad prœlium, Caſtellanos nequaquam parva cæde viciſſent: rex autem Alphonſus nova ſibi compararat ſubſidia, collocata in matrimonium

Decedit Haroſius.

ſoro-

Digitized by Google

ſorore Carolo Britanniæ regi; cui dotis nomine inter alia Tingin tradiderat, arcem permunitam ad fretum Gaditanum. Hæc quo eſſent Philippo triſtiora, fecit noviſſime filii mors, quem alterum ſuſceperat: nam majorem natu jam tum amiſerat, cum conventus de pace ad Pyrenæos montes haberetur. Paulo poſt tamen ſolatio fuit natus filius alius Carolus; quo tempore, atque iiſdem ferme diebus in Gallia Delphinum peperit Maria Thereſia, lætitia utrobique ſumma populorum. Excipit annus vix ulla bellica re memorabilis. Novus Viſſirius Achomates lentius parans quæ opus erant ad invadendam Pannoniam, dum dignitatem ſibi firmaret adverſus illos, qui minorem annis & meritis haudquaquam parem prælatum ſibi indignabantur: ſpatium dederat Principibus Chriſtianis ad conferendas in unum vires. Sed quædam intervenere, quæ ſpem fœderis de integro turbarent. Non longe primo abfuit quin orta contentio Londini inter legatos regum Galliæ & Hiſpaniæ excederet in bellum inter reges ipſos. Cum rheda vecti proſequerentur Sveciæ regis legatum, Britanniæ regem tunc primum publice adeuntem: Hiſpanus partim armatis, quos ad id præpararat, partim favore in ſe populi adjutus, legato Gallo locum præripuerat, tenueratque vi uſque ad extremum. Incenſus ira Ludovicus, illico & Fuenſaldagnam oratorem Philippi dimiſit, & Fuentanum ejus ſucceſſorem vetuit ingredi regni fines: tum ſcriptis ad Philippum literis poſtulavit, ut ſine mora palam ſibi de injuria ſatisfaceret: ſi recuſaret, revocaturum ſe denunciabat Madrito oratorem ſuum; indicturumque bellum. Viſum Philippo molliter agere, ne commiſſo certamine irritaret juvenem regem, fidentemque fortuna. Propterea jubet ex Britannia redire legatum ſuum Battevillæum, ut de eo cognoſceret, pœnamque ſumeret, ſi meritus quam eſſet: inde autem ſic componit cum Ludovico: *ut Fuentanus, qua primum die Lutetiæ ad eum adiret, fidem daret, legatos Hiſpanos ubique cari-*

[Margin notes: 1661. — *Philippo filius moritur.* — *alius naſcitur Carolus.* — 1662. — *Diſſidium regis Hiſp. & Galliæ, cauſa legatorum ſuorum Londini.* — *Minæ Ludovici.* — *Leniter Philippus agit.* — *Diſſidium componitur.*]

1662. *carituros conventibus publicis, quibus Galli legati intereſſent, ne qua in futurum occaſio contentionum exiſteret*. Per diſſidia hæc cum mentio fœderis nulla Romæ fieret; conſilium Pontifici, & Cæſari, ac regibus afferebat Senatus, *Turcam interea maritimo bello adorirentur, ut a Pannonico ſuſcipiendo averterent:* memorabatque, *idem feciſſe Carolum Quintum contra Suleimannum regem, Viennam Auſtriæ prementem obſidione. Satis ad id fore ſexaginta triremes, ſex quinqueremes, quadraginta naves celſiores, ac numerum modicum onerariarum; peditum vero viginti millia, quatuor millia equitum; quæ celeriter parari poſſent cuncta. Ab ſe generis omnis navium inſtructarum partem maximam extemplo habituros, quibus ad tentanda, quæ communiter expedirent, uterentur*. Sed retardabat Pontificem metus impenſarum: Galli, ob quas ante cauſas, ſatis perplexe agebant: Hiſpani autem tacite improbantes, Cæſarem inſuper clam dehortabantur; quidlibet ei potius experiendum rati, quam ut bellaret cum Turcis. Romæ poſt aliquanto mora alia injecta rei eſt. Profiteri ibi rex Galliæ per legatum ſuum, *non paſſurum ſe exinde ab Cæſare & rege Hiſpaniæ nomen uſurpari Ducis Burgundiæ, Lantgravii Alſatiæ, & Comitis Ferretæ; quibus regionibus in conventu de pace Vveſtphalienſi, & ad Pyrenæos montes, jam ceſſiſſent:* itidem poſtulare, *ne ſe Cæſar amplius diceret Patronum & Caput Chriſtiani Imperii; tum ut, quotieſcunque reges Galliæ & Hiſpaniæ a Principibus appellandi eſſent, ne Hiſpanus Gallo unquam præponeretur*. Nihil hoc pertinebat ad Venetos, qui omni tempore primum locum Gallo tribuiſſent. Inire Pontifex conabatur rationem componendi apud reges alios; cum repente gravis offenſio exoritur inter ipſum & Galliæ regem, quæ ſpem in præſens fœderis præcideret. Viſus ſibi erat rex indiciis pluribus comperiſſe averſum ab ſe animum ejus: nam, quidquid peteret, fere non impetrabat. Ut contra ipſe quoque ageret durius, oratorem miſerat Romam Ducem Crequium, hominem vehementi ingenio; qui in maximis, minimis adverſando, negotium faceſſeret. Is

Conſilium Senatus de fœdere contrà Turcas.

Minus ſuccedit.

Rex Galliæ infenſus Pontifici,

deſtinat legatum Romam Ducem Crequium.

Is principio ſtatim diſceptare acriter de ordine & forma 1662. cœpit conveniendi conſanguineos Pontificis: quos, illata lite hujuſmodi, ab ſe valde abalienavit. Ac paucos poſt dies res funeſta incidit, quæ crederetur initium habere ab dolore illorum. Spatio modico ab ædibus Farneſianis, ubi Crequius habitabat, ſtatio erat militum ex Corſica. Hi verborum contumelia laceſſiti, fecerunt impetum in Gallos nonnullos: perſecutique uſque ad ædes, dum globos fiſtulis ferreis emittunt, non longe abfuit quin Crequium ipſum accedentem ad feneſtram, ut tumultum compeſceret, vulnerarent. Uno ferme tempore vecordi audacia vehiculum aggreſſi, quo ſedebat ejuſdem conjux, nobilem ephebum ex familia interficiunt. Suſpicatus eſt Crequius eveniſſe id tacito juſſu Marii fratris Pontificis, adjuvante Cardinali Imperiali urbis præfecto; præſertim poſtquam utrumque minus, quam oportebat, graviter commoveri ſenſit facinoris indignitate. Itaque metuens ne quid deinde fraudis in ſe quoque ſtruerent; numerum non parvum ſuæ gentis hominum contrahit, quorum tutus præſidio foret. Ubi vidit circumdari ædibus cuſtodias militum; propalam queſtus vim ſibi afferri, abiens urbe, conceſſit Fanum S. Quirici in Hetruriæ finibus. Fruſtra adnixus Venetus orator Baſadonna, ut protinus reconciliaret. Nam Pontifex quidem miſit ad Crequium, qui excuſaret factum: literas quoque in eandem ſententiam ſcripſit ad regem. Veruntamen iræ majores erant, quam ut leniri purgando verbis poſſent. Mirum quantum res nunciata regem indignatione accenderit. Legatum Pontificis Piccolomineum illico jubet Gallia excedere: petit ab rege Hiſpaniæ, ne qua re Ghiſios juvaret: daret ut iter per Inſubres exercitui, quem duce Mareſchallo Pleſſæo mittere in Italiam ad ulciſcendum parabat. Etiamſi Pontifici plus minarum, quam periculi eſſe videretur: nihilominus Abbatem Roſpilioſium & Præſulem Raſponum ire placuit ad Crequium, qui accuratius excuſando mollirent ani-

In familiares eius facinus audent Corſi milites,

ut & in coniugem eius.

Crequius urbe egreditur.

Excuſatio Pontificis.

Ira regis.

Pontifex denuo excuſat fruſtra.

1662. animum; ita tamen ut, quod ad ſatisfactionem, nihil certi pronunciarent. Suadentibus oratoribus Hiſpano & Veneto, ut advenienti malo, omiſſis ambagibus, quamprimum occurreret: paſſus eſt Cardinalem Imperialem abdicare ſe præfectura urbis. Sed e veſtigio cum legatum eundem deſtinaſſet in Æmiliam; exulceratum injuria regem magis exaſperavit. Ergo Liburnum ſe contulit Crequius: ubi poſt moram aliquam, ſi forte a Pontifice ſatisfieret; mari in Galliam denique rediens, poſtulata regis hæc edidit ad illum perferenda: *ut Marius Ghiſius Senas exulatum iret: ut Cardinalis Ghiſius mitteretur Lutetiam ad veniam petendam ab rege: ut Imperialis Cardinalium ordine moveretur: ne milites ullos Corſos in poſterum Pontifices Romani haberent: utque in area ad ædes Farneſianas columna lapidea poneretur, inſcripta literis, monimentum quod eſſet deteſtandi commiſſi: inſuper autem ut Farneſiis Caſtrum, Comaclum Eſtenſibus reſtitueretur*. Tum vero oratores iidem Hiſpanus & Venetus hortari magnopere Alexandrum, *ut reconciliationis curam ſerio ſuſciperet*: monere etiam atque etiam, *ne prima negligendo, ſeque & Italiam univerſam conjiceret in diſcrimen*. Agere ille primo ſatis conſtanter: poſtea ne arma ingruerent jam timens, queri, *cauſa rei adverſa, in nulla culpa ſua, tam gravia & acerba poſtulare ab ſe regem Galliæ, paſſum tanto indigniora inultum in legato ſuo Vandeletio, contra jus gentium contumelioſe a Turcis habito, ſecto flagellis, contruſoque in carcerem; quem nihilominus legatum iterum mitteret Conſtantinopolin. Quin converteret iram & arma contra injurias non ſolum veras, ſed etiam extremas? Miſeram profecto, pœnitendamque belli laudem manere victorem de innoxio, deque inermi Chriſtianorum patre, violando a nemine minus, quam ab eo, qui inter reges Chriſtianiſſimus diceretur*. Providebat ſubeundum ſibi aliquid iniqui, quo regem placaret: at idem intelligens dignitatem agi in eo ſuam, nequaquam facile expediebat conſilium. Hoc ſtatu rerum ſilentium erat de fœdere: fiebatque opportune, ut Turcæ arma adverſus Cæſarem nondum moverent.

Abiens in Galliam Crequius, poſtulata regis edit.

Querela Pontificis.

Digitized by Google

rent. Duodecim duntaxat millia militum Halio tribuerat Viſſirius Achomates, quibus tutaretur occupata in Tranſylvania. 1662.

In Tranſylvania, Abaſſius Chimenium devincit.

Ibi Abaſſius congreſſus acie cum copiis Chimenii, has devicerat; cæſo inter plurimos alios Chimenio ipſo. Inde ad Claudiopolin non dubitarat exercitum admovere: quam urbem tamen magno conatu dies multos cum oppugnaſſet, intromiſſum denique auxilium repulit incœpto.

Tentat fruſtra Claudiopolin.

Interim Achomates, necatis aut amotis, quos ſuſpicaretur præcipue infenſos ſibi, in his præfecto navalis, & Melecco Viſſiriorum altero, cui ſoror nupſerat regis; dabat operam, ut quam minimum periculi ac laboris geſturus in Pannonia bellum adiret. Galliæ regem ſibi ut conciliaret, legatum ejus clauſum carcere ex eo tempore, quo allatum fuerat auxiliares Gallorum copias Cytheram perveniſſe, reſtituit libertati, facta poteſtate abeundi; Vandeletio autem filio, qui per dies eoſdem Hadrianopolin venerat, ſuccedendi in legationem.

Viſſirius ſtudium pacis ſimulat.

Cæſarem porro ut fruſtraretur, pacis ſe affirmans cupidum, Pereſio ſuadet; proficiſcatur in Tranſylvaniam, & cum Halio conſtituat de locis, quorum ambigua videretur poſſeſſio. Quod ubi accepit Cæſar; continuo mittit eodem Joannem Goeſium, qui una cum Pereſio controverſias finium diſceptaret. Poſtquam, terminatis regionibus, duo ſolum poſtulari ab Halio audiit, ut parva arx everteretur, ab Nicolao Serinio ultra Savariam amnem condita, quo recipiebant ſe populi incurſantes terras Turcarum; utque præſidia Germanorum deducerentur arcibus Tranſylvaniæ, & adjunctorum Comitatuum: tum enimvero, velut certa pace, intermiſſo apparatu belli ferme omni, de eo unice laborabat, ut partem ab ſe modo illorum, quæ petebant, Turcæ ferrent.

Deceptus Cæſar omittit apparatum belli.

Ita fallacibus pacis legibus agitandis extraxit Viſſirius æſtatem: qua, dum ſexaginta triremium claſſe, cui præfecerat Caram Muſtapham, hominem eo cautiorem, quo minus exercitatum in re navali, Venetos detinet; bellum valde lentum in Græcia fuit. Mauroceno imperatori non hujuſ-

1662. hujuſmodi ſuppeditabant vires, quibus aut Cydonem, aut caſtra hoſtium ad Novam Candiam adoriretur. Nam & Senatus diſtentus cura impendentis motus in Italia, partem ſolum ſupplementi miſerat; & Galliæ rex copias ſuas, quarum ſupererat vix dimidium, revocarat. Prope fuit, ut ne auxiliis quidem Melitenſium res Veneta juvaretur. Advenere tamen, hortatu Pontificis, qui mitteret triremes ſuas: ita ſublata offenſione prioris anni, ut Laurentius Cornelius rediret in Adriaticum ſinum, cujus cuſtodiæ erat præpoſitus; utque Melitenſibus venientibus Zacynthum reſtituerentur captivi ſui retenti in trireme, quam deditam invaſerant; triremis autem traderetur Bichio. Ab hoc redditam Melitenſium dux donavit templo D. Marci, quod Zacynthi eſt. Ad Andrum collecta claſſe; aliquandiu conatus eſt imperator nunc ultro occurrendo, nunc inſequendo, hoſtium triremes ad prœlium cogere. Ubi celeritate, aut præbentibus perfugium portubus, elabebantur: non deerant, qui tentandam ex improviſo Chalcidem ſuaderent; inter hos maxime Philippus Palatinus Princeps Svezbachienſis, quem prius ducem apud Svecos, magnis ſtipendiis invitarat Senatus, ut terreſtribus copiis præeſſet. Negante Bichio facultatem ſibi eſſe navandæ terra operæ; abjectum conſilium eſt: nec multo poſt & Bichius & Melitenſes remearunt in Italiam. Imperator, donec anni tempus pateretur, vectus circum littora Aſiæ, primum in ſpe fuit expugnandi Afras naves ſex, quæ in Ceramicum Cariæ ſinum ſe receperant. Deinde exponentem milites, ut terra ſimul & mari faceret impetum, avertit repente occaſio rei majoris. Propinquum portum, contra inſulam Coum, intrarant tunc onerariæ decem: intervallo modico ſequebantur naves majores ſeptendecim, itemque aliæ ſex & triginta onerariæ, Conſtantinopoli Ægyptum petentes; quibus merces pretioſæ, atque hominum multitudo peregrinantium cum donis ad Mecam portabantur, tutantibus quinque triremibus. Id ut

Pontifex ſollis diſſidium Melitenſium cũ Venetis.

Mauracenus fruſtra hoſtes inſequitur.

Onerarias decem Ægyptum petentes capit.

ut cognovit imperator, omiſſo incœpto, illuc conten- *1662.*
dens, onerarias decem aggreditur; fugaque militum &
nautarum prope ſtatim in terram facta, in poteſtatem
redigit. Evectus inde portu, navibus cæteris improvidis
ſupervenit haud procul Coo. Detrectabant pugnam Tur-
cæ. Triremibus longius intendentibus fugam, navium *Ad Coum pugnat cū*
aliarum pars in Coi portum decurrit: nonnullæ a recto- *armatis*
ribus in littus aguntur: reliquas citato remigio aſſecu- *Turcarum navibus:*
tus, compulit ad neceſſarium certamen. Jam veſperaſce-
bat: veruntamen lucente luna, plus tres horas dimica-
tum eſt. Ad ultimum victor Venetus unam, mox al- *duas expu-*
teram majoris formæ navem expugnat. Ex imperatoria *gnat:*
quoque trireme, & prætoria Dominici Mocenici, quin-
queremium præfecti, parabant armati in aliam tranſilire,
qua vehebatur Eunuchus divitiis affluens. Sed caſu or-
tum incendium navem abſumpſit, unaque milites & ve-
ctores omnes, præter Eunuchum, qui ſe cum dejeciſſet
in mare, ſervatus captuſque eſt. Non auſi Turcæ ultra *Onerariis*
repugnare: itaque onerariæ ſeptendecim deditionem fa- *potitur ſe-*
ciunt. Occubuit necem in prœlio eximiæ ſpei juvenis, *ptendecim.*
Jacobus Semiteculus voluntarius, milites autem haud plus
ſexaginta: vulnerati ad centum, in quibus Jacobus Capel-
lius præfectus ærarii, duceſque Sabaudi duo. Ab Turcis
quot cecidérint non ſatis certum traditur: conſtat certe
magnum numerum, alios in pugna, alios naufragio aut
incendio interiiſſe. Revectus illinc Maurocenus in Cera-
micum ſinum, poſtquam haudquaquam facile adoriri na-
ves Afras poterat, quas penitus introrſum retractas arx
tutabatur: divites præda ſuos Paron inſulam reducit in
hyberna. Æſtate eadem cum alibi alii navigiis pluribus
Turcarum, tum Petrus Diedus præfectus navium cel- *Petrus Die-*
ſiorum onerariis ſeptem, lembiſque ac myoparonibus *dus naves*
multis, in fretis Cycladum potitus eſt. Hoc anno finis *alias redi-*
factus controverſiis, quæ Venetos inter & Sabaudos jam *git in pote-*
diu tenebant. Auguſta Taurinorum Venetias veniens *ſtatem.*
Vincentius Dinius Abbas, primo Senatores aliquot pri-

va-

1662. vatus adiit, ut ad id, cujus cauſa venerat, ſterneret viam. Protulit inde literas, quibus mater Sabaudiæ Ducis publicum ei miniſterium demandabat. Preces ſimul in literis erant: *aliquando tandem rediret Senatus in amicitiam cum filio; qui per adultam ætatem jam maturus rebus adminiſtrandis, minime obſcura dediſſet ſigna egregiæ in Venetos voluntatis, mille peditibus auxilio miſſis.* Lectus Marcus Piſanus ex Vviris Continentis, qui ex Dinio condiciones audiret. Piſano referente, haud ægre aſſentiuntur patres. Convenit igitur de concordia in has leges: *ut Dux Sabaudiæ eundem honorem haberet legato Veneto, quem legato Pontificis, & Galliæ regis: Veneti legato ejus haberent, quem conſueviſſent, priuſquam amicitia dijungeretur: ut forma ſcribendi, agendique inter ſe, vel cum miniſtris, uſuſque titulorum eſſet idem utrinque, qui ante diſſidia: ut legatus Ducis, qua die primum Collegium Venetiis daretur, præterita excuſaret, idemque Dux ipſe faceret adveniente legato Veneto, quem deſtinaturi eſſent ſimul ac legatus Ducis Collegium adiiſſet: præterea vero ut Dux Sabaudiæ librum de Nomine Regio evulgatum, gravi interdicto in perpetuum tolleret.* Haud ita multo poſt ab Duce legatur extra ordinem Venetias Marchio de Burgo: viciſſim Senatus Auguſtam Taurinorum Aloyſium Sagredum mittit. Secundum hæc Dux pedites dedit trecentos, & centuriones aliquot, ſupplementum ſuis, qui ex Illyrico trajecerant in Græciam. Majora etiam ſpondebat, ſi ab Senatu impetraret, ut legatis Sabaudis ab Venetis legatis apud reges aliquid honoris ultra veterem conſuetudinem tribueretur. Sed non viſum patribus movere quidquam ex antiquo. Anno eodem deductum eſt Mantua præſidium, quod Veneti induxerant triginta fere ante annis, metu ne Cæſar aut rex Hiſpaniæ urbem eam occuparent. Nunc nullo periculo iſtiuſmodi, compoſita pace inter Gallos & Hiſpanos; cum id inſuper peteret Cæſar, qui Gonzagas in tutelam recepiſſet: libenter annuit Senatus. Continuo Dux Mantuanus per Eduardum Valentem Gonzagam legatum extra

Legatus & literæ matris Sabaudiæ Ducis ad Senatū.

Marcus Piſanus agit cum legato de cōcordia reconciliāda: quæ convenit.

Legationes invicem decretæ extra ordinem.

Veneti præſidium deductū Mātua.

tra ordinem, gratias egit patribus; pollicitus animum perpetuo memorem beneficiorum, quæ multa & magna ipſe majoreſque ſui accepiſſent. Nihilo acrius bellatum in Græcia anno inſequenti. Turcæ quidem mole virium pene univerſa in Pannoniam incubuere: Veneti autem, quia haud aberat timor ne, ſi Cæſari cum illis de pace conveniret, bellum omne inclinaret in Illyricum, huc averterunt partem copiarum. In Carnos quoque mitti placuit militum nonnihil, præponique Franciſcum Maurocenum, qui imperator fuerat; ut, ſi quid adverſi accidiſſet Cæſari, ne penetrantes barbari in Stiriam, inde regionem immunitam invaderent. Cæterum fraude eadem, qua adverſus Cæſarem, uſus Achomates adverſus Venetos, ut remitterent apparatum belli; propinquam pacem oſtentabat. Ballarinum, penes quem unum tunc facultas erat agendi de condicionibus, nam Capellius longo morbo confectus obierat, aſtu aggreditur: *jam molliorem factum regem ad paciſcendum, Candia ut cederetur, non amplius poſtulare: contentum fore Cydone & Rhitymna; ut, qua perpetuis a mari ad mare montium jugis Candiæ ager ab agro Cydonis dirimitur, hinc Turcæ, hinc Veneti cum bona pace inſulam obtinerent: at æquum eſſe devocari præſidia Grabuſis & Amphimalia, quæ arces in tractu Cydonio eſſent.* A tali conſilio non prorſus abhorrebat Senatus, defatigatus diutino bello, vixque ulla tunc recipiendi, quæ amiſerat, ſpe. Gravabatur modo arcibus duabus concedere; quæ ſitu ipſo prope inexpugnabiles, egregiiſque imminentes portubus, aditum aliquando daturæ forent ad eam partem inſulæ recuperandam. Juſſus ergo Ballarinus dare operam, ut ne hoſtis tenderet pro Grabuſis & Amphimalia; quæ abjunctæ a Cretæ littore, ad Cydonem non viderentur pertinere. Achomates ſic primo abnuere, ut Ballarinus interdum non deſperaret conceſſurum: deinde, jam vere adulto, proficiſcens Taurunum ad exercitum, diſceptationem omnem in reditum ſuum rejecit. Dum bello flagrat Pannonia, motus ali-

[Margin: 1662. — 1663. — *Muniunt Illyricum & Carnos.* — *Viſſirius agit de pace cum Ballarino.* — *Mandata Senatus ad Ballarinũ.* — *Taurunum proficiſcitur Viſſirius.*]

1663. quid extitit in Illyrico, ubi velut ex compoſito quies utrinque ab armis aliquandiu fuerat. Exciti populi, invicem fines ſubinde incurſavere: exuſti agri, prædæque abactæ pecudum atque hominum; non paulo tamen latius ab Venetis, qui auſi in intima penetrare, hoſtes incautius agentes oppreſſerunt locis pluribus. Præerat legatus Venetus Hieronymus Contarenus. Is crediderat occupaturum ſe adventu improviſo Caſtrum Novum; quod poſitum eſt in Rhyzonici ſinus faucibus. Poſteaquam indicio transfugarum admoniti Turcæ defenſionem compararant: dextra flectit ad Olcinium tentandum, unde præcipue infeſtum mare piraticis lembis fiebat. Sed id quoque fuit irritum conſilium, quod propter parvam altitudinem maris, qua exſcendere decrerat in terram, conſtitui naves prope littus non poſſent. Pauci modo milites expoſiti ductu Jo. Federici Spar, ſubjectis ignibus, vicum adjacentem concremavere; piraticis ſimul lembis ſex incenſis. Contra Turcæ, valida manu, duce Halio Cingichio, conati Macarſca potiri; maritimum oppidum ſic nominant, medio ferme ſpatio inter oſtia Neſti & Naronæ fluminum. Ac propinqua caſtella duo expugnarant labore haud magno. Subibant inde ad oppugnandum oppidum ipſum. Sed Bertuccius Contarenus legati filius, crebris e trireme ſua ictibus tormentorum, brevi coegit abſcedere. Uno fere tempore trepidatum eſt Corcyræ. Præterito anno Beicus Baſſa ad Venetos Candiam fraude transfugerat. Contemplatus urbem claſſemque, clam trajecerat Conſtantinopolin: explorataque afferendo de viribus hoſtium, famam nactus, auxilia pecuniæ impetrarat ad ciendum in Epiro, ubi fundos habebat, tumultum, invadendamque per occaſionem Corcyram. Veris principio veniens in Epirum nonnihil collegit militum; ac Buthrotum adortus, caſtellum parvum contra Corcyram, cepit. Ea res ad cuſtodiæ curam intendit præfectos urbis, & accerſenda undique auxilia. Mox tamen deceſſit animis timor: nam prope ſtatim mor-

Illyrii fines Turcarum incurſant.

Turcæ nequicquam tentant Macarſcam.

Beicus Baſſa Buthrotū expugnat.

morbo interiit Beicus, dilapſique milites ejus. Damni 1663. multum per id tempus acceptum Sici eſt; ubi tacta de cœlo arx, qua aſſervabatur pulvis tormentarius, conflagravit. Plurima circa ædificia corruerunt, interque mortales alios periit incendio Andreas Maurocenus arcis præfectus. In Creta Spinam Longam aggredi parabant Turcæ. Verum ſenſit imperator; extemploque cum parte claſſis eo profectus, periculum avertit. Geſturus poſtea rem erat mari, alio atque alio vectus claſſe univerſa, ut quinque & triginta triremes Turcarum Helleſponto egreſſas interciperet. Id ipſum hi timentes, Cydonem, quo direxerant curſum, tranſmittere auſi non ſunt: valdeque laboratum in urbe foret, niſi quatuordecim Alexandrinæ naves latentes Veneto, commeatuum aliquantum intuliſſent. Sociorum hac æſtate Melitenſes modo venere ad claſſem. Triremes ſuas retinuit Pontifex in Italia, anxius metu ab rege Galliæ. Veruntamen ne Melitenſium quidem utilis fuit opera. In ſpem pugnæ imminens imperator, aciei ordinem ex more ediderat; ut triremis imperatoria ab dextro latere triremem præfecti roſtratarum Venetarum, ab ſiniſtro prætoriam Melitenſium haberet. Recuſare hi locum attributum, quod ita pelli viderentur infra præfectum; nequicquam aſſeverantibus Venetis, ubi primaria vexilla eſſent, eas triremes præire cæteris dignitate ordinis locique. Quare abſcedentes, præter Aſiæ oram Cyprum uſque excurrere. Cytheram inde revecti, quo claſſis appulerat, poſtquam denuo flagitantibus, ut ad dexteram imperatoriæ triremis collocarentur, obſecundare nequibat Maurocenus, niſi ſolveret morem antiquum: velis datis, Melitam redierunt. Achomati interea fortuna adſpiraverat in Pannonia. Luſtrato ad Taurunum exercitu, quinquaginta millibus lectorum militum, præter millia Tartarorum octodecim, numerumque haud exiguum voluntariorum, atque auxilia ex Moldavia, Valachia, & Tranſylvania: Strigonium proceſſerat, ut ibi Iſtro tranſmiſſo,

Arx Sicenſis de cœlo tacta.

Controverſia cũ Meliteſibus de loco in claſſe Veneta.

Meliteſes domum abeunt.

1663. ſo, duceret Neoſelium. Cæſar, præterquam pacis ſpe deceptus curam laxarat parandi militem, fruſtra prædicentibus non ſemel Venetis ut caveret: inciderat etiam in morbum difficilem; ut, ne certo quidem jam periculo, qua celeritate opus erat, defenſio inſtrueretur. Cum convaluiſſet; ſpatii aliquid ad contrahendas raptim ex Germania copias dedere imbres primo morantes agmen Turcarum impedimentis grave, deinde flumen inflatum aquis, quod injectum pontem unum, mox alterum abſtulit.

Viſirius oppugnat Neoſelium.

Tranſducitur denique ab Achomate exercitus: magnoque ad Neoſelium expugnandum momento ei fuit captum ſubito conſilium ab Adamo Forgatio, qui præerat. Nam falſo quibuſdam nunciantibus, denuo abruptum pontem, partemque modo copiarum ab hoſte trajectam; robore præſidii educto, occurrere e veſtigio non dubitavit: victus autem prœlio, partem maximam amiſit ſuorum. Sine mora tunc Achomates ſuccedit ad oppidum; quod ſitum ad amnem Nitriam, octo ferme millium ſpatio ab Iſtro abeſt. Placuerat jam pridem vallum & propugnacula de integro circumdari. Haud plus dimidium tamen perfecerant munitionum; reliquas vix inchoarant: illac Turca, cum muros corona cinxiſſet, adoritur oppugnare. Militum aliquantum intromiſerat Montecucculus; ut tria millia peditum, equites quingenti eſſent. Subinde etiam manipuli aliquot fruſtrantes cuſtodias in oppidum penetrabant. Verum leviora hæc erant auxilia, quam pro vi prementium barbarorum. Quamvis igitur ſæpe erumperent portis in opera ſtationeſque: attamen prohibere, quominus ſubirent quotidie propius, nequibant. Laturum in tempore ſuppetias putarant Montecucculum. Sed avertere eum Tartari, qui excurrentes in Moraviam, omnia ferro & igni vaſtabant; nique ſtatim iretur obviam, occupaturi etiam Poſonium videbantur. Nec auxilium oſtendebatur ab Veſelenio prorege, (Palatinum regni vocant) aut Nicolao Serinio; quorum uterque Pannoniorum mili-

tum

1663.

tum coegerant non parum. Nam Veſelenius, vix ulla arte belli, inſuper dolore artuum impediebatur. Serinio autem ſtabat ſententia provinciam ſuam tutari, arcem præſertim, cui Turcicum præſidium immineret ab Caniſia. Ita nulla ope externa impediente cum oppugnaret Achomates; undetriginta poſt dies progreſſus adeo eſt, ut dejectis muris & completa foſſa, impreſſionem faceret. Suſtinuere armis obnixi corporibuſque Germani: inde objicientes introrſus vallum, dies aliquot nihil loci dederunt hoſtibus ad invadendum. Et diutius extraxiſſent oppugnationem, niſi territi oppidani incendio & ruina tectorum, ad deditionem maturandam præfectum compuliſſent. Potitus Achomates, ſatis in præſens credidit profectum; capta ſede, unde anno proximo induceret copias in Auſtriam. Ad Nitriam modo, Leventium, & Novigradum, parva oppida, exercitus admovit partem; quæ ſine certamine deduntur: eodemque tempore in Tranſylvania, qui Claudiopolin cuſtodiebant, in ſumma inopia cibariorum & pecuniæ, quia jamdiu ſtipendium non numerabatur, urbem Turcis pretio accepto tradiderunt. Metus ingens erat ne ad Viennam ipſam obſidendam Turcæ porro pergerent. Quare ſolicitus Cæſar diſcrimine tanto, ſimul cura multa jubet urbem muniri, ſimul Principibus & Civitatibus Germaniæ conventum indicit Ratiſbonam; quo ipſe paulo poſt ad auxilia concienda profectus eſt. Mittitur eodem ab Venetis Auguſtinus de Nigris a ſecretis Senatus; qui polliceretur, quacunque re poſſent, impigre adjuturos. Adjuvit Pontifex præſenti pecunia, quam acceperat a Mazzarino legatam. Per eam occaſionem mota rurſus ab miniſtris Cæſaris mentio eſt fœderis inter Pontificem, Cæſarem, & Venetos. Nec mutabant Veneti quidquam, parati maritimas vires conferre, modo Hiſpani adjungerent partem ſuarum. At, pro ſtatu ibi rerum, facultas non dabatur Philippo immiſcendi ſe bellis aliis, ſatis ſuperque oneris ſuſtinenti bellare cum Luſita-

Per deditionem redigis in poteſtatem.

Nitriam, Leventium, & Novigradum occupat.

Claudiopolis traditur Turcis.

Cæſar conquirit undique auxilia:

quæ pollicetur Senatus.

Pontifex juvat pecunia.

Roma movetur mentio fœderis.

At alio intentus eſt rex Hiſpaniæ,

ſita-

1663. ſitanis; qui nuper ingenti prœlio fudiſſent exercitum ejus, ac niſi obſiſteret conatu magno, impetum ultro facturi viderentur. Angebat inſuper ſuſpicio moleſtiæ ab Galliæ rege; qui noviſſime Dunquercam de Britannis magno emerat, & cauſa diſſidiorum cum Pontifice, copiarum nonnihil decrerat in Italiam. *& Pontifex:* Pontifex autem id agebat potiſſimum, fœdus ut ſanciret cum Italiæ Principibus; ſpecie ſubveniendi Cæſari, re ut excitaret ad arma, quibus, cum opus eſſet, ſperaret uſurum ſe adverſus Gallos. Et creſcebat inde timor in dies. Etenim ſex millia peditum gentis ejus, duo millia equitum mari vecta, jam per Ligures Italiam intrarant; quorum partem maximam libens exceperat terris ſuis Dux Parmenſis, ut qui confideret Caſtrum ſe per regem recuperaturum: reliquos excludere haud potuerat mater Franciſci Ducis Mutinenſis, qui puer, Alphonſo patre demortuo, in tutela ejus erat. In curam tamen magis avertendi quam ſuſcipiendi belli intentus Pontifex, non ultra diſtulit in Galliam deſtinare legatum ab Latere Cardinalem Ghiſium: tum denuo ſcripſit ad regem, ut diligentius quam ante purgando, eum flecteret: induxit quoque Cardinalem Imperialem, ut ſe abdicaret legatione Æmiliæ, concederetque Genuam, patriam ſuam, unde placare ſibi infenſum conaretur. *qui destinat in Galliam Card. Ghiſium ad placandum regem.* Serius hæc, formidineque cogente conceſſa, nihil admodum moverunt regem. *Rex nihil flectitur.* Nam & literas ſupplices Imperialis rejecit, perpulitque Genuenſes ut exigerent eum urbe; & literas Pontificis prope in gratiam unam tradentium oratorum Veneti ac Sabaudi accepit. Præterea cum per dies eoſdem perlatæ literæ eſſent ſcriptæ nomine Collegii Cardinalium, quibus omni ſtudio iram ab Imperiali deprecabantur: ita fertur reſpondiſſe, ut de hoc utique non audiens, in Pontificem modo impotentius aliquanto, quam pro dignitate inveheretur. *Tumultus Avenione.* Interim tumultus fuerat Avenione. Arrepta occaſione populus, qui dudum ægre ferret imperium Pontificis, Laſcarum pro-legatum

expu-

expulerat; miniſtros violarat alios omnes; dejectiſque inſignibus illius, inſignia ſuſtulerat regis. Rex, velut orto inde initio belli, probavit factum: & Comitatum Avenonienſem tandiu retenturum ſe pronunciavit, donec Caſtrum reſtitueretur Farneſiis. Tunc enimvero ſenſit Alexander, majores iras volvere eum in animo, quam ut reſtingui poſſent, niſi ipſe remitteret cuncta, quæ poſtularat per Crequium. Turpe tamen ſibi ratus concedere voluntate, vertit huc conſilia, ut pararet exercitum, quo invadenti obſiſteret. Ergo delectus illico indicit in terris ſuis; ubi pro certo habebat, brevi ſe viginti peditum millia, bis mille equites effecturum. Mittit quoque ad conducendos milites ex Germania, atque ex Helvetiis: in id autem pecunias accipit fœnore a privatis, quindecies centena millia argenteorum nummum; itidem millia trecenta imperat Ordinibus Cœnobitarum in Italia. Tum per legatos ſuos Cæſari, Hiſpaniæ regi, & Senatui Veneto ſignificabat, *indignitatibus ſe multis compulſum ad arma capienda contra Gallos: vim inſtruere, ut a ſuperbia & injuriis tueretur majeſtatem imperii:* orabat ſimul, *juvarent ſe auxiliis; neu cauſam, pro qua jus ſtaret religioque, desererent*. Permittebat quidem Cæſar, ut conſcriberet in Germania militem. At rex Hiſpaniæ cum pateretur invitus, opportunitatem præberi Gallis movendi in Italia belli; auctor erat, ut quibuſcunque condicionibus amicitiam reconciliaret: ſimul vero negabat ſe, armatos, quos acciret ex terris externis, tranſmiſſurum per fines ſuos. Senatus etiam, qui cerneret eum ſe bello implicare, cui gerendo par non eſſet, foreque proſpiceret, ut vix ſuſcepti pœniteret: avocando ab armis, graviter ſuadebat, *ſequi mallet quieta conſilia, cujus in tutela pax & tranquillitas eſſet Chriſtianæ rei: vel cum detrimento ſuo pareret tempori, ut mala vitaret multo pejora: donaret ultro, quæ potentia virium extorturus rex videretur*. Uno tempore hortabatur impenſe regem, *faceret erga Pontificem Romanum pro ſua, proque avita religione*

Gal-

1663.

Oppidani deficiunt ad regem.

Cura Pontificis.

Militē comparat & pecuniam.

Queritur apud Cæſarem, Hiſpaniæ regem, & Senatū Venetum.

Senatus eū, & regem Galliæ hortatur ad quieta conſilia.

1663. *Galliæ regum: pulcrius duceret veniam dare precanti, quam bello premere: dolorem jam ſatis ultum eſſe ſuum, armorum terrore incuſſo*. Pacata hæc admiſere auribus uterque. Affirmavit Pontifex Cardinali Aragonio, & oratori Veneto, *non detrectare diſceptationem de Caſtro, & Comaclo: ubi more legitimo de jure conſtitiſſet, minime ægre ab ſe Duces Parmenſem & Mutinenſem, quæ æqua judicarentur, relaturos*. Regi id modo improbabatur, quod negotium perficiendum rejiceretur in tempus incertum. Flagitanti exitum in concilio legatorum, ubi controverſiæ terminarentur quæcunque ſecum illi eſſent; promiſere, ne ſpem inciderent concordiæ, Aloyſius Grimanus orator Venetus, & Turietus a ſecretis Hiſpaniæ regis, quamvis mandata in id non accepiſſent a Pontifice: qui tamen ſtudio eodem pacis non abnuit. Lugduni haberi conventum, primo placuerat. Illuc ab Alexandro legatus Raſponus continuo miſſus. Deinde maluit rex colloquii locum ad Pontem Bellovicinum, oppidulum eſt extremis in finibus Galliæ & Sabaudiæ; ne legatus Romanus, priuſquam in amicitiam rediretur, in Gallia eſſet. Convenere Raſponus, & Crequius, tum legati Ducis Mutinæ Parmæque, & pacificatores Grimanus ac Turietus. De Mutinenſi vix ambigebatur. De Caſtro autem nullam in partem erat diſceptatio facilis. Reddere recuſabat Raſponus; qui fas non eſſe diceret Alexandro acta violare Pontificum ſuperiorum. Contra poſtulabat Crequius, ut aut e veſtigio reſtitueretur Parmæ Duci; aut ſaltem conſtitueretur tempus certum, quo poſſet, ſoluta pecunia, recuperare. Raſpono neutrum concedente, re infecta diſceſſum inde eſt. At non ideo reconciliationis curam Pontifex, aut rex abjecit. Gravate demum bellum inferebat rex. Nam præterquamquod rumore adverſo geſturum ſe videbat; neceſſe quoque erat reddi ad extremum, quidquid locorum Pontifici ademiſſet. Pontifex dignitatis quidem tenax ipſe admodum, inducere animum non poterat poſſeſſione Caſtri cede-

Audit uterque.

Conventus legatorum ad Pontem Bellovicinum.

Ambigitur maxime de Caſtro.

cedere: multa tamen prece orando flexerunt denique 1663.
ſenio gravem conſanguinei, propoſito diſcrimine fortunarum ſuarum, niſi, dum viveret, inimicitiam finiret cum rege tanto. Poſtquam conſulti Cardinales, alii propter cauſas alias, prope univerſi ſuadebant idem; cœptum denuo agi de re componenda per Priorem Bichium, & Commendatorem Souvræum, affinem alterum Pontificis, alterum regi perfamiliarem. Hi ſine arbitris inter ſe non ſemel collocuti cum eſſent: Piſas indicitur conventus. Ibi initio anni ſequentis Raſponus, & Lu- *Conventis de condicionibus.*
dovicus Burlemontius Rotæ Auditor Gallus, legatus in id ab rege, paciſcuntur: *Ut Pontifex poſt condiciones peractas, Cardinalibus aſſentientibus, reſcinderet decretum, quo Eccleſiæ Romanæ Caſtrum in perpetuum addixerat: ut Duci Parmenſi ſpatium præſtitueretur octo annorum, quo ſexdecies ferme centena millia argenteorum nummum perſolveret, duabus penſionibus æquis; utque ſtatim poſt primam penſionem reciperet dimidium Caſtrenſium terrarum; reliquum poſt penſionem alteram: uti Mutinenſis Dux jus dimitteret, quod ſibi eſſet in Comaclum; Pontifex autem æs alienum ejus diſſolveret Romæ:* ſupra trecenta millia nummum argenteorum, partim ſortis nomine, partim fructuum debebantur: *inſuper quadraginta millia præſentia numeraret, aut ædes Romæ attribueret, quæ tanti æſtimarentur; ſacerdotia quoque duo concederet Pomposæ, & Bondeni, quæ titulo perpetui patroni haberet: uti Cardinalis Ghiſius legaretur Lutetiam a Pontifice ad excuſandum, quod feciſſent crudeliter milites in Crequium, id nullo publico conſilio factum: Cardinali Imperiali facultas per regem uti eſſet eundi itidem Lutetiam purgatum ſe: veniam ut daret Pontifex omnibus ſecutis partes Gallorum, nominatim Cardinali Maidalchino & Duci Cæſarino: ut Marius frater Pontificis Roma protinus excederet; indeque abſtineret, donec Cardinalis Ghiſius regem adiiſſet; ſcripto interim profiteretur, ſe ignaro injuriam Crequio illatam, quod idem Pontifex faceret: ut Auguſtinus Ghiſius filius Auguſti:* hic frater alter Pontificis erat: *obviam procederet Crequio redeunti Romam;*

1663. *confirmaretque, quod inſcio Pontifice auſi eſſent milites, tuliſſe illum ægerrime: munere ut amoveretur lictorum dux: ne Pontifex unquam in poſterum militibus ex Corſica neque Romæ neque in urbibus aliis terriſve ſuis uteretur: pyramis ex marmore uti collocaretur contra ſtationem militum ad perennem lati in eos judicii memoriam: ubi autem Cardinalis Ghiſius adiiſſet regem, tum ut Avenio redderetur Pontifici; neve cui noxæ ibi præterita forent*. Iræ ita extinctæ, vel obrutæ. Sub anni exitum Venetiis Georgio Mauroceno, claſſis jam annum tertium imperatori, ſucceſſorem crearant Angelum Corrarium, inde Baptiſtam Nanium, equites & Marcios procuratores. Quod ab ſtudio rerum maritimarum remotus uterque eſſet, vacationem petentibus Civitas dedit; ſublegitque in eorum locum Andream Cornelium, ante decem annos legatum in Creta. Reliquerat Princeps Svezbachienſis ſtipendia Veneta: Senatus Jo. Rodulphum Vermillerum Helvetium accivit, qui præeſſet rei tormentariæ. Advenere eodem anno ab rege Moſchorum legati duo, officii tantum cauſa & urbem viſuri. Obibant Europam, ut peregrinatione ea vires Principum Chriſtianorum, & gentium mores cognoſcerent. Excepit benigne Senatus, lautiaque juſſit dari: deinde affectos hoſpitalibus donis cum omni ſignificatione

Andreas Cornelius ſufficitur imperator Mauroceno.

Legatio regis Moſchorum ad Venetos.

1664. humanitatis dimiſit. Succedit annus & hic fere imbellis, vix ulla ad memoriam re acta in Græcia. Cura eadem tuendi Illyricum & Carnos avertit illinc virium partem. Nec Turcæ, niſi quod quatuor & triginta triremium emiſerunt Helleſponto claſſem, quicquam movere. Occurrere non prætermiſit imperator Cornelius. At egredi Lesbi portu, quo primum perfugerant, non auſis illis, præbita dimicandi occaſio non eſt. Naves modo onerariæ quatuordecim Conſtantinopoli Ægyptum petentes interceptæ. Alexandrinæ frumentum ferentes Cydonem fruſtratæ Venetas ſtationes erant. Verum tempeſtas ſæva ſic disjecit, ut ex magno numero haud plus quinque urbis ejus portum caperent. Ne Meliten-

Turcæ copiam pugnandi non faciũt Cornelio.

litenſes ſocii tranſmitterent in Cretam, controverſia ef- *1664.* fecit prioris anni. Dirimendam ſuſceperat Epiſcopus Bitterrenſis orator regis Galliæ Venetiis. Senatus, qui cum eo agerent, duos ex ordine Sexvirum deſtinarat, Andream Valerium & Marcum Piſanum: ſed cum poſtmodum ſenſiſſet, regem ipſum triremibus illorum libenter uſurum; ſilentium rei impoſuit. Ac uſus quidem eſt rex in expeditione adverſus Afros, duce Bellefortio; qua tamen nihil profecit. Nam cum Galli ad Igilgelium, quod eſt in regno Algeriano, exſcendiſſent; impetum repente multitudo facientes Afrorum, retro in naves trepidos compulere. In Illyrico parvis invicem excurſionibus certatum: in Carnis nihil præter ſuſpicionem infeſtum fuit. Quia, quod moverant Turcæ bellum in Pannonia, diuturnum fore videbatur; credique poterat tunc tandem de fœdere conventurum cum Pontifice & Cæſare: curabat Senatus, ut ad aliquid per eam opportunitatem in Creta aggrediendum augeret copias, equitatum maxime; qua parte virium hoſtis ibi præſtabat. In publico deerat aurum. Ergo fit ſ. c. ut communia bona quædam venirent: fœnore acciperentur a privatis pecuniæ: quique ob crimina detinerentur in vinculis, quique exules eſſent, noxæ eximerentur pecunia ſoluta. Ad id, quod redactum inde in ærarium eſt, acceſſit non parum ex collatione voluntaria civium. Quæ cum ab Venetis agerentur, alterna primum vice res ſucceſſerunt in Pannonia: poſtea momento nequaquam parvo ſuperior fuit Cæſar: at, quo nihil minus opinati eſſent homines, inter ſecunda armorum inducias cum Turcis fecit. Impetrarat is Ratisbonæ triginta armatorum millia, quæ impenſis Ordinum Imperii militarent; adjecturus ipſe peditum millia octodecim, ſexdecim millia equitum. Quod tamen armatum eundem ſuſpectum habebant, condicionem addiderant Ordines; ut qui ab ſe darentur milites, in eos ne quod imperium Cæſari eſſet. Itaque Monaſterienſem Epiſco-

Meliſenſes juvāt Gallos in expeditione contra Afros.

Veneti equitatū augent in Creta: pecunias comparant.

Cæſar exercitum magnum conficit, adjuvantibus Ordinibus Imperii,

 pum,

1664. pum, & Marchionem Baden-Durlacenſem, ut ſuis præeſſent ſumma cum poteſtate, delegerant; qui autem duceret, Comitem Hohenloicum. *& rege Galliæ.* Rex Galliæ quoque, qui Rhenano fœdere comprehenderetur, per Strotium rogatus auxilium, quatuor millia peditum præbuit, millia duo equitum. Pedites, duce Colinæo, Iſtro flumine Viennam trajecere: equitibus, qui jam erant in Italia, iter conceſſit Senatus per fines ſuos. Has copias per hyemem contrahente Cæſare; *Serinius vaſtat fines hoſtium.* Serinius interim valida manu Pannoniorum ad Savum uſque amnem excurſionem fecit, pagos villaſque vaſtavit ac deuſſit: *Quinque-Eccleſias capit;* Quinque-Eccleſias etiam, incolis frequentem urbem, ſubito aggreſſus cepit inceneditque. Continuo fuſis ac fugatis hoſtibus, qui occurrerant; ad Murſam progreſſus, partem *Murſæ pontem diruit.* pontis Dravo impoſiti evertit, ne exercitus Turcarum tranſire flumen ad turbanda, quæ animo ipſe agitabat, poſſet. Præda dives cum rerum aliarum, tum hominum, unde venerat rediens, ſuadebat Germanis, ut, *Caniſiam ſpectat.* priuſquam moveret Viſſirius ex hybernis caſtris, Caniſiam tentarent. Modico intervallo abeſt urbs ab Dravo flumine, ſitu naturali egregie munita; nam undique paludes cingunt. *Per eas duratas frigore facilem ab omni regione aditum fore ad oppugnandum: nondum ex incendio, quo paulo ante locis conflagraſſet pluribus, refectam: ſummam praeterea commeatuum inopiam intus eſſe.* Nequicquam diſſuadente Montecucculo, cui integræ vires ſervandæ in æſtatem viderentur, *Annuente Cæſare, urbem obſidet.* aſſenſus eſt Cæſar, potiundi oppidi cupidus opportuni hoſtibus ad impetus dandos in Stiriam. Sed defuit celeritas, qua unice erat opus. Tarde omnino cum convenient copiæ Germanorum; multo ſolum vere cœptum circumſideri eſt. Atque paludibus, exſoluta jam glacie, impedientibus opera, vix certa inibatur ratio ſuccedendi ad muros; labore magno fruſtra fatigatis militibus, ut aquas averterent. Diſſidebant quoque inter ſe duces & ingenio & ſententia. Obſeſſi interea audacter erumpentes, aliquid quotidie inferebant damni;

damni; ut exigua ſpe traheretur oppugnatio. Poſtquam 1664. Viſſirium collegiſſe exercitum nunciabatur, jamque appropinquare; haud dubium fuit, quin ſtatim abſiſterent incœpto: quod ipſum tamen ſine tumultu factum non eſt, parte commeatuum & machinarum in operibus relicta.

Fama adventantis Viſſirii abſiſtere cogit incœpto.

Mox adveniens Viſſirius copias admovet ad arcem proximam Serinii; quæ acerrima utrinque contentione triginta dies oppugnata eſt & defenſa. Poſtremo vi atque armis invadens Turca expugnavit, interfectis plurimis qui tuebantur: cecidiſſetque omnes, cepiſſet ſimul pontem, quo in ripam alteram tranſgrediebantur, niſi peditatus robore oppoſito retudiſſet Montecucculus: idque ſaluti fuit regioni inter Muram & Dravum flumina, quam pons amiſſus excurrenti victori aperiebat. Tunc ſuper ripas amnis exercitus conſedit uterque: ubi, dum tranſmittere conantur Turcæ, prohibent Germani, partem æſtatis conſumpſere. Valde interim in Stiria trepidabatur Auſtriaque, metu ne hoſtis ſuperaret amnem. Ne Italia quidem vacabat cura; in quam, ſi prœlio vincerentur Germani, non difficilis per Stiriam trajectus foret. In eo periculo, qua ope poterant, ſubvenerunt Veneti. Cum enim comperiſſet Senatus, penuria ſulphurei pulveris Germanos laborare, affatim ſine mora ſuppeditavit. Simul Franciſcum Maurocenum, cujus erat provincia Carni, ſociare juſſit conſilia cum Germanis præfectis regionum finitimarum; ac, ſi res poſtularet, vires cum eis conjungere ad inſidendas anguſtias itinerum, qua irrupturi Turcæ viderentur. Placuit quoque auxilium militum peti cum a Principibus aliis Italiæ, tum a Pontifice & M. Duce Hetruriæ: præterea & Pontificem & Hiſpanos rogari, triremes ſuas adjungerent Venetæ claſſi, quæ alicubi periculum illis mari oſtendendo, exercitus partem avocaret ab Pannonia. Sed, niſi quod Pontifex pedites offerebat haud plus quadringentos, totidemque Hetruſcus Dux; nihil opis impetratum uſpiam eſt. Ne triremes quidem dedit aut Pontifex, u-

Arcem Serinii adoritur Viſſirius, & expugnat.

Prohibet Montecucculus, ne cadat præſidium omne.

Ad flumen caſtra ponunt Montecucculus & Viſſirius.

Veneti parati ad ſubveniendum Cæſari.

Principes Italiæ excitans ad adjuvandum.

ſurus

1664. ſurus iis ad tranſportandum in Galliam Cardinalem Ghiſium; aut Hiſpani, qui hoc eodem tempore militem ex Italia Malacam trajicerent ad bellum Luſitanicum. Dubiis rebus, nonnihil auxere Germanis animum, minuerunt Turcis proſpere geſta ab legato Souchio, qui ſatis magno armatorum numero bellum adminiſtrabat ultra Iſtrum. Is millibus aliquot Janiſſarorum fuſis, Nitriam primo recipit & Leventium. Deinde ſignis collatis cum Budæ Baſſa, ad ſex millia hoſtium occidit: tum Barkan arcem, quam nominant, in Iſtri ripa contra Strigonium, expugnat. Neoſelium etiam oppugnare aggreſſus eſſet, ni inopia prohibuiſſet machinarum. Jam Viſſirius expertus omnia nequicquam fuerat, ut amnem trajiceret. Ergo ne caſſe tempus ultra tereret: motis inde caſtris, flectit dextra ad Arrabonem fluvium, ut, tranſductis copiis, recta pergeret in Auſtriam; ac, ſi ſe dediſſet fortuna, Viennam ipſam adoriretur. Non omiſere abeuntem Germani: &, qua providerant tranſiturum, pro ripa adverſa ſtantes, impigre arcebant. Certus ille tamen tranſitum tentare, tormentis ſuper ripam conſtitutis, quibus ſubmoveret hoſtes, nocte quæ Kal. Sext. præceſſit, ſex millia equitum, mox peditum aliquantum tranſmittit. Ac tanta vi in ripam alteram inſiliebant, ut non uno loco turbati cederent Germani, fugerentque. Tunc aucta ſucceſſu ferocia, plures tranſgreſſi: jamque minime dubie inclinabat ad barbaros victoria; tumultuſque repens ex agris Græcium uſque perlatus, pro nuncio deleti exercitus erat. At non propterea conterriti duces, connitendo ipſi, prœlium quod profligatum videbatur, brevi reſtituerunt. Montecucculus præſertim, Colinæus & Fulliadeus, copiis ille Cæſaris, hi Galliæ regis, qua maxime urgebat hoſtis, objectis, æquaverunt certamen: quod anceps aliquandiu cum ſtetiſſet, Turcæ ad ultimum impelluntur. Retro unde venerant fugientes remoratæ ripæ fluminis, diu ad cædem inſequentibus præbuerunt. Sexdecim millia Turcarum occiſi: ab Chri-

Souchius Legatus Nitriam & Leventium recipit.

Superat prœlio Baſſam Budenſē, & Barkan expugnat.

Movet Viſſirius ad Arrabonē.

Nequicquā prohibentibus Germanis, Turcæ tranſgrediuntur.

Prœlium ibi.

Turcæ dant terga.

Cædes eorū ingens.

Chriſtianis deſiderati millia paulo plus tria. Viſſirius, ne 1664.
conclamatis quidem vaſis, parte ſarcinarum, & tormentis omnibus relictis, cætero cum exercitu ad Strigonium citato agmine recepit ſe ſe. Ibi Pereſium & Goeſium, quos apud ſe habebat, mentionem pacis, ita uti imperarat Cæſar, injicientes libenter audiit. *Strigonium cōcedit Viſſirius: ubi agitur de pace.* Nec longa, ut in ſimili ſtudio finiendi belli, quamvis fortuna tam diſpari, tenuit diſceptatio. Decimo poſt die quam fuerat pugnatum, compoſitis inter ſe nonnullis quæ non emanarunt, propalam tranſigunt: *Pax convenit.* *Induciæ uti eſſent viginti annorum inter Cæſarem & regem Turcarum: ut Cæſar præſidia deduceret ex Tranſylvania: uti Abaffius Principatum Tranſylvaniæ obtineret; eo autem mortuo, Princeps alius ex gentis inſtituto ab civitatibus crearetur: quæ armis occupaſſent Turcæ, ea ut retinerent: ne Serinii arcis reſtituendæ in poſterum jus eſſet: cederent Cæſari Comitatus duo, quos poſſederat Ragotzius; liberumque illi eſſet arcem in finibus condere, quæ regionem tutaretur: hæc autem rata tunc ut haberentur ab rege Turcarum, cum Cæſar legatum miſiſſet Conſtantinopolin, perferentem ad illum dona, quæ valerent Florenorum nummum millia ne minus ducenta.* *Condiciones.* Haudquaquam facile exequi eſt, res improviſa quantum ubique ſermonum hominibus dederit; mirantibus quid tandem Cæſarem compuliſſet, ut copiis tantis comparatis, quarum partem magnam aliena ſtipendia alerent, clade fœda illata hoſtibus, media in ſpe rerum maximarum induciis repente pactis, cederet Tranſylvania: cogitationemque abjiceret Pannoniæ recuperandæ, quam bella ferendo ex bellis jam prope totam adjeciſſet imperio ſuo Turca; & unde, quæ primum oriretur opportunitas, petiturus armis Auſtriam ipſam eſſet. *Pax hæc laborat fama.* Triſtiſſimum accidit Pannoniis. Nec dolorem taciti continebant; aperte querentes, proditos ſe ad excurſiones & injurias Turcarum. *Dolor Pannoniorum; & querelæ.* Angebat maxime, ferocem recenti victoria exercitum non ductum protinus ad Neoſelium, id quod facillimum credebatur, recipiendum. Serinii fratres duo inter cæteros, qui belli gloriam at-

que

1664. que opes augendas ſibi animo deſtinaſſent; per eas inducias ſubito ſpe dejecti, nullum modum facere incuſandi Cæſaris, & deplorandæ fortunæ Pannoniorum: qua ex ira mala deinde ingentia extiterunt, adductaque res Chriſtiana eſt in periculum ſummum. Defendebat Cæſar: *Minus fortaſſe honeſtam pacem, at neceſſariam eandem fuiſſe. Nam, ut victoria uſus ipſe arcem unam aut alteram eo anno repeteret; facile tamen Viſſirium, viribus per hyemem refectis, redintegrare potuiſſe bellum, quo non de Pannonia modo reliqua, ſed etiam de regionibus finitimis dimicandum foret. Eum eſſe hoſtem Turcam, quocum ne bellare neceſſe ſit, expediat habere qualemcunque pacem. Quid amittat, ſcire qui paciſcatur: ignorari, certanti cum hoſte prævalido & crudeli quid ſit bellum adempt若urum.* Hæc tamen jactari in ſpeciem videbantur pleriſque. Opinio percrebuerat, veram cauſam approperandæ pacis aliam fuiſſe. Ducturus erat in matrimonium Margaritam filiam alteram Philippi Hiſpaniæ regis. Si quid autem de hoc, parvuloque filio ejus fieret: imminens ipſe in ſpem ſucceſſionis, nolebat Turcico bello ſe implicitum; ne forte Galliæ rex hæreditatem illam armis ſibi præriperet. Venetiis nuncii belli in Pannonia depoſiti accenderunt patribus curam, timentibus ne Creta aut Illyricum viribus Turcarum univerſis mox premeretur. Frequenti Senatu cum conſultarent de ſtatu præſenti rerum; in diverſum tendebant ſententiæ. Aloyſio Muſto procuratori Marcio, & Aloyſio Molino equiti placebat, *ſcribi Ballarino, conveniret Viſſirium ex Pannonia revertentem; tentaretque, ſi poſſet inducere, ut honeſtis condicionibus faceret pacem: ubi is utique recuſaret, ipſi autem indicia fierent non dubia, molem belli inclinaturam in Illyricum; tum ut cederet Candia: neutiquam enim committendum, ut nimio ſtudio retinendi procul poſita, acciperent bellum in provinciam propinquam; unde, ſi maritimis arcibus aliquot hoſtis potiretur, habituri eum prope cervicibus impendentem eſſent.*

Excuſat Cæſar.

Vera cauſa maturata pacis.

Veneti conſultant de ſumma belli.

Placet aliis cedi Cãdia.

Contra Aloyſius Contarenus & Nicolaus Sagredus, equites ac procuratores Marcii, conceſſionem improbare, ad

Aliis per...

Google

ad quam nulla cogeret neceſſitas. *Nam neque id nava-* 1664.
lium copiarum in præſens eſſe Turcis, ut tranſmittere ad Candiam oppugnandam poſſent; nec Illyrico grave periculum inſtare ab terreſtribus, quarum robur nuper amiſiſſent in Pannonia. Quamobrem ſuadebant, *augerent ſedulo vires; neu ſuo ipſi pavore adderent audaciam hoſti: capturos deinde pro tempore conſilium: quod tunc agitarent, ut permitterent ultro, id liberum ſemper fore.* Viſi maximæ parti recte monere. Ergo *explorare modo Viſſirii animum*, juſſus Ballarinus: *ſi æqua ſe cerneret impetrare, ageret de pace: ſin minus, abſtineret.* Muniri interim placuit Illyrici arces, viaſque ſuapte natura difficiles, objectis per tranſitus operibus, impediri. Delectus qui provinciæ præeſſet ſummo cum imperio, Catharinus Cornelius: datique milites, & bellicum inſtrumentum omnis generis. Legatus additur vir bello illuſtris, Chiron Franciſcus Villa, impetratus ab Duce Sabaudiæ; qui eo imperatore copiarum utebatur. Poſteaquam Viſſirius proficiſcens Tauruno, exercitum quoque univerſum inde abduxerat: minus jam Illyrico metuentes patres, partem illinc militum tranſportari in Cretam juſſerunt. Eodem Venetiis miſſa millia peditum tria, quadringenti cataphracti equites, levis armaturæ ad octingentos, pecunia, commeatus, neceſſariaque ad bellum alia. Hoc anno Plavis flumen, quod ortum in Alpibus Carnicis per Tauriſanos labitur in mare, exceptum novo alveo eſt impendio magno; averſumque procul ab Æſtuariis Venetiarum, quæ ad oſtium ejus convecta illuvie aggerabantur. Inter hæc Viſſirius eo clarior pace facta, quod, ſi viciſſet, vix videretur facere utiliorem potuiſſe, Hadrianopolin redierat, ingenti gratia regis; mox una cum rege Conſtantinopolin. Tum adiens eum Ballarinus per occaſionem gratulandi reditum, idonea tempori oratione ſignificat: *Venetos a pace minime abhorrere, modo legibus honeſtis componeretur: ſi æqua ferre induceret animum rex, eſſe quod perſcriberet ad ſenatum.* Finire bellum cupiebat Viſſirius, dum-

dum cēſent in bello.

Vincit bonorum ſententia.

Ballarinum explorare jubent animum Viſſirii.

Illyricum muniunt: præficiunt Catharinum Cornelium, & Villam.

Audito abitu Viſſirii, pars militū trāſvehitur in Cretam.

Plavi fl. novus curſus aperitur.

1665.

Ballarinus colloquitur cum Viſſirio.

1665. modo per condiciones poſſet, quæ gratæ in vulgus eſſent. Ballarino itaque reſpondet, *ſe de Candia non ultra tendere: haberent & urbem Veneti, & aliquantum circa agri: at redderent Cliſſam, ablataque alia hoc bello in Illyrico; tum Amphimaliam, Grabuſas, Spinam Longam, atque arcem Teni inſula everterent.* Senſit Senatus, id quærere Turcam, ut in præſentia imponeret bello finem, quod cum pudore ejus tandiu trahebatur, videbatque, ſe nonniſi labore magno confecturum; tempore autem interpoſito, per otium potiretur Candia: qui enim Venetos, amiſſis portubus, atque arcibus, urbem eam deinde defenſuros? Quare manente ſententia, voluntate non tradere, quæ armis cogi pronum haudquaquam erat: reſcribunt Ballarino, *elaboraret, ut, ſi fieri poſſet, de arcibus ab Turca remitteretur.* Nihil mutabat Viſſirius. Apud animum ſuum ſic ſtatuerat: quietem hoc anno ſibi ſumere, ſcribereque milites novos: ſi perſtarent Veneti in recuſando, tum vero mittere vim copiarum ad oppugnandam Candiam. Nullo negotio perſuaſit regi; qui, æſtuante jam ætate, veneri præter modum ac venationibus deditus, libenter pateretur cuncta arbitrio ejus adminiſtrari. Igitur Meminno legato præfecti claſſis quadraginta traditæ triremes, & naves majores ſeptendecim, fere omnes mercede ab Chriſtianis conductæ, quibus ſupplementum commeatumque perferret Cydonem: juſſus idem copiam pugnandi utique hoſtibus non facere. Semel hic vitabundus Venetarum navium ſtationes, urbis ejus portum tenuit. Revectus mox Peloponneſum, acceptoque frumento, rurſus tranſmittit; celeritate navigiorum fruſtratus Marcum Lauredanum, qui cum parte navium celſioris formæ ſtabat ad promontorium Cyamum. Nec Veneti quidem rem ullam ſuſcepere; ſero auxiliorum ex Illyrico & Venetiis, propter ventos contrarios, adventu. De ſententia concilii militaris decreverat Cornelius imperator per æſtatem atque autumnum agere id potiſſimum, ut quamplurimum colligeret virium; deinde,

Poſtulatum Viſſirii.

Recuſant Veneti condicionem.

Meminus, legatus præfecti claſſis, ſupplementum & commeatũ pervehit Cydonem.

Cornelii cõſilium.

de, clauſo hybernis tempeſtatibus mari, periclitari, ſi poſſet Chalcidem, Naupliamve repente Turcis adimere, vel certe Cydonem aut Rhitymnam recuperare. Amiſſa eſt æſtatis hujus medio navis una maximæ formæ, qua vehebatur Zaccharias Mocenicus. Is navibus aliquot onuſtis milite profectus Venetiis auxilium Candiam induxerat. Revertens inde, dum per ventum vehementem ab agmine aberrat navium cæterarum; incidit in Afras quinque, a quibus extemplo eſt circumventus. Obnixus acriter, horas complures pugnam ſuſtinuit: cujus exitu etiamnum incerto, accenſus caſu ignis partem ſuperiorem navis momento hauſit, atque una Mocenicum ipſum, & plurimos militum ac nautarum. Qui flammas evaſere, paulo plus centum, vivi capti ab Afris: quibus tamen ſtetit res damno haud levi. Nam præterquamquod naves tres eorum quaſſarat perforaratque Mocenicus; cum diſtuliſſet ventus ignem, una etiam, quæ ſubierat propius Venetam, correpta incendio conflagravit. Per dies eoſdem triremes Turcicæ duæ venere in Venetorum poteſtatem: altera Euboica; quam non procul Samo ab reliqua abſcedentem claſſe, coorti ſubito captivi in trierarchum, eo cæſo & Turcis aliis ferme centum, ad Cornelium imperatorem adduxerunt: Nauplia altera, profecta Lemno, in qua inter captivos multos Samuel Cerneſchius erat nobilis Polonus. Hic ſeque & captivos ſocios vindicaturus in libertatem, opera utitur pueri cujuſdam ex Ruſſia pariter captivi, quem propter ætatem minime ſuſpectum in catenis Turcæ non habebant. Convenerat, ut certo tempore ad puppim triremis igne excitato, ſignum daret ad conſurgendum; tum arma quæ poſſet, afferret ad eos, qui proximi eſſent, & vincula demeret. Præſtitit quantum in ea ætate vix credibile ſit. Dum ex compoſito ignem accendit, hæſit forte veſtibus flamma: qua re tamen nihil abſterritus, quæ præceperat Cerneſchius, exequitur impigre; nec ſolvere vinctos prius deſtitit, quam igni torrente corpus, nullo interim

1665.

Navis Zacchar. Mocenici ab Afris circumventa, incendio abſumitur.

Triremis Euboica una,

Nauplia una, veniunt in poteſtatẽ Venetorum.

Pueri ex Ruſſia virile facinus.

 edito

1665. edito ſigno doloris, abſumeretur. Ruptis invicem catenis, pugnam cum Turcis ineunt captivi. Puppim primo expugnant: poſtea plus centum illorum cæſis, trireme potiuntur. Grave vulnus accepit Cerneſchius; qui, captivis cunctis conſentientibus, cum capta trireme ad imperatorem venit. Utramque hic miſit Venetias: ubi facta captivis manendi abeundive poteſtate, tributa iis præmia qui præcipue meruiſſent. Eadem æſtate onerariæ naves Turcarum tredecim, aliæ ad Paron aut Melon inſulas, aliæ ad Cadiſcum promontorium ab Venetis captæ. Quo autem citius meditata aggrederentur, maturius conceſſerunt hybernatum. Senatus interea paſſim per oratores ſuos regibus indicabat, *quemadmodum iniquas conditiones pacis, quas Turca tulerat, reſpuiſſet: ut tunc ſibi maxime viribus opus eſſet ad reſiſtendum, quippe alia cura jam omni vacuis hoſtibus:* auxilia rogabat, *quæ præbere & glorioſum ipſis, & utile foret Chriſtianæ rei univerſæ*. Præbuere aliqui tantum, iique opinione minora. Octo millia pondo argenti dedit Galliæ rex: pedites miſit Cæſar trecentos, qui Venetorum ſtipendia facerent in Creta. Ne triremibus ſuis juvaret rex Hiſpaniæ, cauſam objiciebat, quod uſurus ipſe quamprimum eſſet ad trajiciendum in Italiam Margaritam filiam, quam ſpopondiſſet uxorem Leopoldo Cæſari. A prorege Neapolis modo ſeptingenta pondo argenti numerata ſunt, pars exigua pecuniæ, quam rex jampridem promiſerat. Enituit liberalis animus Cardinalis Barbarini: ingentem nanque donavit frumenti numerum. Contra Pontifex non modo quidquam de ſuo adjuvit, ſed ne operam quidem adhibuit aut certe non ſynceram, ut ſaltem Melitenſes ſocialem opem ferrent. Apud hos Prior Bichius quærens gratiam, ut qui ſummum Ordinis ejus magiſterium affectaret, quæ poſtularant ab Veneto imperatore, ut potirentur, agendo ſatagendoque curabat enixe. Ergo, eo ſuadente, polliceri Pontifex triremes quatuor, quæ, depoſito vexillo ſuo, ſigna ſequerentur Melitenſium; ſatis credens, Ve-

Onerariæ tredecim a Venetis captæ.

Senatus auxilia rogat reges.

Aliquid tribuit Galliæ rex, & Cæſar.

Cardinalis Barbarinus ultro frumenti præbet.

Oblatam a Pontifice cōditionem de Melitenſium triremibus

1665.

reſpuit Senatus.

Venetos, ne carerent auxilio, dextrum locum conceſſuros. Recuſavit Senatus, cui potior utilitate dignitas eſſet. Quod autem conſilium, Romæ excogitatum, paulo poſt afferebatur, tanquam aptum unice mirificeque controverſiæ tollendæ: ut Melitenſium prætoria ita dextram teneret imperatoriæ Venetorum, ne tamen æquata fronte irent, ſed roſtrum illius infra mediam hanc conſiſteret: id enimvero tanquam futile prorſus arguebatur vanumque. Qui enim adeo inſtabili & infida natura maris, perpetuo locum, quem ſemel cepiſſent, ſervare triremes poſſe? Non, quemadmodum ſermonibus in circulis & in conviviis diriguntur, adæque in alto interque prœlia tendere claſſes.

Commentũ aliud controverſiæ dirimendæ exploditur.

Nobilitavit hunc annum mors Principum nonnullorum. Deceſſit primo Carolus Mantuanus Dux, ſecundus ejus nominis, vigenti ætate; ſi famæ credas, maturata ſibi pernicie intemperantia illicitæ veneris: filiumque reliquit annorum tredecim, Ferdinandum Carolum, ſubditum tutelæ matris.

Moritur Carolus Mantuanus Dux:

Inde Sigiſmundus Archidux Oenipontis; ut cum eo deficeret progenies Auſtriorum, qui Tyrolis Principatum obtinuerant. Juncturus ſibi matrimonio erat Heduvigem Auguſtam Palatini Svezbachienſis filiam. Obſtitit Cæſar, ne forte, ſi prius ſuſciperet ille filium; in petenda dignitate regis Romanorum, filio ex ſe naſcituro fieret controverſia.

tum Sigiſmundus Archidux.

Tum XV. Kal. Octobr. obiit Philippus Quartus rex Hiſpaniæ, annos natus quinquaginta, magno populorum dolore. Ut viſus ſit miniſtris deditus plus nimio, quos fuerat nactus valde cupidos potentiæ, propoſitique præter modum tenaces; bello autem parum felix fuerit cum adverſus Gallos, tum in Luſitania: virtute tamen quadam ſingulari excelluit, conſtantia animi juſtitiaque. Carolo filio quadrimo res lætiores precatus moriens; commendavit eum tutelæ matris: concilio VIvirum conſtituto, quorum de ſententia regnum adminiſtraret.

inde Philippus rex Hiſpaniæ

In hæc ferme conſcripſerat teſtamentum: *ſi Carolus ſine liberis moreretur; ut Margarita, nuptura Leopol-*

Teſtamentũ ejus.

1665. *poldo Cæſari, filiique ejus ſuccederent in regna Hiſpaniæ: ſi Margarita filios nullos gigneret, ut hæres eſſet Leopoldus Cæſar; hoc ſine ſtirpe decedente, Dux Sabaudiæ: ut excluderetur in perpetuum Maria Thereſia, uxor regis Galliæ; niſi ſi vidua, & ſine liberis rediret in Hiſpaniam, nuberetque alicui ex gente Auſtriæ.* Nunciis acceptis de morte Philippi, Senatus

Legatio Venetorum ad Carolum II. ſucceſſorē.

legatos duos extra ordinem ad Carolum Secundum ſucceſſorem deſtinat, Aloyſium Mocenicum procuratorem Marcium & Jacobum Quirinum equitem, qui ſolemnia in novo regno exequerentur.

Diſcordia eorum cum Pontifice, cauſa non penſi portorii.

Anno eodem diſſidium fuit cum Pontifice. Onerarias aliquot mercatorum ab terris ejus, recuſantes portorium pendere, Veneti vi coegerant. Pontifex fore arbitratus, ut occupati Cretico bello, minus pugnarent pro jure, quod illis vetuſtum eſſet in Adriaticum mare; occaſione capta, detinuit Venetas onerarias complures commeantes ad portus ſuos. Ægre, id quod neceſſe erat, ferens Senatus, per oratorem ſuum Romæ queritur injuriam. Tum edicit, ut interciperentur appellentes naves ad Venetorum portus, quotquot pertinerent ad Pontificis populos: qui gravi inde damno affecti ſunt; ut paſſim querelæ exaudirentur, negotiatorum præſertim & publicanorum.

que, ſalvo jure maris, tollitur.

Quocirca mutatum protinus ab eo eſt conſilium: viciſſim autem dimiſſis navibus, jus ſuum Venetis manſit incolume.

1666. Initio ipſo anni, qui ſequitur, ita ut conſtituerat imperator Cornelius, geri in Græcia cœptæ res; quæ parum ſecundæ, ut citius oppugnaretur Candia, effecerunt.

Deliberant Veneti de oppugnanda Cydone. Diſſuadent Nanius & Baduarius.

Parabat per hyemem ultro Turcas adoriri: ſciſcitatuſque jam erat voluntatem Senatus. Non defuerant, qui improbarent. Monere magnopere Baptiſta Nanius eques & procurator ac Franciſcus Baduarius, prope vaticinati quæ deinde evenerunt: *ne nimium audendo, maturarent ipſi Candiam adducere in diſcrimen. Quod cernerent Turcæ, laboris ingentis futuram oppugnationem urbis ejus, idcirco lentius agere. Non deſperare ſe ſe, extrahendo bellum, fore denique, ut honeſte paciſci, quam operam ſuſcipere*

pere tam arduam mallent. Si majore apparatu laceſſerentur, 1666.
vehementer timere ne irritati vires protinus omnes in Cretam effunderent. Sed nihil opus fuit oratione illos refellere: adeo Senatui ferme univerſo experiri ſpem oblatam placebat. Reſcriptum imperatori, *faceret, quod e re eſſe duceret: niſi cogeret neceſſitas, ne extra Cretam quidquam aggrederetur*. Acciverant patres ex Illyrico Villam Venetias, ut cum eo conſultarent de ratione adminiſtrandi belli. Hunc mittere viſum eſt ad claſſem, ut præeſſet copiis terreſtribus. Paron inſulam, ubi hyemabant, cum adveniſſet; concilium illico habitum de Cydone oppugnanda. Tutabantur antea urbem pedites haud plus mille ſeptingenti, ducenti equites. Obſtiterat enim Alexander Molinus præfectus navium celſiorum, ne pedites quingenti alii inducerentur; navi majoris formæ una, & myoparonibus aliquot, quibus vehebantur, interceptis. At auxerant poſtremo præſidium Janiſſari ferme bis mille. Hos claſſis tranſportarat ſex & triginta triremium; quarum nonnullæ, dum, non procul Chio, Gallicam navem ſtrenui ducis Oquincurtii, in quam inciderant, fruſtra conantur ſubigere, male mulctatæ fuerant, duabus etiam depreſſis. Nihilominus fiducia virium, nam equites amplius mille, peditum ad decem millia habebant, tria quoque millia advocaturi erant ab Candia; aſſenſi ſunt imperatori omnes. Satis ſperabant, clauſuros ſe operibus urbem, priuſquam terra ab Nova Candia ſubveniretur: ſi autem navem gravatam ſaburra in faucibus portus ſuppreſſiſſent, maritima ſubſidia videbantur prorſus intercluſuri. Nec deerant intus, qui clam pollicerentur operam ſuam adverſus Turcas. Ergo hyeme intempeſta ſolvunt Paro claſſe ſexdecim triremium, quinque quinqueremium, quinque & triginta navium celſiorum, præter onerarias, & magnum numerum minorum navigiorum. Veruntamen ſimul vela dederant in altum, ſtatim ventus contrarius exoritur; qui triginta perpetuos dies ſic tenuit, ut ſuperare parvam inſu-

Aliter cenſet pars maxima.

Mittitur ad claſſem Villa.

Præſidium Cydonis.

Claſſis ſolvit Paro.

Adverſa navigatione.

lam

1666. lam Antiparon, diſtat hæc prope admodum a Paro, non poſſent. Vento cadente profectos nebula excepit, tanta caligine, ut vix ægreque vitarent inter ſe concurſum; interdum non longe abeſſet quin aberrantes late diſſiparentur. III. ſolum Kal. Mart. Amphimalum ceperunt portum. Ab jactatione autem nova exſcenſuros calamitas adoritur: caſus nivis primo, frigoribus intolerandis, quod eo cœlo inſolitum; mox dierum multorum imbres, ventuſque, qui omnia perſcinderet ac raperet. Vincente tamen hæc patientia: ne, re jam indicata, tempus hoſtis haberet ad auxilia contrahenda; tria millia militum ab Vertmillero e veſtigio expoſita. Poſtero die Villa cum cætero exercitu egreditur; in fugam conjectis Turcis, qui modica manu ad noſcendas vires venerant. Continuo agmine inſtructo ad urbem ducit. Præcedebant ſatis magno intervallo ſexcenti pedites, equites ducenti ductu Vertmilleri & Biſſari, quem paulo ante imperator cum captivis Turcis aliquot permutarat; tum Villa ipſe cum peditibus trecentis, ut mœnia & ſitum urbis contemplaretur. Ac procurrentem inde equitum alam levi certamine repulerunt. Verum inſcitia locorum longius procedentes præſidium pene omne effuſum portis ſubito impetu aggreditur. Cernens Villa parem non eſſe ſe, receptui canit: nihil tamen turbatis ordinibus paulatim cedendo, prœlium interea ab parte ſua ſuſtinet. Idem Vertmillerus facit: itaque ſubinde excipiendo hoſtes referendoque pedem, ſpatium dedere dum reliquus exercitus adveniret. Celeriter tunc in oppidum recipere ſe Turcæ; a quibus cæſi Venetorum ſupra trecentos, ſeptendecim vivi capti; interque hos centuriones tres, & Joſephus Coraggioſus Villæ a ſecretis: ipſi parem ferme numerum ſuorum amiſerunt. Tenebant adhuc imbres, ita campos uſquequaque inundantes, ut nuſquam eſſet, ubi pedem ſiſterent incedentes, quietemve caperent fatigati. Dum in tanta difficultate conſilium hæret: morbi ingruerunt in militem affectum navi-

pervenit in portum Amphimalum.

Tempeſtate licet ſæva, exſcendunt.

Succedenti Villa ad urbem, occurrit Turca, multiſque cadunt Venetorum:

inde in urbem rediguntur.

Impediunt imbres primum, inde

navigatione adverſa & inclementia cœli; ut intra dies *1666.*
perpaucos multi miſerandum in modum interirent. Quia
vero, ne auxilia ab Rhitymna Cydonem intrarent, per
viarum labem nequierat prohiberi; haud viſum imperatori & Villæ ultra tendere. Candiam igitur conceſſuri, octavo poſt die redeunt ad naves: quas dum conſcendunt, decurrentes ab urbe hoſtes præbuerunt tumultum. Ventus inde coortus procelloſus: & ſuperquamquod dies complures ad Drepanum promontorium retinuit; naves etiam majores duas ſic afflixit ad terram, ut confringerentur. Candiam demum appulſi, quid opus facto eſſet, conſultabant. Periculoſum videbatur tentare caſtra hoſtium, quæ loco iniquo oppugnantibus poſita, triplici inſuper vallo foſſaque ſepta erant. Præſtabant quoque illi numero: nam & undique eo præſidia contraxerant caſtellorum; & triginta ab Epidauro triremes circumvectæ Cadiſcum promontorium, cohortes undecim expoſuerant ad Caſtrum Selinum, quæ terreſtri itinere Candiam Novam jam pervenerant. Janiſſari acceſſerant poſtremo mille & quingenti. Hi inſularum vecti roſtratis, parte alia deſcenderant ad Hierapytnam, nequicquam feſtinante ad impediendum Hieronymo Grimano equite, tunc præfecto navium celſiorum: qui Alexandrinas modo duas milite & commeatu onuſtas non inde procul adeptus, alteram cepit, alteram in vada delatam fuga ſuccendit. Ne tamen eo apparatu fruſtra ibi eſſent, educere ſtatuunt copias, modicoque ab urbe ſpatio ſtativa habere, quo ad omnem occaſionem inferendi hoſtibus damni expeditiores forent; tum, quod intererat multum ad oſtendendum animum, ne viderentur conceſſiſſe regione tota. Emiſſum primo equitatum luſtrabat Villa in foſſa, cum in proximam ſtationem irruit cohors Turcarum: quæ dum repellitur, Verſamus tribunus ſtrenue pugnans obtruncatus eſt. Peditatu deinde egrediente, inter urbem vallemque, qua fluit Jophyrus amnis, conſederunt. Munientes incurſavit le-

morbi, ne Villa oppugnare adoriatur.

Ergo naves conſcēdunt; non ſine infeſtatione hoſtium.

Ad Drepanum detinet ventus.

Naves ibi duæ amittuntur.

Candiam perveniunt.

Exercitus Turcarum ad Candiam Novam.

Veneti non procul urbe caſtra metantur.

Prælia ibi parva primum ſeruntur.

1666. vioris armaturæ equitatus: quem illi, nonnullis interfectis, cum fudiſſent; poſtridie cum robore exercitus erumpens Baſſa, duo millia Janiſſarorum præmittit, ut vallum aggrediantur. Et curſu prope illati ſtationem pro caſtris unam atque alteram invaſerant. Succedebant porro ad vallum ipſum. At oppoſitus ab Villa equitatus ſuſtinuit eos primum; mox impulſos, plenoſque vulnerum ac cædis redegit ad ſuos. Accendit ea res iram magis Baſſæ, quam imminuit ferociam. Itaque ſub meridiem univerſas copias ad oppugnandum admovet. Aliquandiu dimicatum eſt compari marte; obnitentibus impigre Venetis, Turcis autem ſubinde inſtaurantibus impreſſionem, quos recentes uſque ſubmitteret Baſſa. Objectus antea ab Vertmillero agger tranſverſus dedit ut ſuperarent tandem Veneti. Ubi nanque, ſuperimpoſitis raptim balliſtis minoribus, peti inde cœpti ſunt Turcæ; ſubibant primo ſegnius: poſtea incurrentibus in latus, quos Villa turmatim diviſos per loca opportuna ad id diſpoſuerat, pugnam ancipitem non tolerantes, turbatis ordinibus recedebant. Trepidis inſtitit pertinaciter Venetus, fruſtra conante Baſſa fugam ſiſtere. Ad mille Turcarum ceciderunt, in iis tribuni & ductores ordinum nonnulli. Ab Venetis amiſſi paulo amplius ducenti; vulnerati tamen multo plures, inter quos Nicolaus Imota ductor Epirotarum, tribunique duo, Dominicus Corradinus, & Jacobus Butus. Cautius exinde Baſſa agere. Medio in campo ab ſtationibus identidem procurſabatur; tumultuoſaque tantum prœlia ex occaſione hujus aut illius partis fiebant: maxime in id intentis utrinque ducibus, ut eos qui lignatum pabulatumque egrediebantur, exciperent inſidiis. His certaminibus plerunque ſuperabant Veneti: occupato etiam Jophyri ponte, excitarant aliquot circa caſtella. Et quinquageſimum jam diem caſtra ibi habebant; cum afferuntur nuncii, *exiiſſe Helleſponto quinquaginta triremium claſſem, duce Caplano Baſſa: Peloponneſum eum contendere, ut*

Deinde Turcæ omnibus copiis vallum invadunt.

Repellunt Veneti, multis occiſis.

Veneti capiunt pontem Jophyri.

Repête imperator timet Zacyn.

1666.

ut collectos milites ſumeret, illinc autem tranſmitteret Zacynthum; magna ſpe, adjunctis navibus Afrorum, adimendæ Venetis inſulæ, quo auxilia omnia ex Italia conveniebant. Cauſa hæc imperatori fuit, cur relatis in tutum machinis, everſiſque operibus, exercitum citius, quam conſtituerat, reduceret in urbem. Tum relicto Vertmillero cum militum parte, Grimanum cum duobus millibus peditum, & turmis quatuor equitum, Zacynthum mittit, qui inſulam tutaretur: Franciſcum Barbarum viginti triremibus oram Peloponneſi reddere infeſtam jubet: ipſe claſſe cætera circumvehi ſtatuit Ægæi maris inſulas, ſi qua poſſet intercipere Turcica navigia, aut etiam prœlio confligere cum Caplano. In timore erant Zacynthii, ad quos rumor idem pervaſerat. Recreavit auxilium intromiſſum ab Grimano; qui inſuper Afras naves tredecim, Caplanum propter inſulam opperientes, in fugam conjecit. Barbaro ſpes fuerat incendendi triremes ſex & onerarias octo ad Epidaurum ſtantes. Sed ex arce uſque jaculantes Turcæ, ne propius admoveret triremes, prohibuerunt. Imperator vero Diam inſulam veniens, menſes ferme duos detentus ſeptentrionibus adverſis eſt: quo tempore oſtenderunt auxilia ſua Melitenſes, ſeptem triremibus illuc advecti. Quod ſibi negaturum cum non ignorabant, cum denuo fruſtra petiiſſent: paulo poſt ab Ordinis Magiſtro juſſi navigare in Hiſpaniam, ut ſponſam Cæſaris in Italiam proficiſcentem deducerent, abierunt, & hoc anno Candiæ nihil utiles. Interim Turcæ, claſſe diviſa, alii parte alia, ventis uſi iiſdem, in Cretam trajicientes, intra dies paucos, octo millia militum comportarunt, tum copiam armorum & commeatuum; eluſis Venetis, quos ut inde abſtraherent, ſimularant Zacynthum ſe petere. Media fere æſtate, Barbaro & Grimano rurſus cum imperatore ad Diam conjunctis, deliberari cœptum de integro, quid aggredi præſtaret. Cenſebant quidam Naupliam tentandam; alii Chium Coumve. Sed pleriſque

tho ab Caplani claſſe.

Ergo revocat ſuos in urbem;

&, diviſa claſſe ad cuſtodiam, ipſe cum parte navium occurrit Caplano.

Grimanus Afras naves ad Zacynthum disjicit.

Ad Diam retinetur vento imperator.

Interim milites Turcæ in Cretam trāſvehuntur.

Veneti conjungunt vires.

Conſultant de oppidis

Digitized by Google

1666. que natura & arte munitior videbatur Nauplia, quam *hoſtium oppugnandis:* expugnari ut poſſet ante autumnum: Chium autem & Coum, in quas inſulas continenti proximas facile eſſet Turcis militem & neceſſaria omnia ſubmittere, laboris itidem multum præbituras oppugnantibus, oſtendebant. *mox claſſis denuo dividitur.* Diebus aliquot conſultando nequicquam abſumptis, ad ultimum placuit dividi rurſus claſſem, quo obſiſteretur ne auxilia hoſtium porro tranſveherentur in Cretam. Non ultra tamen eſt profectum, quam ut ductor alter *Leonius & Grimanus naves aliquot capiunt.* navium majorum Nicolaus Leonius onerarias tres ad Nicariam inſulam, Grimanus autem in Pelaſgico ſinu alias decem caperet; quæ Turcis locatæ ab Chriſtianis commeatus ibi acceperant, Cydonem tranſportandos. Poſt aliquanto Delum convenere: illinc autem, appe- *Andrum omnes petunt hybernatum.* tente autumno, viſum imperatori Andrum concedere, ut quietem remigi ac militi daret, naveſque reficeret. *In Illyrico incurſantur invicem fines.* In Illyrico hac æſtate nec laxamentum ab armis fuit, neque ulla parte pugnatum graviter. Agri invicem ſic incurſabantur, ut coli non poſſent. Sæpe Illyrii penitus illati in fines prædas inulti egere. Semel inter Novigradum & Argyrutum, quod eſt ad Tedanium fluvium, ſimulata fuga pertracti a Turcis in inſidias, multos deperdiderunt ſuorum. Trepidatum inde ad Macarſcam: cujus agrum hoſtili populatione ingreſſus Baſſa *Baſſa Boſnenſis caſtella oppugnat circa Macarſcam.* Boſnæ cum decem armatorum millibus, ducturus ad urbem oppugnandam erat. Impares aperto marte, receperant ſe ſe populi ex agris intra caſtella, quæ plurima opportunis locis prope mare permunita habebant. Dum ad ea caſtella bellum circumfert Baſſa, Illyrii au- *Submovet eum legatus Cornelius.* tem ſtrenue repugnant: ſuperveniens legatus Cornelius cum triremibus tribus, & decem biremibus, inceſſendo a mari, omittere coegit incœptum. Nec tutus domum reditus fuit Turcis. Nam Illyrii egreſſi extemplo, carpenteſque agmen poſtremum, nonnullos occiderunt aut vivos ceperunt. Quod tamen damnum penſatum eſt paulo poſt capta ab Olciniatis prædonibus navi,

vi, qua Almericus Sabinus Sicum revehebatur. Inter hæc Conſtantinopoli Ballarinus mentionem denuo moverat pacis. Non deerant, quæ Viſſirium, quamvis ſolutum Pannonico bello, facile ab Cretico averterent. Seditio nanque exarſerat in Aſia, duce Baſſa Teredonenſi: aggregabantque ſe undique populi ſtudio novandi res; ut nonniſi juſto exercitu comprimi motum putaret poſſe. Uno tempore angebat cura, quod cum ſociis eſſet bellandum. Naganenſium Tartarorum non parvum numerum migrare juſſerat rex Turcarum in Valachiam, ut aſſignatos agros colerent. Ægre id patiebantur Tartari alii: quare ſubito adorti abeuntes, pene ad unum interfecerant. Viſi Conſtantinopoli commiſiſſe, quod nihil abeſſet ab rebellione aperta. Quando autem rege auctore id factum, ſatis credebatur; non dubitatum eſt quin ſpoliarent regno. Accitus Mahumetes Mira, ortus ex eodem ſanguine, qui Rhodi obſes aſſervabatur, ut illi ſuccederet: datæ decem triremes, quibus eo trajiceret; juſſique frequentes adeſſe Valachi & Moldavi. Pro certo tamen exiſtimabat Viſſirius, rem fore haudquaquam expeditam: neque enim armatum ceſſurum, niſi magna vi copiarum detraheretur. Quare parabat bellum; ratus in eventu ejus certaminis poſitum eſſe, aut ſperni deinde Turcarum regem ab Tartaris aut timeri. At præter opinionem omnem ne oſtendere quidem arma neceſſe fuit. Rex nanque diffiſus ſuis, partim quod inſitus mos genti eſt majeſtatem regis Turcarum ſuperſtitioſe colere, partim conſcientia avari dominatus; ſimul accenſus pertulit ad eum imperium, cederet regno, concidit animis. De uno ſolicitus, ne purgandum ſibi coram Conſtantinopoli eſſet, filium legat cum donis ad regem & Viſſirium: a quibus ſatis habens impetrare, ut liceret privatam vitam degere, regno abit. Æque felici exitu ſeditio etiam extinguitur ſine vi. Turbas conciverat Baſſa Teredonenſis maxime fiducia regis Perſarum; quem propter veteres injurias infen-

1666.

Viſſirius non prorſus abhorret a pace cum Venetis: angente animum ſeditione in Aſia, & audacia Tartarorũ.

Sed brevi & rex Tartarorum cõcedit,

& ſeditio tollitur.

1666. infenſum Turcis, auxilio fore haud dubitabat. Aſt ubi Perſa nec militem mittebat pecuniamve; & per legatos ſancte affirmabat regi ac Viſſirio, ſe neque participem conſilii ejus fuiſſe, neque re ulla ſeditioſos adjuturum: condicione, quæ ferretur, accepta, ab armis diſceſſit. Nondum his compoſitis, viſus erat Viſſirius de pace audire minime invitus. Quod enim æquum eſſe oſtendebat Ballarinus, modum agri Candiæ tribui, quantum urbis poſceret magnitudo, retinereque Venetos quas poſſiderent in inſula arces; mollius abnuebat. Ubi cura de Tartaris deceſſit, & ſeditioſis; paciſcebatur ipſe: *ut fines utriuſque imperii in Creta montes forent, qui agrum Candiæ diſterminant ab agro Cydonis; ita tamen, ut ſaltem Amphimalia everteretur.* Hæc, quacunque proponerentur mente, cum Ballarinus ſcripſiſſet ad Senatum; priuſquam reſponſum acciperet, allata fama Conſtantinopolin attentatæ Cydonis, aliquid tumultus excitavit. Fremebant, *annos plus viginti magna cum ignominia bellum duci. Quæ præmia ejus pro confectis tributo populis, pro tot millibus Ottomanorum cæſis, pro tot amiſſis claſſibus, haberent in Creta, Cydonem & Rhitymnam; ea jam Venetum ſumma ope conari eripere: nec, ſi eripiat, aliud expectandum, quam ut qui ultro intuliſſent, ipſi acciperent bellum in fines ſuos. Adeon virtutis & gloriæ avitæ oblitum regem, ut bellis prioribus omnibus victum hoſtem, nune pateretur impune provocare? Sed, ne quod dignum eſſet majeſtate imperii ageret, fieri culpa Viſſirii. Hunc ſocordem, quia adire partem laboris ac periculi non audeat, pacem ſpectare unam: ejus ſpe fovenda ab fortibus conſiliis illum avocari, Venetis animos adjici ad perſultandum.* Erant primores quidam, in quos benevolentia regis creſceret in dies magis. Hi veriti ne propter gratiam eam ipſam ſubirent demum Viſſirii odium; occaſioni non defuerunt proſpiciendi ſibi. Itaque populi querelas ad regem deferentes, augenteſque etiam in majus, ut proprio diſcrimine territarent; perpulerunt, accitum ſubito ad ſe juberet, quam maxima

Diſceptat Viſſirius cũ Ballarino.

Condiciones ponit.

Sed allatis nunciis Cydonis tentata, accenduntur indignatione animi.

Imperat Viſſirio rex, ut tranſ-

ma vi copiarum bellum conficere ductu ſuo ; atque 1666.
haud mora tranſmittere in Cretam ad caput belli Candiam oppugnandam. *Mittitur ipſe in Cretam.* Vix quidquam accidere potuit Achomati iſtiuſmodi imperio moleſtius, ut qui nequaquam ignoraret, quanti operis futura oppugnatio eſſet; provideretque, ſi caderet ad irritum conatus, certam fore perniciem ſuam. Quando autem, quidquid callide objiceret, nihil mutabat rex: utitur arte, ut cuncta ſibi tuta circa illum relinqueret. *Magna cũ cura res præmolitur Viſſirius.* Ipſi primo perſuadet, migraret Hadrianopolin; eo conſilio, ut in magna ibi venandi copia minus de negotiis publicis cogitaret. Deinde per varias cauſas amoris munere, quos vel leviter ſuſpectos haberet, ſubſtituit homines fidiſſimos ſibi. Tum, ut abſens quoque arbitria ageret rerum omnium, legatum ſuum in urbe conſtituit ſororis virum. Ab Venetis vero ne periculum eſſet Cydonem trajicienti, pronunciat profectionem ſuam Chalcidem; ubi ſubſiſteret, militeſque & cætera neceſſaria ad bellum mittenda in Cretam præſens curaret. Conventu copiarum Thebas indicto, Hadrianopoli Theſſalonicam tranſit, inde Lariſſam. Mox progreſſus Thebas, *Thebas venit; eoque advocat Ballarinũ.* Ballarinum accerſit Conſtantinopoli, quicum colloqueretur de condicionibus pacis, ſi forte declinare belli aleam poſſet. Veruntamen fruſtrata eſt ſpem inopportuna mors Ballarini. *Sed is in Theſſaliæ finibus moritur morbo.* Morbo æger, & languens e via pervenerat ad vicum Theſſaliæ ignobilem; bidui iter abeſt Thebis, Iſdinum dicunt. Ibi paucos intra dies extinguitur; magno vel Turcarum dolore, tum quia cupidi pacis erant, tum propter opinionem virtutis, quam ille de ſe haud parvam vel apud barbaros excitarat. Venetiis viri mortem pergraviter tulit Civitas. Funus ei publicum decretum; quod inſigne mœſtitia Civium maxime fecit. Tum conſenſione ingenti in locum ejus ſurrogant magiſtrum ſcribarum, Dominicum filium, quamvis admodum juvenem; quique, ut in rep. bene morata, verecundia ætatis Civibus aliis digni- *Sufficitur magiſter ſcribarum Dominicus filius.*

1666. gnitatem eandem petentibus ultro concederet. Delectus

Hieronymus Javarina destinatur Constantinopolin.

poſtmodo Hieronymus Javarina a ſecretis Xvirum, qui Conſtantinopoli Ballarini demortui obiret munus. Uno tempore ſcriptum Jo. Baptiſtæ Padavino, qui fuerat Ballarino a ſecretis, ut ab Turcis fidem acciperet, inviolatum venturum Javarinam; ac, ſi occaſio daretur interim, ne prætermitteret agere de pace. Jam Viſſirius luſtrarat ad Thebas exercitum, quem e veſtigio terra præcipere iter placuerat in Peloponneſum; juſſa

Viſſirius Chalcidem petit; inde Epidaurum:

eodem feſtinare parte magna triremium: ipſe Chalcidem petens, velut ea in urbe moraturus, triremes alias remige infrequentes Conſtantinopolin remittit. Deinde citatis equis repente contendens Epidaurum Peloponneſi, ut exploraret ſatin tutus eſſet trajectus Cydonem; quatuor ibi millia Janiſſarorum imponit trire-

unde, præmiſſa militum parte, traiicit Cydonem.

mibus, illuc tranſportanda. Triremibus reverſis, conſcendit cum quatuor millibus aliis pecuniaque, & vi æris infecti ad conflanda tormenta: ac proſpero vento uſus, dies ante aliquot appulit Cydonem, quam Veneti moviſſe eum cognoſcerent. Continuo reliquus exercitus commeatibus pluribus in Cretam tranſvehitur.

Margarita filia regis Hiſpaniæ per fines Venetos tranſit.

Hoc anno Margarita filia Philippi Hiſpaniæ regis, ſponſa Leopoldi Cæſaris, cum advecta eſſet in Italiam, per terras Venetorum in Germaniam itura; obviam miſſus legatus extra ordinem Sylveſter Valerius procurator Marcius: qui fines ingredienti præſto fuit apparatu magnifico, proſecutuſque ſplendide eſt, donec exiret. Cæ-

1667. terum ex quo audierant patres, Cornelium imperatorem conceſſiſſe Andrum in hyberna; dubitare vehementer cœperant, ne Turcæ libero mari quantum vellent

Frãc. Maurocenus ſuccedit Cornelio imperatori.

militum tranſmitterent in Cretam: quamobrem Franciſcum Maurocenum legatum cum poteſtate ſumma poſt imperatoriam crearant; qui, priuſquam Venetiis ſolveret, petenti miſſionem Cornelio imperator eſt ſuffectus. Ut Viſſirium validis copiis trajeciſſe Cydonem acceperunt; tum vero intentos in univerſum eventum belli

ſoli-

Digitized by Google

1667.

ſolicitabant curæ. Inſtare apparebat oppugnationem Candiæ, eamque longe quam antea atrociorem fore. Quocirca conatu majore apparari cœpta ſunt omnia ad reſiſtendum. Dum autem profectionem inſtruunt imperatoris, per oratores ſuos de tranſitu Viſſirii in Cretam reges certiores faciunt: *vereri ſe ſe magnopere ne, affectis diutino bello viribus, ſuſtinere ipſi per ſe impetum tantum non poſſent. Tunc vel maxime facturos eos pro inſigni amore Chriſtianæ rei, ſi ferrent opem. Ubi claſſes ſuas claſſi Venetæ adjunxiſſent; non vanam ſpem eſſe incluſum Turcam in Creta inſula, interceptis undique auxiliis, iri obſeſſum ipſum multo arctius, quam quos obſeſſurus advenerit.* Plurimum fiduciæ reponebant in rege Galliæ; quem putarent arrepturum avide occaſionem ulciſcendi legatum Vandeletium. Hunc enim Viſſirius, priuſquam diſcederet Hadrianopoli, expoſtulantem priores injurias, dolentemque dolorem ſuum, non ſolum tractarat contumelioſis verbis; ſed etiam diſcinctum per ludibrium, & pulſatum fuſtibus, denuo claudi per dies aliquot carcere juſſerat; triſtiora minitatus, ſi quid pergeret queri, implorareque gentium fidem. Veruntamen mota hoc eodem anno ab rege arma adverſus Hiſpanos, ab juvandis Venetis avertere. Itaque hæc modo ſubſidia tunc ad bellum Turcicum contulerunt externi: pedites ſexcentos ſpopondit Cæſar, ab Venetis accepturos ſtipendium; quadringentos M. Hetruriæ Dux, qui impenſis ſuis in Illyrico militarent, idemque ſulphurei pulveris, & incendiariarum glandium non parum Candiam miſit. Ab Duce Sabaudiæ numerata octingenta pondo argenti, unde ſumptus levaretur in ſtipendium militum, quos in Creta habebat. Ab rege Hiſpaniæ deſtinatæ triremes octo, quinque a Pontifice; eoque cauſa ceſſandi adempta Melitenſibus eſt: tum peditibus ducentis auxit hic cohortem, quam pridem in Illyricum miſerat; poteſtatem quoque fecit ſcribendi in terris Romanis milites quingentos, exigendique ab Clericis Venetis extraordinarium tributum,

Reges edocet Senatus de trajectu Achomatis in Cretam;

& auxilia petit;

præſertim ab rege Galliæ.

Sed hunc diſtinet bellum Hiſpanicum.

Subſidia ab externis præbita.

1667. Subſidii nomine. Cardinalis etiam Barbarinus quingenta ferme pondo argenti dedit, partim præſentia, partim perſolvenda a debitoribus ſuis. Sub hæc Pontificem animo jam ægrum, præſertim propter fœdum exitum certaminum cum rege Galliæ, adortus morbus, paucorum ſpatio dierum conſumpſit; Cardinalibus aliquot poſtremo creatis, in quibus erat Joannes Delphinus Patriarcha Aquilejenſis, Joſephi & M. Antonii frater, clari utriuſque militaribus hoc bello rebus, vir magna fama prudentiæ, & multa reconditaque literatura. XI. Kal. Junias vita eum defecit acta in regno annos duodecim. Ab rectis initiis Pontificatus, cum prope ſtatim ſpem deſtituiſſet, moriens in nullo hominum deſiderio fuit; viſus potiſſimum curaſſe commoda conſanguineorum; ſtudiumque intempeſtivum ornandæ urbis ædificiis & molibus antetuliſſe periculis reip. Chriſtianæ. Quare læta etiam mors accidit multitudini: quæ iram haud tenuit in Marium fratrem, concurſu facto ad ædes, jactiſque probris in eum & propinquos alios, quorum amor immodicus Pontificatus minus feliciter adminiſtrati cauſa haberetur. XIV. Kal. Quinct. creatur Pontifex Julius Roſpilioſius Piſtorienſis, annos natus novem ſupra ſexaginta: acer ingenio, probus, non mediocriter excultus literis, uſuque rerum doctus in primis. Legatus Pontificis fuerat Madriti; ubi Hiſpanis gratiſſimus, uno tempore eum ſe geſſerat, ut non ſolum nihil offenderet Gallos, verum etiam horum in ſe favorem accenderet. Effecit id, ut opera Cardinalis Decii Azzolini facile in illum Galli conſentirent Hiſpanique. Clemens Nonus appellatus eſt: eamque curam primam Pontificatus ſui oſtendit, ut Chriſtianos reges reduceret in concordiam. Exorſus ab Gallis, qui commiſiſſent bellum, Abbatem Jacobum Roſpilioſium, filium Camilli fratris ſui, tunc legatum Pontificium Bruxellis, tranſire extemplo jubet Lutetiam; qui per quidquid ſancti eſt, oraret regem ut arma deponeret. Ac benigne

Alex. Pont. moritur.

Elogium ejus.

Sufficitur Clemens IX.

qui hortatur Gallos ad pacem.

gne quidem admiſit rex, audivitque; ſolicitudinem etiam Pontificis valde commendavit. Cæterum cauſas exequebatur, quamobrem bello non abſiſteret: fortuna inſuper, quæ tunc illi adſpirabat in Belgio, ſpiritus ſubjiciebat majores, quam quietis opus conſiliis eſſet. Venetiis, quæ patrum opinio de Roſpilioſio Cardinali tenebat, creatum Pontificem libentes audivere. Camillus frater, & filii quatuor Camilli in patricios adſcripti: decretique Romam legati quatuor extra ordinem ad gratulandum, Andreas Contarenus, Nicolaus Sagredus, Baptiſta Nanius, & Petrus Baſadonna, equites & procuratores Marcii. Simul per oratorem ſuum cum edocuiſſent de ſtatu rerum in Creta, profeſſique eſſent conſtantem in bello ſuſtinendo animum; collaudavit ille virtutem, ac pollicitus ultro auxilia eſt. In præſens & quatuor millia pondo argenti tribuit ex Decumis ſacerdotiorum in Italia, quas Alexander cauſa belli Pannonici imperarat; & permiſit, ut in terris Romanis ſeptingenti alii milites ſcriberentur: exitu autem anni pedites dedit quingentos, ac Vincentium Roſpilioſium, fratris filium, deſignavit præfectum triremium in annum ſequentem. Viſa Senatui inter hæc affulgere ſpes jungendi ſibi Caſimirum Poloniæ regem. Imperio regis Turcarum Tartari numero modico incurſabant Polonorum terras, ex Ruſſia maxime prædam abigentes hominum, quibus ille uteretur in remigum ſupplementum. Trepidatum inde toto regno: metuſque injectus ne, quem rumorem de induſtria ediderant Tartari, exercitus Turcarum ingens propediem fines intraret. Dum externa auxilia circumſpectat Caſimirus, per Palatinum Lencizienſem, qui venerat forte in Italiam, petebat ab Senatu Veneto, ut opem ferret adverſus hoſtem communem. Patres, qui cernerent plus nimio commoveri Polonos excurſione Tartarorum, bono animo eſſe regem juſſerunt, cui nihil impenderet periculi ab Turcis, mole omni virium Cretam tunc prementibus: quin e-

1667.

Legatio Venetorum ad novum Pontificem; cujus conſanguineos in patricios cooptans.

Ultro adjuvat Pontif. ad bellum Turcicum.

Corantur patres fœdus jungere cũ Caſimiro rege.

1667. nixe hortabantur, *ne eam ipſam occaſionem egregiam amitteret inferendi ultro illis belli: paratos ſe fœdus facere in leges, quæ utrique reip. utiles eſſent.* Ab conſilio tali haudquaquam abhorrebat Caſimirus. Per Ordines regni ſtetit, ne quid aggrederetur. Cum enim mox Tartari recepiſſent ſe in ſuos fines: ſimul formido, ſimul cura omnis belli deceſſit animis.

Per Polonos res ad irritũ recidit.

FINIS LIBRI DECIMI QUARTI.



HISTORIARUM VENETARUM

LIBER DECIMUSQUINTUS.

1667.

PEr hyemem moratus Cydone Viſſirius excipiendis copiis aliis, undique illuc convenientibus, & apparandis quæ ad oppugnationem opus erant; vere appetente, venerat Candiam Novam. Progreſſus inde cum paucis, ut mœnia & naturam urbis obequitans contemplaretur: quanquam munitiſſimam acceperat fama, tamen valde miratus dicitur cum ſitum ejus, tum magnitudinem formamque & varietatem operum externorum; vix ſpes ut eſſet, quantuſvis exudaretur conatus, expugnari poſſe. Itaque Cydonem rediens cogitabundus jam pacem malebat: eo Padavinum accerſit Chalcide, ut diſceptaret de condicionibus. Atque, ut in gravi ſolicitudine de belli eventu, fortaſſe haud ægre convenisſet; niſi obſtitiſſet Baſſa quæſtor, quem & proceres una permultos alios ibi conſortes eſſe voluerat laboris periculique. Is nihil ſerviens auribus, nunc monendo *ne, ſi territus difficultate, minus honeſte paciſceretur, exitium ſibimet crearet*: nunc oſtendendo, *ut tempore longinquam, certam tamen expugnationem fore: neque enim Venetis, quidquid pollerent mari, ſuppeditaturum exercitum terreſtrem, quo ab incepto averterent*: tandem animum nutantem confirmavit. Quare advenienti Padavino leges pacis edit, *ut Creta inſula cederet Venetus; urbem modo Candiam retineret, cui tantum tribueretur agri, quantum quatuor horarum itinere circumiretur: utque Amphimaliam nominatim traderet eo ſtatu, quo tunc eſſet*: dies autem ſeptuaginta præſtituit, intra quos reſponſum Senatus daret. Satis putabant patres, *non vere agere de finiendo bello Achomatem, qui ferret paſſiones tam* ini-

Candiæ oppugnationē inſtruit Viſſirius Achomates.

Speculatus urbem terretur difficultate expugnandi.

Padavinū accerſit, acturus de pace.

Sed avocat a conſilio Baſſa quæſtor.

Ergo condiciones iniquas proponit Padavino!

quas abnuit Senatus.

1667. *iniquas accipientibus. Nam Candia ſtatim concedere, aut habere anguſtiis ejuſmodi, ut hoſtis arbitrio ſuo potiri deinde poſſet, quantulum diſtare? Huc ſpectare eum, renovata mentione pacis, ut apparatum ipſi parte remitterent aliqua.* Ne tamen ultro præciderent ſibi ſpem; reſcribunt Padavino, *curaret, ut latiores fines urbi aſſignarentur, terminandi regionibus certis.* Paulo poſt Javarinam tranſmittere jubent in Græciam: qui, ubi fieret facultas, apud Viſſirium eſſet, audiretque de pace per occaſionem, ſi quam belli fortuna præberet. Interim Venetiis ſolverat imperator Maurocenus cum grandi pecunia, tribus millibus militum, & copia bellici inſtrumenti. Candiæ vero elaborabant Antonius Barbarus legatus in Creta & Villa, ut oppidum munirent ſubterraneis operibus, potiſſimum ab parte verſa in orientem ſolem, qua Achomatem credebant, ſicut antea Cuſſeimum, oppugnaturum. Caſtella quoque excitabant locis pluribus, unde ſubeuntem miſſilibus procul arcerent: quo tempore parva prœlia extra munitiones quotidie ferebantur cum Turcis, qui modico inde intervallo admovere aggeres jam cœpiſſent. Præſidium erat in urbe ſex millia lectorum militum. Multitudo aderat oppidanorum, parati ad omnia tuenda atque obeunda. Abundabant commeatibus, armis, tormentiſque æneis gravioribus, quæ amplius quadringenta diſpoſuerant per muros. Claſſis pars portum & littora circa cuſtodiebat: partem inter Cyamum & Drepanum promontoria habebat in ſtatione Alexander Molinus præfectus alter navium celſiorum, ad prohibendum ne qua navis Turcarum Cydonem commearet. Incidere in eum viginti onerariæ; quarum undecim potitus eſt, reliquas disjecit. Ut autem cognovit ex captivis, brevi adventuras armatas naves majoris formæ tres & viginti, frumentum, milliaque duo militum portantes Cydonem, ductu Rhadamanni, qui maritimæ Ægypti oræ præſidebat: ad Drepanum occurrit. Quinque primo apparuere. Quibus in fugam averſis, mox claſſem cæteram aſſequitur.

Proficiſcitur Venetiis imperator Maurocenus.

Barbarus & Villa Candiam muniunt.

Alexander Molinus undecim onerariis potitur.

tur. Spatium deerat dimicandi, intendentibus jam ſe tenebris: circumſtitit nihilominus, ne per noctem elaberetur. Luce prima facto impetu, naves duas parvo labore in poteſtatem redigit. Cum aliis varium erat certamen, magna vi repugnantibus Turcis. Et navis horum una indepta unam Venetam, prope ceperat; ad quinquaginta armatis in eam tranſilientibus. Verum connixi deinde acriter milites nautæque, interfectis primum qui puppim occuparant, navem ſuam liberant: poſtea adverſam ultro adorientes, cæſis aut dejectis qui tuebantur, expugnant. Accenſum prœlium procul conſpicatus Viſſirius e muris Cydonis, triremes quatuordecim auxilio miſerat ſuis: ſed in adventantes confeſtim actæ naves duæ ab Molino, portum unde exierant, non leviter mulctatas coegerunt repetere. Interim naves alias duas ſubegerant Veneti. Contentio anceps hærebat inter prætorias Molini & Rhadamanni. At medio in ardore puppim Turcicæ navis corripuit repente incendium, pene ut momento tota conflagraret. Pauci, qui ut flammas evaderent, dejecerant ſe in mare, ſervati ſunt captique; in quibus fuit Rhadamannus & filius ejus. Ubi amiſſam prætoriam videre naves reliquæ; omiſſa pugna, effuſe fugere intendunt. Aliæ alio delatæ: duas gravius quaſſatas laceratasque hauſit mare. Quinque earum, quæ in ſinus vicinos decurrerant, nocte fallentes Venetum, Cydonem tenuere. Milites aut nautas paulo plus centum amiſit Molinus; qui naves aliquot vulneratas ut reficeret, Melon trajiciens, ad inſulam moratus quatriduum eſt: inde ad priorem ſtationem redit. Zacynthum per id tempus pervenerat Maurocenus imperator, opportune ad Villam in Cretam reducendum. Abeundi cauſam præbuerat diſcordia ejus cum legato Barbaro, imperium vindicante etiam in milites, quos ipſe ſecum ex Sabaudia adduxerat. Cum enim contra obſtinaſſet, niſi uni duci ſummo, parere nemini; abſcedens petierat Zacynthum, reverſurus protinus in Italiam: obten-

debat

1667.

Pugnat cū Rhadamanni navibus.

vincit, captis navibus aliquot, & Rhadamanno ipſo.

Maurocenus Zacynthum advenit.

Villam abeuntem, ob

1667\. *diſſidium cum Barbaro, reductis in Cretam.*

debat autem mandata Ducis Sabaudiæ ad ſe revocantis; ut uteretur in finibus regundis, de quibus nuper diſſidium extiterat cum Genevenſibus. Imperator, ne tali deſtitueretur momento ad defendendam Candiam, ſuadendo precandoque pervicit, ut ſecum in Cretam rediret; fide data curæ fore Senatui, ne Dux Sabaudiæ pateretur invitus eum abeſſe. Candiam appulſus, luſtratis copiis, inſpectiſque munitionibus, poſtquam præparata omnia invenerat ad reſiſtendum; has partes ſumit ſibi, ut quacunque poſſet ope, maritima hoſtibus auxilia intercluderet. Ergo triremibus quatuor ad portus cuſtodiam

Candia Melon trajicit:

deſtinatis, claſſe univerſa Melon tranſmittit. Ut egreſſum Helleſponto audiit Caplanum triginta navium majorum, & ſexaginta triremium claſſe: quia tam lato mari erat incertum, qua potiſſimum iret obviam, optimum ratus eſt regredi in Cretam. Quare Amphimaliam

Reverſus in Cretam, habet claſſem in ſtatione ad Drepanum & Cyamũ.

navigat; diviſiſque copiis, Hieronymum Grimanum cum celſioris formæ navibus in ſtatione collocat ad Drepanum promontorium: ipſe quinque & viginti triremibus ac ſex quinqueremibus conſiſtit circa Cyamum. Prorſus credebat, Epidaurum Peloponneſi hoſtem trajecturum ad milites accipiendos, quos traduceret Cydonem: eo loca elegerat, unde ex compoſito cum Grimano adoriri accedentem ancipiti prœlio poſſet. Veruntamen ad eludendum nec ars Caplano defuit, nec fortuna. Relictis nanque ad Chium quatuordecim triremibus minus inſtructis remige, & navibus majoribus quæ tardius ferrentur; claſſe ſex & quadraginta triremium præter oram Aſiæ vectus, Coum venit, inde

Fruſtratur eum Caplanus adjutus vento.

Melon: tum acer coortus ſeptentrio cum eſſet, adeo celeriter contendit Cydonem, ut, quamvis ad eum procul conſpectum, ſigno confeſtim dato, utrinque procurriſſent Veneti; priuſquam aſſequerentur, portum intraret. Vixdum expoſuerat militare inſtrumentum & cohortes ſex Janiſſarorum; cum velut ad conſtitutum verſus ſubito in Africum ventus, facultatem denuo elaben-

labendi dedit. Eadem qua venerat celeritate reverſus 1667. Melon, exſcenſum facit; perpopulatuſque agros, prædam maxime hominum abducit. Evaſtare continuo Paron atque inſulas porro alias decrerat, ne qua re illinc juvarentur Veneti. Sed allatis nunciis Maurocenum adventare; omiſſo incœpto, Samum, poſtea Chium claſſem reducit. Inter hæc viribus univerſis ſubierat Viſſirius ad Candiam oppugnandam. Plus quadraginta millia armatorum habebat ſub ſignis, præter voluntariorum multitudinem, & foſſorum ad millia octo: tum apparatum adduxerat ingentem machinarum & tormentorum, quorum partem magnam conflari per hyemem curarat Cydone. Primum omnium Novam Candiam ſolo æquavit, ne receptus ejus fiducia faceret militem ſegniorem. Deinde, quantum copiarum ad ſpeciem oppugnationis ſatis videretur, cum admoviſſet qua fere Cuſſeimus multis ante annis urbem fruſtra tentarat: partem, quæ ſpectat ad occidentem ſolem, ab Corona D. Mariæ ad mare, aggredi inſtituit. Propugnaculum Martinengium oppugnandum attribuit præfecto Janiſſarorum; ſingula propugnacula alia ſingulis Baſſis, qui arte præſtarent machinandi. Ipſe vallem Jophyri amnis ſibi deligit, ubi tutus conſideret; & unde imperare cunctis quid agi vellet, inviſere opera, ac quacunque poſtularet res, præſto eſſe illico poſſet. Aberat haud procul a propugnaculo Panigra, circa quod vis oppugnationis potiſſimum hæſit. Obtinebat ſtationem eam legatus Barbarus: Hieronymus Battalea ad Martinengium præſidebat: alia Franciſcus Dux, Battaleæ frater, & duces reliqui diviſis partibus tuebantur: Villa, nulla præcipua ſede, ad omnia, ut quiſque locus præſentem poſceret, occurrebat. Viſus Achomates de principio ſtatim vires univerſas effundere. Etenim uno tempore ad Coronam D. Mariæ, ad lunarem munitionem Bethlehemitici, ad molem præſtructam loricæ quæ Bethlehemitico proxima, ad bicorne munimentum propugnaculi Panigra, incredibili

Viſſirius diruit Novā Candiam.

Succedit ad Candiam.

Oppugnat multis ſimul ab partibus.

1667. dibili celeritate aggeribus promotis ſtructiſque caſtellis, diem noctemque opera ſingula petebat tormentis, quorum erant pleraque diametro dodrantali. Simul globi incendiarii, & ſaxa prægrandia, viſque ſagittarum undique intro conjiciebantur: identidem etiam irruebant Janiſſari, qui nunc hac, nunc illac vellerent vallum aut facibus armati ſuccenderent; iidem procurrebant interdum conferti, ut, in ſtationes & caſtella pro munimentis impetu facto, dejicerent inde præſidia. Haberi tamen hæc levia poterant, præut quæ ſub terram moliebatur, ductis foſſis præaltis, ubi in propinquo numerus magnus militum tuto conſiſteret; actiſque paſſim cuniculis, quibus objectas munitiones ſubrueret. Adjuvabat tum campus terrenus circa & facilis operi, tum ſoli ex diuturna ſerenitate ſiccitas; ut fodiendo penetraret, quo Venetus nequierat, aquis prohibentibus. Ac his quidem omnibus ſtrenue reſiſtebant incluſi, e muris valloque jaculantes aſſidue, crebro erumpentes in adverſa caſtella & ſtationes, puteis cuniculiſque contrariis cuniculos hoſtium excipientes. Verum Achomates abundans militibus, qui recentes parvis navigiis ex Græcia & Minore Aſia ſupportabantur: facile nanque in longo littorum tractu vitabant cuſtodias Venetorum: adeo ardorem non remittebat, ut in dies inſtaret acrius; nec, dum perficeret inchoata, ulli labori aut periculo parceret ſuorum. Sæpius nequicquam conatus impreſſione ſubita potiri caſtellis munimenti bicornis ad Panigra: cuniculis inde, ut quiſque non exceptus ab hoſte ad effectum veniret, accenſis; qua ruerat valli pars, ea promptiſſimum quemque non ſemel juſſit invadere. Poſtquam aut obtinebant nihilominus ruinam Veneti, aut objecto introrſus vallo congeſtaque protinus terra, aditum non dabant ad perrumpendum: animum ad id adjecit, ut paulo longius facto principio fodiendi, cuniculum magnum ſub terram perduceret uſque ad munimentum ipſum. Barbaro & Villæ non latuit, quibus conſpectus procul cumulus

Opera ſubterranea admovet:

qua Veneti excipiunt operibus contrariis.

mulus

mulus terræ, repente eminens, index operis fuiſſet. Quare cuniculum & ipſi e regione operis ejus ſine mora agere aggrediuntur. Et jam aperuerant in cuniculum hoſtium viam; cum altiorem alium continuo effodit Achomates. Sed foſſam itidem Venetis ducentibus ad majorem etiam altitudinem, quam quantæ eſſe videretur ſolum infimum cuniculi: Turcæ, aure captantes ſonitum fodientium, ducere alium ſubter inſtituerunt: in eoque certamine ultra nonaginta pedes recta deorſum penetratum denique eſt. Ter inciderunt forte alteri in alteros: & occultam ſub terram ediderunt pugnam foſſores primum ferramentis, quibus in opere utebantur, deinde utrinque ſubeuntes armati: non ſemel, qui profundos cuniculos egiſſent ut hoſtem ſupra fodientem disjicerent, altioribus cuniculis ab hoc celerius perfectis ſuccenſiſque, fœdum in modum aut oppreſſi ſunt ruina aut fumo enecti aut hauſti ignibus. Hoc ſtatu oppugnationis imperator, cui niſi quod interceperat lembos ac myoparones aliquot, nulla oblata occaſio fuerat mari gerendæ rei, prœlium ubique defugiente Caplano, Candiam redit; ſingula inſpecturus, ſimul deliberaturus cum ducibus quemadmodum navalibus copiis levaret urbis diſcrimen. Variabant in concilio ſententiæ. Placebat Barbaro, *relinqui ab eo militum claſſiariorum partem; ipſum evehi denuo in Ægæum ad arcenda hoſtium auxilia aut ad ciendum alicubi tumultum, quo vires illorum diſtenderentur.* Contra cenſebat Villa, *non tuto abeſſe diutius claſſem: & parata inde ſubſidia habituros ad ſubita pericula; & imperatorem opportuna præcipientem, hortatorem eundem ac teſtem virtutis atque ignaviæ cujuſque, additurum momenti plurimum ad propugnandum.* Media aliorum erat ſententia: *dividi claſſem ita, ut pars, atque in ea quinqueremes ad Candiam eſſent, quarum præſidia adhiberentur ad opera; parte alia imperator per altum ferretur, ſi habere obvium Caplanum, cogereque tandem ad certamen poſſet.* Dum non ſatis expediunt conſilium, ſocii ſupervenere: quinque triremes Romanæ, ſeptem Melitenſes, ducibus Bichio

1667.

Prælia crebra ſub terram.

Maurocenus Candiã revehitur.

Adventus ſociorum:

1667. & Benio; tum octo Hiſpanæ, quas regebat Jannettinus Doria. Videri tunc optimum pleriſque exſcendere protinus omnes, & grave aliquid in oppugnantes tentare. Ubi Bichio & Benio perſuaderi nequaquam poterat, cauſantibus triremes ſuas parum frequentes milite; atque ob id ipſum recuſabant etiam conjungi cum claſſe Veneta, ut deſcenſionem facerent in Peloponneſum: placuit ad urbem manere imperatorem claſſemque, ac inde remiges bis mille præberi in foſſiones: ſocios vero eſſe in ſtatione inter Drepanum & Cyamum, additis decem triremibus Venetis, & navibus quinque formæ majoris, duce Aloyſio Paſchalico; ut, ſi ad pugnam cum Caplano congrederentur, quem ſatis putabant Cydonem denuo petiturum, pares viribus forent. Et jam Achomates haud longe aberat, quin in ſummam difficultatem conjiceretur. Venerat prope inopiam pulveris tormentarii, & glandium ferrearum; ut paſſim lentior oppugnatio eſſet in dies. Caplanus interea quatuor & quinquaginta triremibus, rerum omnium refertis copia, ad Naupliam ſtabat: ac tametſi, miſſa celoce una, mox altera, monuerat ille ne cunctaretur trajicere; quia tamen profectam Candia noverat partem Venetæ claſſis, egredi Argolico ſinu utique non audebat. Verum defuere ſocii præſenti fortunæ. Amphimaliam primum naves adverterunt aquaturi. Deinde, incertum quo conſilio, Diam inſulam remeant: ubi non paucos morati ſunt dies, tanquam ſedentes renovanteſque vires ab exantlato labore magno. Poſtea rurſus cum ſolviſſent; vix evecti in conſpectum Cydonis, Cytheram inſulam, mox domum tranſmiſerunt: nulla re alia hoc anno utiles, præterquamquod myoparone uno & parvis lembis hoſtium quatuor, præda humili, ad inſulam Leucen potiti ſunt; pediteſque centum reliquit in Creta Bichius: qui ſimul tamen legem addidit ſatis malignam, ut iis ipſis poſt dies omnino quadraginta facultas fieret reditus ad ſuos. Tum Caplanus libero mari (nam

qui intercipiendis hoſtium auxiliis deſtinantur.

Sed, parum utili opera præſtita, brevi abeunt.

Caplanus novum mi.

Paſcha-

1667.

Paſchalicus, qui cum Venetis tantum navibus fruſtra in ea ſtatione erat futurus, Candiam conceſſerat) vectus Cydonem ſubſidia exponit; quibus in caſtra protinus comportatis, inſtaurata oppugnatio eſt. Crediderat Achomates, minus difficilem fore expugnationem propugnaculorum duorum, Panigra, propter abnormem ſtructuram, & Bethlehemitici, quod vallo protegeretur operis minoris. Ergo apparatu ac vi majore uſus, triginta perpetuos dies tentare non deſtitit, ſi munimenta eorum occupare ulla ope poſſet. Quando, multis ſuorum amiſſis, vix proficiebat quidquam, caſtellaque pro munimentis adhuc defendebant Veneti: opus aggreditur laboris immenſi. Medio ferme ſpatio inter propugnacula, viam multiplicem agere inſtituit ſub terram ad urbis foſſam; ut eam ubi cepiſſet, ſolutus cura oppugnandi munitiones externas, mœnia ipſa urbis illico adoriretur. Novum hoc initium prœliorum fuit cædiumque. Etenim Venetis arte eadem obviam euntibus; ubi, acu magnetica iter monſtrante, ad hoſtem eſſet perventum, atrox in occulto conſerebatur pugna; cadebantque utrinque plurimi, nullo, ut in loco anguſto, vano intercidente ictu. Pietati privatæ tribuero memorans Ludovicum Gratianum centurionem, patrem meum, cum ibi dimicaret, ſepties ſauciatum fuiſſe, ſemel ita graviter in dextro humero, ut vix evaderet. Poſteaquam ſeu dextra ſeu læva ad fruſtrandum flecterent Turcæ, ubique occurrebat Venetus cuniculis contrariis tranſverſiſve; itaque progredi, quo intenderant, ægre admodum poterant: huc confugerunt, ut fumo tetri ac venenati odoris ſpecus complerent. Eo hauſto & penetrante in viſcera, foſſores non pauci repentina peſte abſumebantur: quod primo omnes deterruit ab opere. Deinde remedium inventum, quo irritum fieret maleficium, fumus combuſtæ juniperi, epotuſque flos vini; ut luem jam ſuperantes, obſiſtere de integro inciperent. Dum intra cava terræ cæco marte certatur; ſæpeque nihil

litem pervehit Cydonem.

Oppugnatio parum ſuccedit Achomati:

reſiſtentibus ſtrenue Venetis:

1667. hil magis moratur pugnantes, quam congeſta in arcto cadavera cunicularioram & militum: ſupra terram interim contentione magna gerebatur res. Nec Turcæ invadendi munimenta, nec Veneti erumpendi in opera & ſtationes modum ullum faciebant; ut locus nullus aut dies obſtinatis certaminibus vacaret. Plurimi moriebantur aut vulnera accipiebant, non gregarii milites ſolum, ſed etiam centuriones tribunique & majores duces alii. Gravis præſertim jactura fuit Venetis ſtrenui viri, Baronis Baroni Veronenſis, ordinum ductoris, cui transfixum caput plumbea glande eſt. Sauciati inter alios trierarchi duo, Bartholomæus Piſanus & Hieronymus Priolus; tum Laurentius Piſanus, qui præfecturam urbis adminiſtrabat. Barbarum quoque & Villam non ſemel pene oppreſſit terra, quam ſubitæ e cuniculis flammæ in altum rapiebant: imperator poſtremo ipſe non abiit incolumis; fragmento ſaxi humerum vulneratus. Et quartum jam menſem urbs oppugnabatur, nec dum partem ullam munitionum ceperat Turca: eo diſparem habitum cerneres animorum. Creverat audacia incluſis: neque ſolum alacres exequebantur, quæ præciperent duces; ſed, quidquid moveret hoſtis, interdum etiam ubi operæ non eſſet, ultro adibant diſcrimina: quæ res impulit Maurocenum, edicto ut caveret, ne quis injuſſus portis egrederetur. Contra tædium laboris, & cædium quotidianarum terror minus promptos fecerat Turcas ad pericula. Fremebant, *ſatis jam expertos ſe vanum conatum expugnandæ urbis: ſi pergerent tendere adverſus poſita ſupra vires humanas, omnem profecto exercitum periturum: quando Viſirium cura non tangeret militum miſerorum, conſulturos ipſos ſibi: prodenti ad certam perniciem neminem dicto audientem fore*. Hæ voces ad Achomatem delatæ injecerunt metum, ne indignatio in apertam ſeditionem excederet. Ratus una pacis ſpe contineri in officio poſſe exercitum, propalam affirmat, *non longe abeſſe laborum finem: agitare Venetum conſilia terminandi per pactionem belli: paulum*

quorum multi cadunt, aut vulnerantur.

Querela militum Turcarum.

Spe pacis oſtentanda cōfirmat eos Achomates.

lum modo ipſi conniterentur, ſcire ſe ſe urbem illum voluntate traditurum. Quo credibilius id foret, clam ſignificat Mauroceno factūrum ſibi rem gratam, ſi Javarinam mitteret, quicum diſceptaret de condicionibus pacis. Zacynthi manſerat Javarina: qui confeſtim accitus in Cretam, ad oſtium Jophyri cum egreſſus eſſet in terram, gaudio Turcarum exceptus incredibili eſt. Viſſirius, vitato de induſtria colloquio, locum ei deſtinat tria inde millia paſſuum; eodemque tranſire Cydone jubet Padavinum: atque ibi utrumque cuſtodia aſſervari. Ad duas res hoc expediebat: ut & ſimulando agere ſe per internuncios de urbe in deditionem accipienda, haberet militem obedientiorem; &, ſi belli adverſa eſſet fortuna, aut exiſteret tumultus in caſtris, extemplo averteret mala graviora, cum præſentibus paciſcendo. Opportune per idem tempus perlata ſunt ad eum ab rege dona, acinaces diſtinctus gemmis, & operis conchyliati veſtis: qualia ſolent reges Turcarum ducibus dare, præmia victoriæ. Uſus Achomates opera amicorum, curarat hæc ad ſe mittenda, ut regi valde probari quæ ad Candiam gererentur, exercitus crederet fuco deceptus: propterea lætis tubarum ac tibiarum cantibus, & cum gratulatione perſtrepentibus tormentis, honorem voluit famamque regii muneris celebrari totis caſtris. Adhibuit & in alio ſolertiam, apud vulgus militum non inutilem. Cum enim interirent numero magno, præſertim in Jophyri valle ob aeris gravitatem æſtumque intolerandum; eodem, quo quiſque moreretur, humari loco placuit. Compererat enim, vehementer illos commoveri retardarique conſpectu cadaverum, quæ indeſinenter caſtris efferrentur ad ſepulturam. Tum nihilo minus ſolicitandis incluſis, quam ſuis confirmandis intentus, literas revinctas ad ſagittam in urbem crebro jaculabatur; quibus oppidanos militeſque promiſſis ingentibus hortabatur ad tranſitionem faciendam, ſimul extrema quæque denunciabat, ſi diutius permanerent in pertinacia. Qua die

1667.

Zacyntho accerſit Javarinam.

Cydone Padavinum.

Dona ad illum regis.

Tentat animos incluſorum.

1667. die exſcenderat Javarina; ut fieret fides veniſſe cum cum mandatis de urbe dedenda, petierat inducias ab imperatore Veneto. Negarat hic, ejus ipſius opinionis avertendæ cauſa: quin etiam acrius undique e muris ac munimentis repugnare juſſerat ſuos; triremes inſuper & quinqueremes accedere ad oſtium Jophyri, indeque caſtra in valle poſita tormentis inceſſere. Ac ita ſuperare quidem animos ad urbem tuendam oſtendit: cæterum vix quidquam intulit damni, cum quod vani plerunque ictus caderent propter longum intervallum; tum quia Turcæ illinc non procul diſpoſitis littore extremo grandioribus balliſtis, ne diu claſſis ibi conſiſteret, prohibuerunt. Interim Achomates, ſi unquam ante alias, tum maxime ſuccedebat infeſtus ad munitiones Bethlehemitici & Panigra. Non ſegnius defendebant Veneti: quanquam labore ob id plurimo, quod ab partibus multis late aperuerant cuniculi vallum; ut nudis ferme corporibus oppoſitis ſuſtinerent impreſſionum procellam. Huc præcipue propugnatoribus converſis, Turcæ longo circuitu ſub terram fruſtrati eos tandem in foſſa urbis apparuerunt. Et fecit intus nec opinata res tantum tumultus ac pavoris, quantum ſi hoſtis muros jam cepiſſet: deſertæque ſtationes nonnullæ forent, ni illuc advolans imperator, trepidantes increpando hortandoque continuiſſet. Peti continuo cœpti Turcæ omni genere miſſilium telorum. Atque, priuſquam eo ſe loco communirent, plus quingentos ſuorum amiſerunt. Opplere inde foſſæ partem, ut mœnibus aggerem injungerent, aggrediuntur; tum autem labrum foſſæ mœnibus adverſum ſternere cuniculis, qua agmina armatorum, cum tempus eſſet, ſubirent ad invadendam urbem. Qui primus eſt cuniculus ſuccenſus, copiam terræ immanem lapidumque late disjecit; ut multi militum in proximis ſtationibus opprimerentur. Cecidere inter duces alios Hieronymus Juſtinianus, curator idem annonæ, tribunus Michael Gremonvillius Gallus, & Caſſarus ordinum ductor. Expedi-

Inducias petit; quas non impetrat.

Oppugnatio atrocior.

Turcæ in foſſam perveniunt.

pedi-

peditum ad dicendum nequaquam eſt, dum Turcæ promovent aggerem, Veneti vero caſtella ab latere utroque objiciunt, atque identidem erumpendo opus diſturbant, quantum contractum fuerit prœliorum. Maximum certamen in eo erat, ut illi plurimum terræ comportarent humeris ad aggerem producendum; hi per tela atque ignes procurrentes raperent inde plurimum auferrentque. Ligneæ machinæ genus conſtruendum poſtea curarat Maurocenus, facile mobilis quocunque velles, qua tecti milites terram aſportabant. Brevi tamen occurſum eſt ab oppugnatoribus, perfoſſo cuniculo; quem tormentario completum pulvere cum accendiſſent, ſuperſtantem machinam abſumpſere. Impetu eluctantis ſiniſtrorſum flammæ multum terræ & ſaxorum ejectum eſt ex ima foſſa uſque in propugnaculum ſummum Panigra: propeque perniciem extremam fuit Villa, pluribus partibus corporis vulneratus: ictus quoque ſaxo in capite vir fortis, eques Bartholomæus Variſanus Grimaldus, ductor ordinum, qui propter Villam ſtabat. Caſu ſimili non multo poſt in Bethlehemitico interiit Laurentius Piſanus, qui repulſorum non ſemel hoſtium tulerat decus. Nihilo remiſſius fervebat bellum ad munitiones externas propugnaculorum. Tormentis, aggere, vineis, & operibus ſupra terram aliis, ſubter cuniculis puteiſque oppugnabant pertinaciter Turcæ. Ac, everſis jam caſtellis, munimenti bicornis ſic diruerant frontem, ut, ubi conſiſteret, Veneto amplius non eſſet. Cæterum oppoſuerat is introrſus vallum, principium illis velut novi atque integri laboris; aditu undique difficili præ multitudine micantium pro vallo telorum, atque eruptionibus improviſis. Alibi quoque majore quam antea vi obſiſtebant incluſi: & cum arte alia, tum frequentius ſe ſe portis effundendo, oppugnantes fatigabant. Quandoquidem cohiberi audacia ope nulla poterat, uti fraude Achomates: juſſis ſuis ſimulata ex operibus fuga hoſtem in loca pertrahere, ubi pulvere ſulphureo repente accenſo,

1667.

Aggerem promovent.

Reſiſtunt Veneti.

Villa & Grimaldus vulnerati:

Laurentius Piſanus occiſus.

1667. ſo, cujus copiam ad id condiderat ſub terra, complures inſequentium flammis hauriebantur. Contra fraude eadem Venetus imperator ſæpius Turcis, dum cedentibus inſtant incautius, parem reddidit cladem: in quæ certamina vix ſufficiebant Venetis in ſingulos dies decies millena pulveris pondo. Utrinque plurimum ceciderat militum & foſſorum; plurimum ſauciorum ægrorumque erat: omninoque oppugnando ac defendendo defeciſſent, niſi novis eſſet copiis ſubventum. Crebro Venetiis auxilia generis omnis Candiam perveniebant: ab præfectis Minoris Aſiæ, Græciæque prope quotidie parvis navigiis aliquid militum Cydonem Rhitymnamve aut Cytæum ſubmittebatur, ſimul arma & commeatus, quos coacti metu inſulani corporibus ſuis comportabant ad caſtra. Duces tamen admodum multi peſte alia alii ſublati potiſſimum afferebant curam: neque enim facile ſuppeditabant in tam atroci oppugnatione, qui ſufficerentur in locum cæſorum. Amiſerat Achomates, præter duces minores ſupra mille & quadringentos, Caram Muſtapham Aſiæ Baſſam, Deli Van Bellerbegum Græciæ, Haſſanem Viſſiriorum tertium, Uſſaimum Hierapolis præfectum, Oſmanem Aulonis, Sciauſium Baſſam, & Puluvianum Minoris Aſiæ Bellerbegum. Ab Venetis deſiderabantur tribuni ſex; tum Martinus Gollenus periſiſſimus operum ſubterraneorum, ſimul ordinum ductor Pariſtotus, equites Grangæus, & Langeronus voluntarii; itidemque architectus egregius machinarum Quirinus. Architectus alter Caſtellanus, plumbea percuſſus glande, exigua in ſpe animam trahebat. Duces minores interierant ad ſexcentos. Præter hanc jacturam Vertmillerum revocarat inde Senatus, propter diſſidia ejus cum Barbaro; neque ita multo poſt Barbarum quoque: qui, nihil remiſſa contentione cum Villa, poſtremo ab æmulatione gloriæ cum ipſo imperatore decertans, in concilio militari ſententiæ eorum perpetuo adverſaretur; ut metus eſſet ne ob hanc animorum pugnam detrimentum face-

Novis auxiliis ſupplitur utrinque vires.

Barbarus Venetias revocatur,

ret

ret ſumma belli: juſſerat autem Hieronymum Battaleam 1667.
munus ejus obire uſque in adventum Bernardi Nanii, quem ſurrogarat legatum in Creta. Proceſſerat autumnus, velut ſtatum anniverſariis imbribus tempus. Solito tamen diuturnior ſiccitas ſpatium dedit Achomati ad alia experienda, ſi potiri Panigra propugnaculo poſſet. Poſtquam fruſtra inſumi laborem vidit in foſſam opplendam: huc vertit conſilia, ut munimenti bicornis expugnaret reliquum. Contractis militibus, quos a primo ad diſtringendos obſeſſos admoverat ad partem averſam urbis; vi atque armis conatur invadere. Non ſemel repulſus, cuniculos inſtitit agere valde profundos; quorum unum atque alterum fruſtrati Veneti, tertium excipere in tempore nequiverunt. Itaque vallo effracto disjectoque, fit per ruinam ab Turcis impetus: & potiti eo momento forent, niſi, qui Venetorum ibi ſuperfuerant, concedentes in vallum, quod ad iſtiuſmodi caſus excitarant ab tergo, obſtitiſſent. Sed interiora tuendo, minorem jam fecerant munitionem, quam ut caperet militum ſatis ad repugnandum. Quare diebus poſt paucis, is dies erat a. d. XII. Kal. Novembr. cum pene in effectu eſſent nova hoſtium opera, juſſu imperatoris receſſum inde eſt. Lætus eventu Achomates, e margine foſſæ quatere propugnaculum ipſum magno numero tormentorum; ſimul agere vineas pluteoſque ad ſubruendum ab imo murum: quo tempore advectis eodem mortariis duodetriginta, noctem juxta diemque vim glandium igniferarum, ac magni ponderis ſaxa ex proximo in urbem conjiciebat. Et cum intus ruebant paſſim tecta incendiaque identidem oriebantur: tum brevi ruina muri nudarat propugnaculi aliquantum; ut jam prope ſpem perrumpendi eſſet. Maurocenus, quo plus inſtabat periculi, hoc graviore conatu occurſurus; quando tormentis muralibus prorſus arceri hoſtes nequibant, collatis illuc balliſtis vaſti oris quatuor & viginti, atque in ſubjectos procella effuſa ſaxorum atque ignium, paulum

Suffecto Bernardo Nanio.

Munimenti propugnaculi Panigra adoritur Turca.

Defendunt Veneti:

qui poſtea decedunt.

Propugnaculum ipſum oppugnatur.

Digitized by Google

1667. lum primo ferociam repreſſit. Actis deinde cuniculis pluribus, ſubditoque per occaſiones igni, paucos intra dies ſubvertit operum partem. Poſtremo cuniculum majorem, qui ſulphurei pulveris cados clauderet trecentos, ſub ipſum aggerem tormentorum cum ſuccendiſſet: horrendo cum fragore disjectus agger eſt, Turcæque circa plurimi ruina oppreſſi aut abſumpti flammis; aliqui etiam, quantum oculorum ſequi acies poſſet, in altum ita abrepti, ut in propugnaculum aut in urbem deciderent. Inter hunc tumultum erumpentes portis pedites ſexcenti tantum incuſſerunt pavoris, ut vineæ ſtationeſque non unæ deſererentur. Secundum eam cladem eniti Viſſirius, ut confirmaret animos ſuorum, operaque reſtitueret. Sed XIV. Kal. Decembr. ſupervenientes imbres abſiſtere coegerunt inœpto. Ne tamen, quantum liceret per hyemem, oppugnationem intermitteret; ex locis humilioribus, qua inundabant aquæ, recepto milite in altiora, paſſim ædificari jubet hybernacula: quod opus opinione citius perfectum eſt. Etenim & adjuvabat ager condenſus arboribus; & diruta tecta affatim præbebant tignorum & tabularum, laterum quoque & cæmentorum. Tribus & viginti millibus ſuorum oppugnatio hoc anno Turcis ſtetit; defenſio Venetis ſex millibus ferme & nongentis. Poſtremis hiſce diebus Javarina & Padavinus, qui ſatis aſpere a Turcis cuſtodibus haberentur, partim animi ægritudine, partim gravitate aeris in morbum lapſi, uno pene tempore moriuntur. Familiares utriuſque cum rebus ſuis, Jo. Petrum Caballium in primis, Javarinæ a ſecretis, duci voluit Viſſirius Rhitymnam inviolatos, ut ſalubriore cœlo reficerentur. Tum, datis ad Maurocenum literis, petiit ut in locum demortuorum ſublegerentur quamprimum alii, quibuſcum de legibus diſceptaret finiendi belli. Perſcriptum id a Mauroceno ubi acceperunt patres, haudquaquam modice inter ſe diffidebant. Cenſebant multi; *nullum utique mittendum. Nam & prodi ad cruciatus carceris mortemque qui mit-*

Maurocenus opera hoſtiū ſubvertit cuniculis.

Caſu imbrium remittitur oppugnatio.

Hybernacula ad urbē ædificat Achomates.

Moriuntur Javarina & Padavinus.

Petit Achomates in locum eorum alios.

Hac de re variant in ſenatu ſententia.

mitterentur; nec ſpem eſſe componendæ pacis Candia retenta: quam ſemel adortus Achomates, niſi redigeret in poteſtatem, certo ſciret capite ſe pœnam daturum. Iccirco unice cupere eum legatos eſſe apud ſe Venetos, ut oſtentanda pace averteret periculum tumultus, redderetque tolerabilem militi laborem tam difficilis ac diuturnæ oppugnationis. Contraria aliorum erat ſententia: *ignorari, quinam futurus exitus oppugnationis ejus eſſet belliqne. Si fortuna rem ad Turcas inclinaret, quam magno detrimento fore, neminem apud illos habere, qui paciſcendo pro tempore impediret ne quid gravius aggrederentur? Ex ea legatione non tantum utilitatis perventurum ad Viſirium Candiam prementem, quantum ad ſe damni, ſi ipſi ſibi, non miſſis legatis, pacis ſpem prorſus infringerent. Vel ſi facienda civis unius aut alterius jactura foret, ubi publica ageretur ſalus; cur recuſari in patriæ caritate, quæ tanta eſſet ordinum omnium?* His atque talibus certatum aliquandiu utrinque. Tandem decernitur, ut unus a ſecretis Senatus cum mandatis de pace iret Zacynthum; qui poſtmodo, prout expediret, ad caſtra Turcarum aut Conſtantinopolin inde trajiceret. Cæterum varietas, ſententiarum, quinam potiſſimum legeretur, rem adeo protulit, ut anno inſequenti vix fuerit mentio pacis. In Illyrico hoc anno nulla arma, ac vix leves excurſiones populorum fuerunt. Id modo militum retentum, quod oppidis arcibuſque præſidio tuendis ſufficeret; copiis reliquis in Cretam tranſvectis. Veruntamen fœdior & terribilior quam aut ex bello, aut ex quavis ira hominum, aliunde extitit Illyriis clades. VII. Id. Apr. die quarta hebdomadæ, qua memoria recurrit humanæ ſalutis morte Chriſti Domini reparatæ, hora ejus diei tertia, terra ingenti concuſſa motu eſt; qui urbes aliquot arceſque proſtravit, avertit a mari flumina, emovitque ſedibus montes cum mortalium multorum pernicie. Epidaurus præſertim, Raguſium dicta, ſeptendecim ferme ab Rhyzonico ſinu millibus, urbs maritima, caput regionis illius, tectis ac templis frequens, exornata vario genere operum,

1667.

Nullus ſequenti anno deſtinatur.

In Illyrico movet terra.

Epidauri clades ingens.

1667. rum, momento ſic corruit, ut ex millibus ſex incolarum evaſerint vix mille: in quibus pauci nobilium, penes quos regimen ibi eſt publicæ rei. Caſu tignorum & tabularum in focos accenſum ignem ventus deinde vehemens coortus diſtulit quoquoverſus: eoque reliquiæ dirutæ urbis partem maximam arſere. Ubi reſedit primum flamma; nulla ut abeſſet miſeriarum, invadentes qui agrum circa colunt, gens immitis atque efferata, profanaque & ſacra, quæ ſupererant, perpopulati ſunt omnia. Cum loca alia ditionis Epidauriorum ſubſedere, tum æquatum ſolo eſt Stagnum, parva urbs, aſt peramœna eadem, ſex ab Epidauro horarum itinere. Ut vero maritimum oppidum quodque proximum erat finibus illorum, ita ad id potiſſimum calamitas pervenit. Caſtrum Novum, Antibarum, Olcinium, arces Turcarum, ex plurima parte conciderunt. Provinciæ Venetæ contremuere præcipue Butua & Aſcrivium. Butuæ ædificia pauca ſtetere, plus quingentis oppidanorum ruina oppreſſis. Aſcrivii autem minus quidem damni attulit motus terræ: cæterum ſaxa ingentia e vicinis collibus divulſa, ſtragem tectorum late ediderunt, publicorum maxime: ubi abſumpti homines ad trecentos aut ſauciati, in iiſque ſeminex erutus e ruinis Jacobus Lauredanus, ibidem magiſtratus. Senſerunt eum motum etiam Italiæ populi, præſertim Venetiis, non ultra formidinem unam tamen; ſicut & Illyrici mediterranea incolentes. Præerat etiamnum Catharinus Cornelius. Nihil is cunctatus eſt Aſcrivium trajicere, Turcas obſervaturus: inceſſerat nanque metus, ne Epidaurum ferme quidem vacuam, at cujus ſtabant mœnia, præſidio inſiderent. Ipſum quoque occaſio ſine certamine occupandi interdum incitabat. Abſtinuit nihilominus, ratus expectandam ſententiam patrum: a quibus deinde juſſum ei eſt nihil movere, modo Turcæ quieſcerent; ſin hi urbe potiri conarentur, tum occurrere & præſenti auxilio juvare Epidaurios. Sed nihil tentatum a Turcis.

Stagnum corruit.

Caſtrū Novum, Antibarum, Olcinium: Butua & Aſcrivium damnum patiuntur.

Cornelius Aſcrivium venit.

Mandata Senatus ad eum de Epidauro.

Præter-

Præterquamquod paratos cernebant Venetos ad prohibendum; viſum quoque operæ non eſſe urbem redigere in poteſtatem, quam haberet jam in tutela rex; & unde grande vectigal annuum perciperet. Interim ſummopere intentus erat Senatus in apparatum curamque belli anxius Candiæ diſcrimine: quod quantum immineret, oſtendebat pertinacia Viſſirii, qui oppugnatione ne per hyemem quidem abſiſteret. Ea pridem tenuerat cogitatio, ut ducem aliquem bello egregium copiis præficerent terreſtribus. Jamdiu Villam revocabat Dux Sabaudiæ, ſimulque cohortes in Cretam cum eo miſſas: quas tamen, extra duces aliquot & reliquos milites perpaucos, ſuppleverant Veneti milite ſuo. Quando autem eadem, qua prius, uti cauſa non poterat: nam controverſias de finibus cum Civitate Genevenſium permiſerat dirimendas regi Galliæ: aliam tunc prætendebat; timere vehementer ſe ſe, ne bellum ortum Gallos inter & Hiſpanos Italiam quoque turbaret: itaque, propter dubia & ſuſpecta omnia, eſſe ſibi neceſſariam Villæ operam. Suberat conſilium callidius: ut coactus tempore Senatus adjiceret largius aliquid ad condiciones, in quas compoſita concordia paucis ante annis fuerat. Quod ubi adverterunt patres, firmi in ſententia, nihil mutare de more priſco; non ultra diſtulerunt Villæ facultatem dare redeundi in Italiam: quem venientem Venetias, ſex millibus argenteorum nummum donatum honeſtatumque laude publica dimiſerunt. Eodem tempore per M. Antonium Juſtinianum oratorem Venetum apud Galliæ regem, in Villæ locum acciri placuit Alexandrum de Puy Mombrunium; gravem illum quidem annis, ſed eundem longe peritiſſimum militarium artium multiſque clarum factis. Quod autem ad tutandam Candiam plurimum intererat impedire ne novus miles, inſtrumentumque aliud oppugnandi ab Turcis in inſulam tranſportaretur: ut una cura Mauroceni defenſio eſſet urbis, præficitur navalibus copiis Catharinus Cornelius.

1667.

Villam revocat Dux Sabaudiæ.

Senatus dimittit cum donis.

Surrogat Alexandrū Mombrunium.

Navalibus copiis præ-

Ad

1667. Ad pedites bis mille & quingentos, quos initio hyemis in Cretam decreverant cum commeatu & copia militarium rerum, adjecerant millia duo foſſorum ex agris urbium continentis, itidemque octingentos ex inſulis Jonii maris. Dimiſerant etiam paſſim cum pecunia, qui milites ſcriberent in Italia atque extra Italiam. Tum ire juſſi duo a ſecretis Senatus, Franciſcus Javarina Ratisbonam, & Jo. Franciſcus Marcheſinus ad Fœderatos Belgas, indeque in Britanniam, ad petenda auxilia: quanquam neuter horum quidquam retulit. Opis collatæ ab externis ſumma fuit: Cæſar in præſens pedites ſexcentos, quos pollicitus pridem erat, exitu inde anni ter mille miſit ductu Henrici Ulrici Chimanſechii, qui ſtipendia Veneta in Creta facerent. Per Abbatem Airoldum, deſtinatum a Pontifice legatum Bruxellas, impetratum ab M. Duce Hetruriæ, ut suppleret cohortem ſuam quadringentorum militum, pateretur que eam ex Illyrico in Cretam tranſire. Quinquaginta millia pondo pulveris tormentarii præbuit Dux Mutinenſis, totidem Lucenſium Civitas, ſexaginta millia Archiepiſcopus Salisburgenſis; Bernardus autem Guſtavus Abbas Fuldenſis mille argenteos. Ab Duce Lotharingio mille & quingenta pondo argenti data, quibus pedites mille comparati ſtatim in Gallia; mox ex Provincia in Cretam tranſvecti ſunt. Hoc etiam anno adjuvit Cardinalis Barbarinus: etenim mille pondo argenti numeravit ad militem ſcribendum. Pontifex vero centies mille pondo pulveris cum contuliſſet, & bis mille quingenta pondo argenti;
1668. curabat, ut triremibus ſuis, quibus, ut ante dictum eſt, præpoſuerat Vincentium Roſpilioſium, conjungerentur quamprimum triremes Melitenſes, tum Hiſpanæ, Hetruſcæ, & Genuenſes: ſimul Airoldi ejuſdem opera uſus, Italiæ & Germaniæ Principes ad opitulandum hortabatur. Cum rege Galliæ quoque per internuncium ſuum Lutetiæ agebat, ut ſubveniret conatu magno. Voluntatem optimam profitebatur is: ſed impediebat bel-

ponis Cath. Cornelium.

Supplet exercitum.

Externorū Principum auxilia.

lum

lum cum Hiſpanis: quo ocyus ſpe depoſito, non ſemel poſtea opem tulit. Jam inde ab ſoceri obitu, agitarat animo conſilia armorum; ratus ad Mariam Theresiam uxorem ſuam pertinere, quæ Hiſpanus in Germania Inferiore poſſideret: nitebatur autem præſcripto legum Belgicarum, in ſucceſſionibus fœminas ex primo matrimonio præferri maribus ex ſecundo procreatis. Fuerant quæ obſtarent, quominus vim illico inferret. Nam & in armis tunc erant Fœderati Belgæ, propter negotiationem maritimam gerentes cum rege Britanniæ bellum, cui etiam Monaſterienſis Epiſcopus ſocium ſe adjunxerat; & omni cura adverſabatur mater ejus Anna Maria, quæ manere omnino vellet pacem, cujus ipſa præſertim auctor fuiſſet. At ea mortua, cum, ut beneficio ſibi obligaret Belgas, pro his ſumpto certamine, Britanniæ regem & Monaſterienſem Epiſcopum ad pacem faciendam Bredæ compuliſſet: non diutius cunctatus eſt bellum movere. Scripto editis cauſis juris ſui in Belgium regium, perque legatum Madriti exemplo ſcripti ejus proceribus regni tradito, qui ob pueritiam regis res adminiſtrabant: collectas jam in Belgii finibus copias pluribus ſimul partibus jubet invadere. Exercitum nullum habebant Hiſpani: oppida quoque immunita erant pleraque. Itaque contentione parva Furnis, Dixmuda, Corteriaco, Aldenarda, Aloſto, Tornaco, Inſulis, & Caroloregio inter alia potitur. Media ipſa hyeme, quæ ſecuta eſt, occulte comparatis ſibi ante factionibus in Comitatu Burgundiæ, illuc repente immiſſo exercitu, regionem pene omnem occupavit. Et brevi futurum apparebat, ut inde cætera ſub jus redigeret ditionemque. Aſt intervenerunt, quæ impetum morarentur. Nam Helvetii, quod in fœdere antiquo cum Hiſpaniæ rege cavebatur, ut Burgundiam, ſi qua vis ingrueret externa, tuerentur, cepere confeſtim arma. Belgæ vero cum Britanniæ & Sveciæ regibus fœdus fecerunt, ſpecie reconciliandæ conſociata opera amicitiæ inter Gallos Hiſpanosque;

1668.

Cauſa belli inter Gallos & Hiſpanos.

Galli oppida multa capiunt in Belgio.

Parte magna Co: Burgundiæ potiuntur.

Fœdus inter Belgas Britannos & Svecos.

1668. noſque; re ut conatibus Gallorum, quos metuebant confines, obviam irent. Ac Ludovicus occaſionem ſuam non eſſe intelligens, facile paſſus eſt de pace agi: quæ VI. Non. Majas ſancita Aquiſgrani eſt his fere legibus: *ut Hiſpanis redderet Burgundiam, quæ autem ademerat in Belgio, retineret*. Armis poſitis, in gratiam petentis Pontificis octies mille pondo argenti continuo præbuit Venetis ad Turcicum bellum; facultate iiſdem facta colligendi in Gallia militum quantum vellent. Spes fuerat, impenſius adjuturos Hiſpanos; qui tempore eodem bellare alibi etiam deſiiſſent. Alphonſum Luſitaniæ regem, obtuſo ingenio, atque, ut ferebant, gignendis liberis minime idoneum, clam initis conſiliis, regni primores, ſubito amotum poteſtate rerum, in Tertiariam Oceani Atlantici inſulam ablegarant, ubi in cuſtodia eſſet: regnumque detulerant Petro fratri ejus natu minori; cui ſtatim uxor Alphonſi nupſit. Remiſſo tandem Caſtellanorum odio in Luſitanos; agere protinus de pace aggreſſus eſt Petrus: quæ haud difficile convenit. Pepigerunt autem, *ut Caſtellani & Luſitani haberent jam poſſeſſa priuſquam regna duo conjungerentur: Septa modo, arx ad Gaditanum fretum, quæ una non defecerat ad Luſitanos, Caſtellanorum porro ut eſſet*. Soluta curis bellorum mater Caroli regis, haud gravate promiſit Pontifici, miſſuram triremes ſuas in Cretam: imperavit etiam proregibus Neapolis & Siciliæ, ut, quibus poſſent, omnibus, auxilium Veneto ferrent. Sed ſtudium hoc reginæ fruſtra fuit. Etenim triremes ſero & cunctanter venere Zacynthum: paulo poſt, Venetis nihil adjutis, rediere in portus ſuos, expeditione undique ingloria. Prorex autem Neapolis unus vix bellici inſtrumenti parum ſuppeditavit; levius, quam ut ſit referendo locus. Dum Venetiis mittuntur in Cretam ſupplementa; Candiæ ab urbe munienda nihil ceſſabatur. Simul foſſa exceſſerant Turcæ, obmolienda curarat Maurocenus, quæ ſtrata eſſent ruinis, potiſſimum ad Panigra. Mox duplici vallo ſepſerat

Pax convenit Aquiſgrani.

Rex Galliæ adjuvat Venetos.

Alphonſus Luſitaniæ rex exutus regno.

Succedit Petrus frater.

Pax inter Hiſpanos & Luſitanos.

Maurocenus Candiam munit.

rat

rat propugnaculi interiora; quo, cum cogeret neceſſitas, reciperent ſe armati, atque unde impreſſiones arcerent. In animo habebat, ad extrahendam, ſi mœnia demum hoſtes tranſcenderent, oppugnationem, per mediam urbem continens vallum cum turribus crebris a Martinengio perducere ad mare; tum muro partem claudere, quæ ad portum pertingit, ab Sabulonaria itidem ad mare, munireque arcis in modum; quo minus periculi foret, ne portu & navalibus aliquando illi potirentur. Neutrum tamen horum aggredi potuit propter penuriam operarum. Quamobrem veteres munitiones, ut quiſque locus maxime poſtulabat, opere permuniit, auxitque præſidia; optime ad id advenientibus Bernardo Nanio, qui ſuffectus pridem Barbaro fuerat, cum milite & pecunia, tum ordinum ductore Marxo Gallo, & Georgio Federico Spar præfecto militum Germanorum; præter duces alios, nec parvum numerum voluntariorum, in iiſque virum pervagata armorum fama, *Annibalem Porronum Mediolanenſem*. Triremes infrequentes erant remige. Itaque Georgium Mariam Vitalem ex Corſica, ob præſtantem operam creatum ab Senatu equitem, navibus aliquot, quas adduxerat de ſuo armatas, vectari circum inſulas Ægæi placuit; atque inde hominum quam plurimum vi cogere, quibus claſſis ſuppleretur remigio. Achomati interea valde accreverant vires; navibus aliis ad alios portus, aut ſinus inſulæ quotidie ferme, nocte plerunque appellentibus, quibus miles, commeatus, pecuniaque, & genus omne bellici inſtrumenti vehebatur. Ne per tempus quidem hybernorum quidquam ſiverat quietum incluſis; quippe miti hyeme, & imbribus minus, quam aſſolet, largis ad Candiam eo anno. Vere appetente, hortatus ſuos, qua gloriæ, qua prædæ ingentis ſpe propoſita, ut bellum, quod videretur jam magna ex parte profligatum, ſtrenue conficerent; exercitum univerſum denuo ad urbem undique admovet. Uſque a principio percre-

1668.

Bernardus Nanius advenit cum ſupplemento & pecunia.

Ab Georgio Maria Vitali remiges colliguntur ex inſulis Ægæi.

Achomates auctus viribus,

ſub initium veris,

oppugnationem inſtaurat.

1668. percrebuerat opinio, inexpugnabilem eam eſſe, qua muniunt propugnacula duo, hinc atque illinc proxima mari, Sabulonaria, & D. Andreas; utrumque non tentandum, alterum propter arenæ, propter ſaxorum multitudinem alterum, cujuſmodi ſolum impatiens operum præſertim eſt. Suſpicari deinde, quod res erat, cœpit; referentibus, quos identidem ſubmittebat ad loca certius exploranda, vix quidquam tale fodientibus occurrere. Poſtquam autem Andreas Barocius centurio, Candiæ natus, quem reum indigne patratorum exautorarat Maurocenus, perfuga ad Turcas, aſſeverabat, id falſo creditum obſtitiſſe ne anno ante urbs caperetur: neque enim alibi tam prona oppugnantibus propugnacula eſſe, aut quibus obſeſſi adjicere difficilius munitiones novas poſſent: inde quoque urbem aggreſſurus, terræ copia congeſta per hyemem in propinquo, aggeribus & machinis oppugnare eſt adortus. Accidit Mauroceno permoleſtum, ob informem ſtructuram propugnaculi D. Andreæ; & quod vehementer timebat portui ac navalibus, quæ Sabulonaria tegerentur. Quo majore diſcrimine vertebatur res, eo intentius, prout loci utriuſque patiebatur natura, obviam ibat. Induſtria uſus Maræi, tumulos confeſtim aliquot mœnibus imponit; & caſtella complura excitat ultra foſſam, unde hoſtem ſuccedentem ſuperne peteret operaque retardaret. Nec illinc ſolum generis cujuſvis tela incidebant in munientes Turcas, ſed etiam ſubitæ ex urbe eruptiones fiebant: in quibus dum ipſi duces pericula ſubinde adeunt, vulnus accepere patricii duo, Jacobus Foſcarenus & Jo. Baptiſta Calbus. Interim alibi quoque magno conatu utrinque certabatur, præſertim ad Panigra & Bethlehemiticum: ubi graviter ictus plumbea glande Frisheimus ductor ordinum; fragmento autem ligni occiſus Mutius Matthæjus, qui cohortem regebat Pontificis, neque ita multo poſt caſu non diſſimili Seravallius, machinarum architectus. Uno tempore alia moliebatur Achomates. Tutior

Adoritur propugnacula Sabulonaria & D. Andreæ.

ſimul Panigra & Bethlehemiticum.

tior ut exinde appulſus foret auxiliorum, utque ea citius in caſtra perferrentur; non longe ab promontorio Fraſchia, quod duodecim millia paſſuum Candia diſtat in occaſum ſolis, locum S. Pelagiam appellant, caſtellum imperat ædificandum, quod parvum regione illa ſinum tutaretur; præſidiumque imponit. Tum adjicit huc animum, ut adimat Venetis Diam inſulam; ubi claſſis aquabatur, & quo Candiam petentes ex Italia naves omnes dirigebant curſum. In ſtatione ibi erant naves majores paucæ, munimentum roſtratis, quarum remige imperator ad foſſiones aliaque in urbe utebatur: Laurentius autem Cornelius ſeptem triremibus, inter eam inſulam & Cretam, impediebat ne ab Cydone & Rhitymna ſubſidia mari ad caſtra ſupportarentur. Pro certo putabat Achomates, ſi naves Cornelii ſuperaſſet, facile redacturum ſe inſulam in poteſtatem. Viſæ ſatis ad id triremes duodecim, quæ inſtructiſſimæ remige in Cydonis portu ſtabant. Duracum his præficit archipiratam, in paucis famoſum arte. Promiſſis oneratum, oblata etiam ſpe præfecturæ claſſis univerſæ, jubet nocte impetum facere in Venetas triremes; iis autem disjectis, Diæ portum occupare adventu repentino incendereque quidquid ibidem eſſet navium. Data, quibus ad hæc uteretur, millia duo Janiſſarorum, duce Calippo Baſſa. Quanquam caverat ſedulo, ne conſilium emanaret: reſcivit tamen Venetus imperator, diligens ad exploranda quæcunque ab oppugnatoribus pararentur. Ergo viginti triremibus, Nonis Martiis, profectus Candia, non procul ab S. Pelagia opperitur Duracum; nihilque timentem tale, ut qui ad Cornelium unum opprimendum feſtinaret, initio ſecundæ vigiliæ tumultu ingenti aggreditur. Prœlium cruentum ac pertinax fuit; idemque vel ipſo, quo dimicatum eſt, tempore & modo inſolitum ac memorabile. Quamvis in re improviſa, non deſtituit animus Turcas. Primam pilarum procellam impavide cum ſuſtinuiſſent: adortæ deinde triremes tres imperatoriam Veneto-

1668.

Caſtellum conſtruit ad promontorium Fraſchia.

Diam inſ. occupare ſtatuit.

Eo jubet trajicere Duracum triremibus duodecim,

Occurrit Maurocenus.

Nocte adoritur Duracum.

1668. netorum, anceps aliquandiu diſcrimen fecerunt. Subſidio denique venientibus duabus, inclinatur pugna. Et ab Aloyſio Contareno triremis una capitur: reliquæ duæ pluribus locis perforatæ fugam capeſſunt. Converſus tunc imperator, ubi præcipue fervebat inter alias certamen, triremem infeſtiorem cæteris indeptus, acri contentione potitur. Pugnabat interea Duracus cum trireme Nicolai Polani: ac, cæſo navarcho, & vulnerato Daniele Juſtiniano præfecto ærarii, non longe aberat quin Turcæ in eam tranſilirent. Interventu Mauroceni ſervata triremis eſt. Sed uno fere tempore atrox accenſum prœlium inter Venetorum imperatoriam, prætoriamque Turcarum: quod tres horas ſic tenuit, ut neutra ab parte ſpes victoriæ eſſet. In magna difficultate ratus Maurocenus comminiſcendum ac novandum aliquid inopinatum, imperat militibus, faces accenderent, quas ad iſtiuſmodi caſus habebat paratas: tum totam collucentem flammis triremem, quanto maximo poterat impetu, in hoſtes immittit: quæ terribili ſpecie res ſtatim præbuit iis pavoris plurimum; ut qui putarent ſubitis ignibus peti ſe, & lato incendio triremem ſuam jam jamque exarſuram. Continuo dat ſignum invadendi. Ac primo quidem labore parvo tranſcendebant. Deinde Duraco hortante ac pugnante ipſo, valide reſiſti cœptum. Nihil ibi ſimile navalis videres pugnæ. Non miſſilibus ſolum, ſed etiam gladiis, velut pedeſtris acies ſolet, prœliabantur. Verum inter eum ardorem, trajectus plumbea glande cum concidiſſet Duracus: in turbatam duce amiſſo triremem tranſgredientes Veneti plures, Turcis occiſis fere ad unum omnibus, triremem tandem expugnant. Parte alia circumventæ triremes duæ captæque ab Aloyſio Magno Adriatici ſinus præfecto, Aloyſio Priolo, in cujus erat trireme Leonardus Maurus claſſis extra ordinem curator, Aloyſio Minio, & Petro Quirino trierarchis. Unam ducebat Calippus; qui deſiliens in ſcalmum, vix evaſit. Triremes cæteræ, claudæ mutilatæque, ubi con-

Pugna atrox.

Stratagema Mauroceni.

Duracus cadit.

Vincunt Veneti.

ſpe-

ſpexere captam prætoriam, omiſſo certamine, fugerunt. 1668.
Potiti ea nocte Veneti quinque triremibus: in quibus vivi capti Turcæ plus quadringenti, & quinque trierarchi: Chriſtiani captivi vindicati in libertatem mille circiter & ducenti. Nec incruentus ipſis mars fuit, amiſſis ſuorum aut vulneratis ſupra quingentos. Inter duces alios cecidere Georgius Foſcarenus & Jo. Franciſcus Cornelius: pauloque poſt interierunt ex vulnere Aloyſius Calbus & Claudius Araſſius ordinum ductor. Sauciati autem Angelus Maurocenus, Laurentius Bembus, Matthæus Balbus, & Georgius Gregus. Victoria ſi qua alia ſermonibus hominum celebrata ea maxime eſt. Providentiam virtutemque imperatoris extollebant, prœlium nocturno tempore commiſſum, ludibrium oculorum adhibitum ad hoſtem terrendum, victumque & captum fraude ſua archipiratam. Ante omnia tamen gratulabantur ſervatam Diam, in qua minime dubie urbs Candia periclitaretur. Eam ob rem Maurocenus magno conſenſu patrum in ordinem equitum D. Marci relatus eſt. Ducibus reliquis pro merito cujuſque, aut qui occubuerant, propinquis eorum, præmia decreta. Poſtero die quam fuerat decertatum, Diam veniens Maurocenus, portum permunit; deſtinatque ad præſidium triremes & naves majores plures. Tum parte claſſis Candiæ relicta, evehi diverſos jubet in Ægæum Alexandrum Molinum & Nicolaum Leonium præfectos navium celſiorum, ad auxilia hoſtium intercipienda: ipſe triremibus quindecim, ſex quinqueremibus, & navibus majoris formæ ſeptem, petit ſinum Amphimalum, ut arcem inviſeret; mox conſiſtit circa Drepanum, obſtiturus ne Turcica navigia Cydone Candiam commearent. Naupliam paulo ante tranſierat Caplanus claſſe trium & quinquaginta triremium, quibus militum millia quinque vehebantur. Tranſmittenti inde Cydonem, prope fuit ut ſubeundus improvido eſſet caſus navalis pugnæ. Per ſpeculatoria navigia admonitus, ſtare ad Drepanum Venetam claſ-

Laudem refert insignē Maurocenus,

ornatus dignitate equestri.

ſem,

1668. ſem, Naupliam, unde ſolverat, revertit: ubi moratus aliquandiu, trajicit poſtea inſulam Melon; illinc autem

Caplanus militem exponit ad S. Pelagiam.

Septentrionibus ſecundis decurrit in S. Pelagiæ ſinum. Milite expoſito, altum repetens, dum Lesbum contendit, milites alios, quos pariter tranſportaret, accepturus;

Ad Lesbum pugnat cum duabus navibus Vitalis.

navibus Vitalis duabus ab cætero abjunctis agmine ſupervenit. In altera Vitalis ipſe erat; alteram regebat Leſcaſius tribunus. Undique circumſiſtentes Turcæ, ſatis primo fidebant, deditionem eos, ut in tanta imparitate virium, illico facturos. Poſtquam componi armamenta expedirique cuncta ad certamen viderunt; magno impetu adoriuntur. Haud paulo quam crediderat Caplanus, pertinacius prœlium fuit. Continens enim biduum ſic ſuſtinuerunt vim Chriſtiani, nulla ut Turcicarum triremium ſubire propius auderet ad

Vitalis cadit, & navis ejus capitur.

invadendum. Tandem Vitali ac militibus & nautis prope omnibus interfectis; cum eoſdem illos, qui ſupererant, deficerent jam tela, navis expugnatur. Leſcaſius, quia plurimis ſuorum itidem amiſſis, prohibere ultra

Navis alia incenditur.

nequibat ne in navem ſuam tranſilirent armati, ignem admovet tormentario pulveri. Ipſe priuſquam conflagraret navis, in lintrem deſcendens, fugam arripuerat: ſed ab inſequente celoce non procul inde capitur. Ja-

Maurocenus onerarias & lembos aliquot expugnat.

Itidem Leonardus Maurus;

cturam hanc ultus eſt imperator primum, quinque onerariis, & lembis pluribus redactis in poteſtatem; mox Leonardus Maurus, qui naves tres celſiores haud longe ab portu Cydonis aggreſſus, unam mutilatam perforatamque retro in portum eundem compulit, duas ſubegit. Harum altera Gallica erat, altera Illyria ex Epidauro: itaque pœna hac modo mulctavit, perlevi ad ſcelus, ut certo ſpatio temporis claſſi Venetæ navarent o-

Leonius, & Molinus.

peram. Leonius quoque & Molinus naves majoris formæ aliquot interceperunt. At quantamcunque imperator præfectique alii curam intenderent ut trajectum impedirent auxiliorum: tamen, quoniam partibus innumeris appulſus patebat ad inſulam, tantum carptim ſubvehe-

vchebatur, ut Achomates re prorſus nulla ad oppugnandum indigeret. Commeatibus vero etiam abundabat; edicto ut comportaretur in Cretam frumentum omne, aliaque quæ ſunt ad veſcendum, undique ex ora Græciæ atque inſulis Ægæi maris: ut ibi propterea non caritate ſolum, ſed & inopia annonæ laboraretur. Agebat id autem, non quod dubitaret ne forte exercitui deeſſent alimenta; ſed ut penuria inducenda abſterreret regem a conſilio tranſgrediendi in Cretam. Pertæſus hic diuturni belli atque impenſarum, vitio quoque ætatis & ingenii ferox & impotens, decreverat ire in Macedoniam, inde in Peloponneſum, ut ſtatum rerum certius cognoſceret; utque, ſi opus eſſet, tranſmittens ipſe, comperta ignavia Achomatis, ſupplicium de eo ſumeret, gereretque ductu ſuo bellum arte & fortuna meliore. Ac quanquam dehortabantur Baſſæ & antiſtites ſacrorum: matre & fratribus Conſtantinopolin remiſſis, moverat Hadrianopoli. Quindecim millia hominum habebat: ſed qui, præter cuſtodes corporis paucoſque milites alios, omnes miniſtri eſſent, ſervitia, turbaque imbellis. Lariſſam venienti literæ aſſeruntur Achomatis, quibus orabat ſupplici prece, *ne porro pergeret: ſeu in Cretam navigaret, valde timendum, ne incideret in hoſtium claſſem; ſeu alicubi in continente Græcia conſiſteret, quidquid commeatuum conſumeret multitudo eum ſecuta, averti ab exercitu, cui vix quod ſatis foret, tunc ſupportaretur*. Objectus metus Venetæ claſſis paulum primo ſuſpenſum tenuit regem. Deinde aucupii & venationis, quam multam & variam regio dabat, captus dulcedine, libenter ſubſtitit Lariſſæ: unde illum, minacibus literis addendo ſtimulos, impulit, ut etiam, quæ invicta videbantur, conari non prætermitteret. Quando urgenti ab terra nihil ſpei relinquebatur in celeri expugnatione; uno tempore a mari ſtatuit adoriri. Urbs parte ea haudquaquam valida muris eſt: qui tamen poſiti littore prope extremo, locum ad conſiſtendum non præbeant oppugnantibus. Propugnaculum D.

1668.

Rex Turcarum venit Lariſſam.

Ne trajiciat in Cretam obſtat Achomates.

1668. Andreæ ipſum, qua vergit ad mare, ſitu tutante, viſum non fuerat Venetis opere emunire. Quanquam labor proponebatur ingens, ſi vellet arte perficere, quæ negarat natura: attamen ſpem eam quoque ut experiretur, ſtruere orditur in mari molem ferme e regione propugnaculi; ubi hanc littori continuaſſet, inde quoque admoturus machinas. Primis diebus tantum non ludebatur opera. Quidquid conjiceretur ſaxorum, ſic mare abſorbebat, pedes ibi minimum duodecim altum, ut nihil ad ſummam aquam excreſceret. At dies aggerendo noctesque impletum demum ſatis magnum profundi ſpatium eſt. Raptim tunc ſupereminentem jam molem littori adjungit: mox latus dextrum propugnaculi, partemque muri propugnaculo proximam, aggeribus, vineis, ac tormentis aggreditur. Dum oppoſitis munitionibus, balliſtarum genere multiplici, atque eruptionibus ſubitis vim prohibere nititur præſidium: diſcriminis haud minus ad Sabulonariam objiciebatur; ubi dextra flexerant Turcæ, ad navalia promoventes pluteos vineaſque. Apparebat, id moliri eos, ut, aditu a mari impedito, juſta denique obſidione clauderent urbem: quæ res legato Nanio curam ad obſiſtendum valde acuit. Ac, ut diſturbaret incœptum, cum alia uſus protinus ſolertia eſt, tum loco opportuno excitavit caſtellum; circa quod hærentibus barbaris, ſpatium fuit ad ducendos aggeres tranſverſos, quibus protegerentur navalia. Cæterum his perficiendis intento, partemque capeſſenti præcipuam periculorum, plumbea glande trajicitur caput: quo ex vulnere haud ita multo poſt dolore magno militum & oppidanorum interiit. Daniele Mauroceno fungente vicem demortui uſque in adventum Hieronymi Battaleæ ſucceſſoris, nihil ceſſatum ab opere præliiſque, quæ cruenta quotidie inter munitores oriebantur. Cæſus inter illa, dum ſubit incautius adverſum aggerem, Marcus. Atrocius deinde exarſit certamen ad caſtellum, quod ter uno die captum a Turcis, ter receperunt Veneti multo ſan-

qui, jactis molibus in mare, petit inde propugnaculũ D. Andreæ.

Promovet opera ad Sabulonariã.

Nanius caſtellum objicit, atque aggeres:

ibi interficitur.

Certamina circa caſtellum.

Digitized by Google

ſanguine; amiſſis ſuper duces alios Aldrovando ductore ordinum, Deghenfeldio, ac tribunis duobus, Sciarbonerio, & Petro Sala, tum Moupaſſantio machinatorum magiſtro, Conſtantino Doctorio, & Federico Carlotto. 1668.

Hoc belli ſtatu advenit Catharinus Cornelius. Erat cum eo ſimul Mombrunius: qui urbem illico contemplatus ac munimenta atque opera utrinque & ſupra terram & ſub terra; quanquam de Candiæ oppugnatione ingentia audierat in Gallia, præſens tamen majora multo cum comperiſſet, admiratus vehementer, dixiſſe fertur: *videri prorſus ſibi non homines, ſed gigantes talia molitos.* Qua maxime ſæviebat bellum, eam ſibi deligit ſedem Cornelius, propugnaculum D. Andreæ: ubi mox magnum in periculum venit res. Etenim primo caſtellis tribus ultra foſſam coacti ſunt decedere qui tuebantur; undique ex aggeribus præaltis ſic imminente hoſte, nemo ut intra ſepta conſiſteret ſine vulnere. Deinde munimentum itidem trans foſſam, præſtructum roſtro propugnaculi, vi ſumma connixus Turca expugnavit. Tum ab tribus ſimul partibus propugnaculum ipſum quatiebat ex proximo: jamque muri procideret non parum. Cornelius, quando nec contra jaculando proficiebat quidquam, & vix attinebat eruptiones tentare per obſepta prope omnia operibus hoſtium; quæ reliqua videbatur ſpes una, agere inſtituit cuniculos, quibus aggeres adverſos ſubrueret: quod opus effectu quidem non caruit; veruntamen inenarrabilis laboris fuit. Saxum occurrebat ferro impenetrabile. Id ut evitarent, in tantum altitudinis deſcenderant poſtremo, ut ſpiritum ducere foſſores nequirent: & omiſſum ab deſperatione foret incœptum, ni, folle fabrili per tubos ex corio confectos immiſſo aere, ſubventum eſſet. Certamen interea nihil remiſerat cæteris locis. Sabulonaria præſertim, Panigra, & Bethlehemiticum impetu barbarorum premebantur; ut jam Veneti minus ſe munimentis, quam munimenta ipſa armis & corporibus defenderent. Multi clari duces exiguo tempore,

Adveniunt Cornelius, & Mombrunius.

Labor Venetorum ad propugnaculum D. Andreæ.

Cuniculis repugnat Cornelius.

Fervet ibidem bellum ad Panigra & Bethlehemiticum.

Digitized by Google

1668. pore, alius caſu alio ad propugnacula ea ſublati; in quibus Antonius Semiteculus & Marcus Barbadicus: vulnerati vero Paulus Nanius curator annonæ, Auguſtinus Sagredus & Franciſcus Baduarius; tum ductor ordinum Verneda. In urbe quoque vix quidquam reſtabat tutum oppidanis propter continentem procellam glandium igniferarum, quibus diſſilientibus ruebant aut conflagrabant tecta; ut abdere ſe plerunque in caveas cogerentur. Plurimo damno fuit accenſa inde officina, ubi conflabantur pyroboli, aliaque quæ ſunt ad incendia. Vi enitentis in apertum flammæ concuſſa magno urbs motu eſt: proxima quæque ac deinceps contigua ædificia arſere: præter artifices autem in officina, interierunt oppidani militeſve ſupra ducentos; inter quos vir ſtrenuus Nicolaus Imota dux Illyriorum. Et jam arte multimoda ſic diſtinebantur obſeſſi, ut vix ſufficerent. Supererant militum millia haud plus quinque; hoſque ipſos nocturnæ diurnis continuatæ vigiliæ laboreſque conficiebant. Foſſorum inſuper valde imminuto numero, alicubi intermitti opera neceſſe erat. Itaque habito militari concilio, huc decurrerunt ſententiæ, ut mitterentur extemplo, qui de ſtatu oppugnationis edocerent imperatorem; orarentque ne moram interponeret ferendi auxilii. Claſſem roſtratarum habebat ille tunc in ſtatione propter ſcopulum D. Theodori: naves celſiores conſiſtere juſſerat ad Drepanum; ſi Caplanum revectum Leſbo Naupliam, ac brevi in Cretam tranſmiſſurum poſſet excipere. Triremes etiam nonnullas admoverat littoribus Cydonis: ubi facta deſcenſione atque incenſis ſegetibus, eum præbuerat circa tumultum, ut fuga Turcarum ex caſtello contra ſcopulum in urbem fieret. Audito Candiæ diſcrimine, acturum eo trajiciens inducit in urbem millia peditum duo, ac remiges, quibus uteretur foſſoribus, mille & ducentos: non ideo tamen omittendum ratus Caplanum; Hieronymum Naugerium redire protinus ad ſtationem priorem jubet ſeptem triremi-

mi-

Incendia crebra in urbe.

Maurocenus ad Cydonē exponit milites; agros pervaſtat; caſtellum occupat. Accitus Cādiam, milites & foſſores inducit in urbem.

mibus, ſex quinqueremibus, & auxiliaribus copiis ſociorum, quæ media æſtate advenerant. Continuo firmatis, qua res poſtulabat, præſidiis, ſuffectiſque remigibus in opera foſſionum: quia ab nulla parte propius aberat pernicies, quam a propugnaculo D. Andreæ; ibi potiſſimum inſtitit cuniculis fodiendis; quorum ut quiſque primum perficeretur, accenſo, retardaret hoſtium cœpta. Sed præ horum vi pertinaciaque vix credens defendi propugnaculum poſſe; ſimul novas intus excitat munitiones, quibus, eo amiſſo, nihilominus impetus arceretur. Vallum primo ducit in faucibus ipſis propugnaculi: mox ſpatio inde modico murum opponit foſſamque cum crebris caſtellis: murum poſtremo interiorem alium curat ædificandum, propugnaculis adjectis, ab Panigra uſque ad mare; quo Turcis ſingula munimenta ſuperantibus novam ſemper molem operæ laboriſque objiceret. Ab transfugis admonitus Viſſirius quid molirentur obſeſſi; ne, ſi daret tempus perducendi ad exitum, longius traheretur oppugnatio, occupavit impreſſione copiarum propugnaculum tentare. Jam locis duobus, haud procul inter ſe diſtantibus, muri dejecerat aliquantum. Ergo VII. Kal. Septembr. cuniculo ſuccenſo, cum ſubvertiſſet muri quod intererat, ut duos & triginta paſſus pateret ruina; ea delectum militem admovet. Res utrinque ardore geſta tanto eſt, ut majore non potuerit. Aderat hinc hortator & teſtis Viſſirius ipſe, hinc Cornelius, Mombrunius, & Grimaldus. Ter evadentes in ſummum Turcas, toties obnixi armis & corporibus Veneti dejecere: tenuitque certamen dubium horas plus duas. Poſteaquam numerus magnus illorum, alii ferro ignique abſumebantur, aut obruebantur ſaxis, quæ in ruina ſtantes devolvebant; diſcerpebantur alii accidentibus ab latere ferreis pilis ex Panigra & munimento S. Spiritus, quod ultra foſſam æquo utrinque intervallo propugnacula interjacet: commotus Viſſirius fœda cæde ſuorum, quos deperdiderat ſupra bis mille, canit receptui.

1668.

Ad propugnaculum D. Andreæ munitiones, murumque excitat.

Achomates aggreditur vi armiſque propugnaculum.

Multis ſuorum deperditis, conatu omittit.

Ab

1668. Ab Venetis periere amplius trecenti; in quibus tribuni duo, Ricciardus Cæſarinus & Meſſogorius: ſauciati paulo plures, interque hos Laurentius Donatus & Sanctus Barbarus. Alia tunc oppugnandi ratio excepit. Quadruplicem ordinem aggerum injungere muris intendit Turca, ea altitudine quæ propugnaculum exæquaret: longum quidem opus; ſed quod perfectum, ſuos lata fronte procedentes, illuc quaſi ponte tranſmitteret. Ad impediendum minime ſegnes obſeſſi tormenta plurima in propugnaculo & tumulis vicinis contra ſtatuere, quibus inchoatos aggeres disjicerent; qua jaculando minus proficiebant, cuniculis obviam ire; erumpere etiam, ubicunque per objectas machinationes dabatur; in munientes. Nec lentior erat contentio ad Sabulonariam. Straverant & hic Turcæ muri nonnihil: quod obſtructum celeriter ab Venetis, rurſus aperuerant; non auſi tamen adoriri vi atque armis propter altitudinem & abrupta ruinæ. In eo maxime perſtabant, ut vineas & pluteos promoverent ad navalia. Morabantur aggeres tranſverſi: quorum primum repente aggreſſi cum occupaſſent, impetum porro in alios parabant. Occurſum confeſtim ab imperatore eſt; qui id præcipue propugnaculum tuendum ſumpſerat ſibi. Et magno conatu uſus, poſt acre prœlium, in quo præter milites fere trecentos & centuriones aliquot, Prophitium Turrem amiſit Sabaudorum ducem, ac tribunos tres, Marcum Zaccum, Jacobum Venturinum, & Thaddæum Imotam: aggere ad ultimum hoſtes depulit. Cæterum non multo poſt laborari vehementius quam ante in urbe cœptum. Nam & Turcæ viis obliquis ac longis anfractibus paulatim ſic procedebant, prope ut exitus quoſvis clauderent; & certaminibus aſſiduis valde minuebatur præſidium in dies: jamque interierant plures, quam quantum numerum adveniens imperator induxerat. Ac in ſpe exigua extrahendæ oppugnationis non deerant in concilio, qui extrema cenſerent tentanda. Suadebant autem,

Aggeres ibi conſtruit præaltos.

Vineas agit ad navalia:

fruſtra tentat aggeres tranſverſos.

Operibus tamen ubique imminet propugnaculis.

Conſultant Veneti de eruptione.

tem, *ut claſſici, remigeſque, & navalis turba omnis in urbem* 1668. *acciperentur; juſſiſque oppidanis tueri ruinas murorum, ipſi copiis univerſis erumperent. Etenim aut ſubmoturos hoſtem, quem inſtantem tolerare diutius vix poſſent; aut exemplo memorabili virtutis pugnando, in aperto potius, quam velut cavea incluſos mœnibus, morituros.* Ultima hæc agitantes convertit ad ſpem meliorem adventus auxiliorum. Tria millia erant militum & ſubſidia alia varii generis, quæ cum legato Battalea advehebat Thaddæus Maurocenus præfectus navium celſiorum: mox acceſſere cohortes duæ, in Provincia conſcriptæ pecunia Ducis Lotharingiæ. Sed eodem fere tempore copiæ recentes addiderunt audaciam Achomati. Quandiu in ſtatione fuerat Naugerius contra Cydonem: Caplanum, quanquam claſſem triremium plus quinquaginta habebat, defecerat tamen animus ad tranſmittendum. Ne prorſus ceſſaret, præter Melon Jonque navigans, Aſtypalæam venerat, inde Cytæum: ubi relicta parte commeatuum, qui propter difficultatem viarum ægre pervecti ſunt ad exercitum; Pulcrum, Ampelumque promontoria circumvectus, averſa inſulæ petierat Auſtro objecta, vitabundus Nicolaum Leonium, qui quinque navibus maximæ formæ infeſtam oram faciebat. Ad Ledenam expoſitis militibus ferme mille qui terra ad caſtra contenderent; præter Criumetopon & Cadiſcum redierat in Peloponneſum. Æſtatis tandem exitu liberum ei mare ad trajiciendum Cydonem fuit. Perſuaderi haud potuerat, ne prece quidem, Roſpiliοſio atque Acariſio præfectis triremium Romanarum & Melitenſium, ut, in magna neceſſitate auxilii ſocialis, diutius domo abeſſent. His diſcedentibus, mox Naugerius, ut qui impar eſſet ad congrediendum cum hoſte, ſtatione deceſſit. Per dies eos ipſos Leonius, qui navigia Turcarum complura prohibuerat appulſu littorum, quædam etiam ceperat, ab decem navibus majoribus Afris ex nec opinato eſt circumventus. Diu ſuſtentata pugna, amiſſiſque navibus duabus, altera demerſa, altera incen-

Adventus Thaddæi Mauroceni cum auxiliis.

Ad Ledenam expoſiti milites Caplanus.

Socii Venetorum maturant reditum in Italiam.

Afri pugnant cum Leonio; cujus navis una expu-

1668. incenſa ab ſuis, in quam ex navi una hoſtium, quæ ſimul conflagravit, jam tranſcenderant armati; ægre elapſus ipſe cum reliquis tribus, Candiam contendit.

gnatur, alia incenditur.

Tum Caplanus delatus Cydonem claſſe, terra illinc cum ſex millibus peditum, & copia militarium rerum in caſtra venit. Aliunde quoque advectus miles eſt; ut Achomati ſpes oriretur ante hyemem expugnandi oppidi.

Caplanus auxilio venit Achomatis;

Verum per autumnales motus urgere, ut inſtituerat, ab omni parte oppugnationem nequiit. Imbres primum impediere magni aſſiduique; inde vehemens ſeptentrio, quo inflatum mare, & littore exundans, in caſtra & opera exæſtuabat: ut foſſores ac milites non pauci ſubmergerentur. Ad propugnaculum modo D. Andreæ tutas ſtationes præſtabat ab vi aquarum loci altitudo.

qui magnitudine aquarum alibi prohibitus,

Ergo parumper remiſſa alibi oppugnatione, virium robur huc convertit. Ac latius quidem proruerat propugnaculi murum, qua impreſſionem antea dederat. Ab ea inſtauranda tamen murus abſtinuit, quem novum pro diruto ferme in ſumma ruina, cumque juxta validum objecerant jam incluſi. Expertus inſuper fuerat iniquum ea regione certamen ſuis: qui ſeu ſcandere conarentur, ſeu opera admovere, ex Panigra & munimento S. Spiritus uſque inceſſerentur tormentis, tum etiam ex caſtellis duobus, quæ non inde procul, margine foſſæ extremo, hoſtis extruxerat: ut latera infeſtiora ſubeuntibus, quam adverſa corpora eſſent. Satis fidebat, ſi partem alteram ad mare verſam adoriretur, labore modico milites invaſuros. Parva ibi erat turris roſtro propugnaculi adhærens, ab Priolo legato pridem condita: hinc excurrebat murus pene uſque ad mare, oppoſitus ſuccedentibus ab terra, ne facilem aditum ad oppugnandum haberent, qua infirmiſſima munitionis ſunt. Ea facturus impetum Achomates, disjicere cuniculis roſtrum propugnaculi aggreditur turrimque ac murum; ſimul ex mole, quam in mari ſtatuerat, prorſus injungere vineas atque aggeres propugnaculo ipſi. Foſſione quidem non

premit unū propugnaculum D. Andreæ,

maxime qua ſpectat mare.

Digitized by Google

non multum proficiebat, ſaxoſo ſolo, & quia ſpecubus ac puteis, quos providi foderant Veneti, prope ubique inutiles cuniculi fiebant. At contentione dierum paucorum deduxerat eo aggeres, ut quæ vel manu illinc mitterentur, intra propugnaculum caderent. Jaculorum omni genere fruſtra repugnantibus ex muro incluſis; jam Cornelio ſpes fere una in audacia ſupererat: nec ea ſatis efficax, quod ad hoſtium turbanda opera multum militum eodem tempore egredi propter loci anguſtiam haudquaquam facile poſſet. Parvis ſubinde eruptionibus nequicquam tentatis; poſtremo de ſententia imperatoris & Mombrunii, graviore connixus vi, plus etiam quam auſus eſſet ſperare, intulit damni oppugnantibus. Cohortes quinque in id deligit, & robora centurionum; præponitque expertæ virtutis virum, Franciſcum Battaleam, Candiæ Ducem, fratrem legati. Hic ab tribus ſimul partibus efferens ſigna, eo ſe ardore, per impedita licet, invexit, ut poſt breve certamen non ſolum ex aggeribus proximis, ſed præterea ex ſtationibus circa pluribus fuga Turcarum fieret. Tumultu inde in ſtationes alias perlato, trepidatum totis deinceps caſtris magnopere eſt: deſertæque paſſim cuſtodiæ caſtraque forent, ni duces alii primum, poſtea Achomates ipſe, increpando pavorem, quoſdam etiam fugientium cædendo, continuiſſent. Veneti interim ordinem operum unum, mox alterum ſupervadentes, alia disjiciebant, alia igni corrumpebant. Avecturi ad ultimum in urbem erant tormenta ænea complura: poſtquam retardabat aggerum ſtrages, armorumque, & machinarum, ferreis adactis clavis obturant. Occiſi Turcæ ſupra trecentos; in quibus tribuni ſex fuere: ad ſexcentos vulnerati. Venetis tamen, quorum vix quadraginta ceciderant, minus lætam rem fecit Battalea amiſſus. Ferox ab ſucceſſu inſcenderat cum paucis aggerem inde tertium. At dum ad locum obtinendum alios acceſit, nam undique eo ab hoſtibus concurrebatur; plumbea glande per pe-

1668.

Operibus ſuccedit proxime.

Erumpunt Veneti, & opera disjiciunt.

Franciſcus Battalea interficitur.

1668. pectus transfixus, in veſtigio moribundus concidit. Poſtero & inſequentibus diebus, cum Cornelius identidem emitteret militem ad impediendum ne opera reſtituerentur; Achomates contra pluribus quam antea adhibitis munitoribus præſidia ſtationum valde auxiſſet, illinc autem, quo clamor, quo ſubita vis advocaret, confeſtim ad protegendos munitores magno numero præſto eſſent armati: contendebatur quotidie cæde utrinque gravi. Ducibus ipſis pugnam ſæpe capeſſentibus, exiguo tempore multi viri fortes ab Venetis deſiderati; ante alios Matthæus Semiteculus, tribuni duo, Ceola & Marinus, machinatorque egregius Lubatiera Gallus. Paulo poſt in diſcrimine fuit Mombrunius; cui ex propugnaculo aggeres hoſtium, qua potiſſimum invaderet, ſpeculanti, humerum ſummum & cervicem plumbeus globus trajecit. Dum curaretur vulnus, vicem ejus fungentem Frisheimum, triduo poſt, miſſum balliſta ſaxum ingens diſcerpſit. Surrogatus ab imperatore ordinum ductor Grimaldus. Interea cernens Achomates, quidquid progrederetur, quod erat exiguum, multo ſanguine ſtare, vixque putans ſe incœptum hoc anno peracturum; periclitari alia atque alia, ſi forte parvo labore aut proditione redigere poſſet oppidum in poteſtatem. Primo loca quædam procul a mari, quæ intermiſſa cuſtodiis viderentur, ſubito aggreſſus nocte non ſemel eſt. Poſtquam pervigilantes in armis obſeſſi ubique parati adeſſent ad repellendum; per literas ſagittis illigatas ſollicitabat milites atque oppidanos: certos quoque homines ſpecie transfugarum in oppidum mittebat, qui magnis præmiis clam propoſitis, ducem aliquem ad prodendum locum, cui præeſſet pro tempore, perlicerent. Neminem cum moviſſet, tentare poſtremo non eſt veritus imperatorem ipſum; juſſo Panhagite Nicaſio Interprete, literas ad illum componere, quibus *ſuper auri pondus ingens*, pollicebatur verbis regis, *fore eum, ſi Candiam traderet, Principem Valachiæ & Moldaviæ; eandemque poſſeſſionem & ho-*

Eruptiones alias ſubinde imperat Cornelius.

Vulneratur Mombrunius.

Achomates crebro tentat obſeſſos per literas:

demum ipſum Marocenum:

& honorem filios nepoteſque ejus hæreditario jure in perpetuum retenturos. 1668. Viſum imperatori literis his reſponſum dare; eo conſilio, ut contemnendo interim, quod tum maxime proderat, oſtentaret fiduciam virium. Summa fuit:

quireſcri-bit.

Quæ offerret præmia proditionis, fortaſſe magna videri habenti aliquid ante fidem & fas: ſe vero & illa deſpicere, & alia quantacunque adderet inſuper, qui perfidiam duceret nefas præter cætera omnia ſuperis hominibuſque inviſum. Si tæderet Viſſirium irritæ oppugnationis, quin quæreret pacem in condiciones honeſtas? Sin deſiderium angeret potiundi Candiæ; non aſtu & fraude graſſandum ei, ſed, quod fortes deceat, conſtantia animi, viribuſque. Se certe Venetis artibus, virtute, opera, armis oppugnanti uſque reſtiturum. Quare Achomati, nulla alia jam ſpe, & ab Lariſſa quotidie gravius exſtimulante rege, placuit rurſus experiri ſummæ rei fortunam. Imbres æſtuſque aliquantum remiſerant. Etſi autem erat difficile per illuviem, Sabulonariam de integro adoritur: ſimul ad propugnaculum D. Andreæ prohibiturus ne obſeſſi erumperent, accingitur ad novum opus; ut objecta mole immani terræ portam obſtrueret. In eo multa hominum jactura fiebat, tunc potiſſimum ad arcendum porta ſe effundentibus Venetis: quo tamen nihil permotus perſtabat in incœpto; nulla uſquam miſericordia ſuorum, dummodo ne quid relinqueret intentatum.

Remiſſiori-bus aquis, denuo vim admovet Achomates ad Sabulonariam.

Obſtruere conatur portam D. Andreæ.

Sed feſſi jam milites laboribus, & ſæva imperia peroſi, tacite primum queri, *plus oneris injungi, quam vires humanæ ferrent*: poſtea aperte tumultuari; ut Janiſſari haud pauci, deſertis caſtris, in montes perfugerent. Ac arte adhibita revocavit quidem Viſſirius; & tribuni unius ſupplicio obedientiores reliquos fecit. Cæterum nequiit obſiſtere, quominus ſcriptæ literæ nomine exercitus totius ad regem mitterentur, in quibus finem militiæ tam diuturnæ, tamque duræ multa prece orabant. Tulerunt reſponſum triſte: *fruſtra eos alibi terminum laborum ſperare, quam intra Candiæ mœnia: quæ opus eſſent ad expugnandum oppidum, regia cura præparata cumulataque cuncta*

Tumultuā-tur Turcæ.

Literas per-ſcribunt ad regem.

Reſponſum regis.

Digitized by Google

1668. *cta jam habere : niſi quamprimum irrumperent , venturum ipſum ad expoſcendas ignaviæ pœnas* . Denunciatio hæc non ſolum continuit in officio militem , ſed etiam ad fortiter ſubeunda per hyemem compulit , quæ patientiam prope omnem ſuperarent . Hoc ſtatu oppugnationis , Kal. Novembr. ſubſidio Venetis venit delecta manus voluntariorum ex Gallia . Præſidebat Fulliadeus , Dux Roanneſius tunc dictus ; clarus pugna , qua victi quinque ante annis Turcæ fuerant in Pannonia ad Arrabonem fluvium . Fama accenſus defenſæ Candiæ , quæ res ubique ſtudiis ingentibus prædicaretur , vix profeſſus erat ſe illuc trajecturum , cum permulti cupiditate militaris gloriæ & exemplo tam clari ducis excitati , dedere certatim nomina , ut ſequerentur . Non probante ſolum , ſed etiam adjuvante rege , ex eo numero legerat ſexcentos , ætate & virium robore pares , egregium quemque nobilitate & virtute . Iis deſcriptis in manipulos ; manipulos ſenos attribuerat ducibus ſingulis , principibus genere & fortuna ; retento ſibi imperio in omnes , aſſumptoque Fenclonio , ipſo etiam illuſtri ſanguine & vetere milite , cujus conſilio uteretur . Regiis navibus ex Provincia in Cretam tranſvectos , lætitia incredibili obſeſſi excepere . Fulgentes armis & veſtibus , ſpecie corporis inſignes , præferenteſque animos magnos , ſtatim omnium in ſe oculos converterant . Et partem ſibi præcipuam periculi ultro ipſi depopoſcerunt , ut propugnaculum D. Andreæ , qua nudarat ruina muri , tutarentur . Auſi triduo poſt locum capere extra portam , ibique ſe munire . Depulſi a Turcis cum recuperaſſent : aliquandiu armis connixi & corporibus defendere . Ardor hic tamen nimius viſus Mauroceno , quod plures , quam pro neceſſitate , interea caderent . Ubi ſuadendo non poterat , imperio in urbem revocavit ; data ſtatione juxta propugnaculum , unde aut per ſe aut Venetis permiſti , quidquid moveret Turca , impigre occurrebant . Paucis poſt diebus advenere ex Melita milites trecenti ,

Voluntarii milites ex Gallia, duce Fulliadeo , auxiliantur Venetis.

Venit ex

centi ,

Digitized by Google

centi, & equites ſexaginta Ordinis ejus, quos ex variis 1668. nationibus delectos miſerat Magnus Magiſter, Turriano duce, cum tormentarii pulveris centum viginti quinque millibus pondo & bellico inſtrumento alio. Tributa his ſedes prope Gallorum ſtationem: quorum æmulati virtutem, ubicunque exiſteret occaſio, præclaram operam præbebant. Sed Galli cupidi certaminum graviorum, quando aggeres, quos Turcæ ſenſim produxerant, locum vix ullum, ac paucis modo militibus exeundi dabant: tranſgreſſi ad Sabulonariam, repugnando ex mœnibus, identidem etiam manipulatim erumpendo, ſtrenue obſiſtebant ne quidquam admodum hoſti ſuccederet. Ibi alia ab aliis edita ſpecimina animi viriumque: inter cæteros, Mombrunii nepos, ſingulari conſerta pugna, Turcam eximia magnitudine corporis medium complexus fuerat: & ferebat in urbem alacer; at tranſfoſſus plumbea glande corruit. Jam dimidium ferme eorum vario letho ceciderant aut ſauciati jacebant, vix ulla ſpe ſalutis, quod venenatis ſagittis inflicta vulnera plerunque mortifera eſſent. Reliqui ægre ferentes carpi ſe parvis quotidie damnis, nulla tentata re, quæ videretur famam æquare expeditionis ejus: quanquam dehortabantur non imperator ſolum & Cornelius, ſed etiam Roannesius ipſe; contineri non potuere, quin eruptionem univerſi facerent. XVI. Kal. Jan. adjectis ſibi peditibus centum Sabaudis, ſumptiſque qui per mæandros & flexiones aggerum monſtrarent viam; ab partibus duabus egreſſi, in opera & ſtationes oppugnantium impetum dederunt: quo tempore paſſim e muris & munitionibus copia ingens telorum ex compoſito micabat. Duo millia Turcarum tutabantur; iique haud imparati: nam pridie ejus diei, quid ab Gallis inſtaret, cognoverant transfugæ indicio. Nihilominus tanta vis fuit inferentium ſe ſe Gallorum, ut primos aggeres vineaſque prope ſtatim ſupervaderent. Proxima inde opera adoriuntur. Ad illa haud paulo plus erat certaminis. Nam

Melita auxilii aliud.

Galli erumpunt.

Aggeres ſupervadunt.

& ha-

1668. & haſtilibus contiſque ac gladiis acriter reſiſtebant Turcæ; & undique ad ferendam opem pedites equiteſque convolabant: balliſtas quoque majores eodem obverterant, nullo ut conatu perrumpi videretur poſſe. Vicit tamen omnia pertinax Gallorum virtus. Multis invadentes locis, inſtant perculſis, obvios ſternunt; ac quacunque pergerent, majorem quam pro numero tumultum ubique edunt, terroremque, ac cædem. Præibant duces ipſi, Roanneſius ante alios; cuſpidem ejus pro vexillo ſequentibus plurimis. Jam Turcas occiderant amplius mille, in his Caterſolium Mahumetem Baſſam, cui neminem in exercitu rei militaris ſcientia præferrent: cum procul conſpicatus Roanneſius magnam Janiſſarorum manum, ab dextra ſuccedentem ad foſſam; metuens ne reditu intercluderetur, receptui canit, reducitque ſuos in urbem, haud plus triginta quinque amiſſis, vulneratis ſex & ſeptuaginta. Cæſum putarant Ducem Longavillæum, qui flectens dextra cum paucis, in maxime implicatos calles penitus ſe intulerat. Sed is poſt aliquanto reverſus incolumis eſt. Hac re geſta, viginti circiter dies ad Candiam Galli manſerunt, per occaſiones ſtrenue adjuvantes obſeſſos. V. Id. Jan. conſcenſis navibus, in Galliam rediere; pulcherrimum ferentes decus, quod numero tam parvo, duum fere menſium ſpatio, nihil bellicæ virtutis intentatum reliquiſſent. Deſiderati in urbe hoc anno ad ſex millia militum; foſſorum aut remigum millia duo & quingenti. Ab Turcis viginti tria ferme millia militum interiere; prætereaque multitudo captivorum, agreſtium, aliarumque operarum. Exitu ipſo anni ejuſdem actum de pace eſt. Cum diu diſtuliſſet Senatus aliquem a ſecretis ſurrogare Hieronymo Javarinæ, qui de pace audiret, ſi qua mentio fieret ab Turcis: tandem placuit mitti legatum ex ordine patricio. Lectus Andreas Valerius, præfectus inſularum. Hoc autem legationem declinante, ſufficitur Aloyſius Molinus eques, vetus Senator, conſilio

Turcas cædunt plus mille.

Recipiũt ſe in urbem

Abeunt.

Aloyſ. Mo-

ſilio & uſu rerum habitus inter primos. Facultatem ejus mittendi impetravit M. Antonius Delphinus, qui viceſimum ſecundum jam annum apud Turcas captivus erat; ac, quamvis in ſervitute valde dura, utili tamen per tempus opera ſæpe profuerat. Et in eadem captivitate paulo poſt pædore carceris, illuvieque enectus, obiit memorando conſtantiæ exemplo; ut qui adſtitere morienti, auctores graves, in illo fuiſſe notas inſignes tradant libenter pro religione & patria efflantis animam: quod auditum Venetiis valde permovit ordines omnes admiratione virtutis; extareque patres monumentum voluerunt gratæ Civitatis, ſingularia jura multa concedentes fratribus, Andreæ præſertim, filiiſque ejus. Juſſus Molinus celeriter tranſmittere Corcyram: unde terra Lariſſam contendit. Ut illuc venit, cum proceribus aliquot, ab rege in id deſtinatis, congreſſus ad colloquium, ſententiam Senatus exponit: *Præpotentis Dei voluntate & lege fieri, ut qui præſint populis, arceant ab iiſdem vim & injuriam. Venetos etiam, pro fide ſua, vigeſimum quartum annum Cretenſes defendere, quibus illatum eſſet nullo merito eorum bellum. Qui primi auctores fuiſſent Heibrahimo rumpenda per ſcelus fidei & amicitiæ, dediſſe pœnas, alios morte fœda alia ſublatos. Mutato autem rege, quod diſceſſum ab armis non eſſet, ſcire ſenatum, factum id magis, ne ſemel mota deponerentur, quam quod Mahumeti regi æquiſſimo, habentique bonos in conſilio, cauſa probaretur movendi a principio. Expugnationes, direptioneſque urbium, populationes agrorum, labores ceteros omnes, damnaque & clades belli, nimis jam diu utroſque perpeſſos. Æquum profecto eſſe, malis tantis modum aliquando imponi. Miſſum ſe ab ſenatu ad diſceptandum de condicionibus pacis: honeſtas modo ipſi ferrent, nihil recuſaturum.* Vera dicebantur: facundia inſuper viri, majeſtas etiam oris, quæ inerat plurima, magis commendabant. Quamobrem cum aſſenſu auditus eſt. Tædio diuturni belli, adhuc incerto qui futurus eſſet exitus, pacem optabant, maxime legatus Viſirii, qui nuper tranſierat Lariſſam. Hunc no-

1668.

Molinus legatus deſtinatur ad Turcas.

Molinus Corcyram trajicit: inde petit Lariſſam.

Colloquitur cum proceribus Turcarum:

qui ad pacem inclinant

Digitized by Google

1668. noviſſime decreverat rex mittere inſequenti anno in Illyricum, cum duodecim militum millibus ad tentandum Aſcrivium, ut Venetis in Creta vires decreſcerent: quam ille expeditionem propter difficultatem expugnandi oppidi, natura atque arte permuniti, tacite averſabatur. In colloquiis aliis, etſi gravate audiebant ex Molino, Senatum voluntaria conceſſione Candiam non tradere: quod tamen ſatis intelligerent, jus utique pro Venetis

Secus rex. ſtare, minus quam antea pertinaciter abnuebant. Ferocior erat ſententia regis; cui prorſus videretur ſummo cum dedecore finiri bellum, retenta ab Venetis Candia, de qua Turcæ tot annos ac tanta contentione dimicaſſent. Fiduciæ multum addebant vires, quas valde auxerat; ad milites ſcriptos alios, accitis ad ſigna Janiſſarorum millibus triginta, quorum partem in Illyricum, cæteros in Cretam deſtinarat. Interim in concilio Viſſiriorum placuerat, certum hominem trajicientem confeſtim in Cretam Achomatem docere de adventu Molini, quidque is jam eſſet aggreſſus agere. Invitus ille acceperat, adornari expeditionem in Illyricum; quidquid copiarum alio averteretur, minui ſibi facultatem ratus

Literæ ad eum Achomatis. potiundæ Candiæ. Propterea conatus fuerat a conſilio tali regem dimovere: *Magnum ſe eo anno numerum militum oppugnando amiſiſſe: niſi validum ſubſidium approperaretur, metuere ne in ſpem irritam oppugnaturus deinceps eſſet. Utile quidem fore miſceri aliquid in Illyrico, quo diſtringeretur Venetus; ſatis eſſe tamen, cieri ea provincia tumultum; ad hoc autem quatuor millia militum ſuffectura.* Ubi cognovit de Molino; vehementer eſt commotus. Cura angebat, ne forte ſe inconſulto pacem faceret rex. Nam ſeu Veneti cederent Candia, cariturum ſe laude expugnatæ videbat: ſeu retinerent, invidiam ignominiæ ipſum unum, qui apparatu immani tandiu fruſtra oppugnaſſet, ſubiturum.

Literæ aliæ. Ergo ſcriptis ad illum literis, obteſtatur atque obſecrat, *conſuleret dignitati ſuæ; caveretque a fraude Venetorum: ſummum in urbe laborem jam eſſe: ſi Molinum ad ſe rejiceret,*

per-

permitteretque ſibi arbitrium belli & pacis, capitis ſui periculo dejerat, *brevi id bellum ingenti gloria ejus confecturum*. Haud ægre rex aſſenſus. Illico mittitur Chalcidem Molinus una cum Joanne Capellio a ſecretis, & magna parte familiarium. Inde triremibus aliquot tranſvehitur Cydonem: ubi ab Achomate juſſus eſt haberi liberaliter, cæterum diſſimulanter aſſervari cuſtodia vigili. Præſagiebant patres, non fore pacem impetrabilem, niſi Candia dederetur. Dedi autem non placebat ante neceſſitatem extremam. Superquamquod multum intererat ad armorum famam, maximo duntaxat certamine ac jactura præmium id belli hoſtes ferre; oppugnatio ipſa, præter opinionem extracta jam biennium, interdum ſpem ſubjiciebat, diem tempuſque aliquid allaturum, quo Achomates omittere incœptum cogeretur. Quocirca caput id curarum omnium publicarum fecerant, ne deeſſent imperatori neceſſaria ad urbem defendendam. Militum & remigum pararant numerum non modicum. Ad eos cum commeatu, copiaque alia militaris inſtrumenti, in Cretam tranſportandos, affatim ſuppeditabat navium, quas plurimas hoc anno in uſum onerariarum ædificari ornarique viſum fuerat. Subſidia hæc Candiam ut nulla mora perduceret, delectus denuo Thaddæus Maurocenus, qui ſub hyemis initium reverterat Venetias; traditaque grandis pecunia, cum præſidio triremium aliquot & navium formæ celſioris. Simul ducibus præmia decernuntur. Convenienter cujuſque virtuti & operæ, ornati alii militaribus donis, alii ad honoratiorem militiæ evecti locum. Cornelius auctus dignitate equeſtri. Roſpilioſio quoque dari juſſa patera aurea vigintiquinque pondo. Nihil ille quidem tale videbatur promeritus ob præproperum ab claſſe diſceſſum iniquo tempore: ſed gratiam nimirum ſpectabant Pontificis, quo magis accenderent ad auxiliandum. Pollicitus is pridem fuerat, ſublaturum ſe ſocietates tres Cœnobitarum, S. Georgii in Alga, Jeſuatorum, & Congregationis Feſulanæ, D. Mariæ

1668.

Cydonem mittitur Molinus.

Patres non inducunt animum Candia cedere voluntate.

Supplementum & pecunia mittuntur in Cretam.

Præmia decernunt ducibus.

1668. Mariæ Gratiarum nominabant; quarum publicatis bonis, ærario ſubveniretur. Tunc obtendendo cauſas varias, rem trahebat; ſatis credens occaſionem eſſe denique impetrandi, quod Pontifices priores ſæpe fruſtra petiiſſent: ut legem tres & ſexaginta ante annos conditam Civitas reſcinderet, qua, ut memoratum ſupra eſt, Eccleſiaſticis omnibus interdicebatur facultate acquirendi res non moventes.

Pontifex auxiliatur Venetis de bonis ſodalitatũ triũ.

Poſtquam conſtantia patrum in negando ſpem illi omnem adimebat: permotus periculi magnitudine atque impenſarum, quæ fierent in bellum, non ultra cunctatus eſt ſodalitates eas tollere. Venierunt patrimonia Cœnobiorum in terris Venetis, ementibus tantum Eccleſiaſticis; quam condicionem in primis ediderat Pontifex. Inde ſupra ſexaginta millia pondo argenti in publicum redacta. Sodalitatum earundem Cœnobia admodum multa erant in Italia extra provincias Venetas. Hortabatur autem Senatus Pontificem, ut inde etiam confecta pecunia, milites compararet in Creticum bellum. At maluit bona ea cuncta addicere ſubſtructionibus ad S. Mariæ Majoris Romæ: quæ tamen partem maximam ſucceſſor Clemens X. dilargitus deinde eſt Clericis aliis atque aliis, Sacerdotiorum ſimplicium titulo.

Subſidium cõcedit Clericorum.

Se facilem in hoc præbuit, quod & tributum extraordinarium, Subſidium, ab Clericis ditionis Venetæ exigendum annuit, & bona quædam divendenda, quæ ad templum D. Marci pertinerent; ita tamen ut, quantum rediret ex illis bonis ad templum, ex publicis reditibus tantundem quotannis eidem penderetur. Præterea vero pondo octoginta millia ſulphurei pulveris tribuit, empta pecuniis, quas ex Sacerdotiis Hiſpaniæ collegerat: hiſque Cardinalis Barbarinus, liberalitate nunquam per bellum intermiſſa, quadraginta millia pondo adjecit.

Milite juvant Mantuanus, & Hetruſcus.

Ex Principibus aliis Italiæ duo tantum auxilii aliquid contulere. Milites quingentos dedit Mantuanus Dux, quibus ipſe perſolveret ſtipendii dimidium: M. autem Dux Hetruriæ, ſcriptis peditibus centum quinquaginta, cohor-

tem,

tem, quam dudum dederat, ſupplevit. Ab Germanis, unde nihil ſperabatur, jamdiu irrita Ratisbonæ opera Javarinæ, ſubventum eſt haud leviter, orto initio ab Jo. Federico Duce Brunſvicenſi: qui ad Catholicorum tranſgreſſus partes, adſcriptus fuerat in ordinem patriciorum, captuſque pulchritudine urbis, crebro Venetias ventitabat. Hic milites trecentos ſtatuit mittere: ac fratribus perſuaſit duobus, Georgio Gulielmo, & Herneſto Auguſto, ut præberent & ipſi trecenos, alerentque ſtipendiis ſuis. Inſuper ex militibus ter mille, quos utendos Belgis pridem conceſſerant, finito jam eo bello, mille & octingentos polliciti ſunt in Cretam, facturos ibi ſtipendia Veneta. Conſcendere naves parabant in Hollandia; aderatque cum pecunia publica Joannes Marcheſinus a ſecretis Senatus. Mora fuit ab Civitatibus, quæ videri nollent Venetum adverſus Turcam juvare, timentes inde mercaturæ ſuæ maritimæ. Inſtigant ergo duces: ac per hos facile inducunt milites, ut tumultuentur, & ire recuſent. Conſtantes tamen in propoſito Federicus fratreſque opitulandi Venetis, revocatos domum milites ſuos, per hyemem una cum nongentis aliis terra Venetias jubent petere: quo intra duos ferme menſes pervenerunt, ducente Joſia Valdevenſi; ubique benigne habiti, auctique etiam numero aliquo voluntariorum, ut plus jam tria millia eſſent. Ab Duce Bavariæ venere pedites mille, quorum ducenti mercedem ab ipſo acciperent; tum ad centum nonaginta ab Jo. Gaſpare Ampringhenſi, magno Magiſtro Ordinis Teutonici, cum pecunia in ſtipendium unius anni: Princeps Friſtembergius Epiſcopus Argentoratenſis addidit quadringentos; decretis argenteis nummis in menſes ſingulos ſexcentis, quæ pars eſſet ſtipendiorum. Hos etiam ultro non pauci ſecuti ſunt, conſpiciendi generis nobilitate & virtute armorum; inter quos Conigſmarchius ex Svecia, & Strumius. Ab Epiſcopo Paderbornenſi ſex aureorum millia donata: Elector autem Colonienſis, &

1668. *Auxilia ex Germania.*

1669.

Digitized by Google

1669. Monaſterienſis Epiſcopus centies millena pondo tormentarii pulveris uterque præbuere. Plurimum fiduciæ collocarat Senatus in ſubſidiis Hiſpanorum & Gallorum; qui, pace pridem parta ubique, vires jam recepiſſent. Hiſpani tamen deſtituere. Excuſabat mater regis ſuſpicionem ab Gallis, ne, quæ ipſa nudaret præſidiis, invaderent illi de improviſo: ſi ea ſuſpicio tolleretur, affirmabat adjuturam ſe mari terraque. Ac per oratores Pontificis & Venetorum impetratum quidem eſt ab rege Galliæ, ut ſcripto promitteret, hoc anno nihil moturum adverſus Hiſpanos. Veruntamen cauſa ea ſublata, continuo obſtitit alia. Placuerat reginæ, claſſem ſuam cum Gallorum claſſe, ſi quam mitterent, conjunctam in Cretam navigare. Miniſtri, quod in ea conjunctione claſſium primum haud dubie locum habituri Galli forent; certi non concedere, uſque rem arte diſtulerunt, quoad auxiliandi tempus effluxit. Alium animum adhibuit rex Galliæ. Dabat etiam fortuna, ut cura prorſus omni externa liber tunc eſſet. Diſſidium exarſerat inter Ducem Lotharingiæ & Electorem Palatinum. Jam conſcripſerat exercitum uterque: nec timor aberat, ne aliquid inde turbaretur in propinquo. Arbiter ab iis ſumptus rex, quo jubente Palatinus arma depoſuit. Copias recuſantem dimittere Lotharingium, metu rex idem compulit; deſtinato Mareſchallo Crequio, qui, ſi perſiſteret in pertinacia, exercitum induceret in fines. Tum Joanni Mauroceno oratori Veneto palam aperit, eſſe ſibi propoſitum claſſem in Cretam mittere ſub Duce Bellefortio, rei maritimæ imperatore; in eaque delectas cohortes duodecim, & pedites alios ex cuſtodibus corporis ſui quingentos, præter ſponte ituros, quorum non exiguum numerum fore ſciret, præpoſito Duce Noallio. Poterat vix quidquam accidere optabilius patribus, quam ſtudium hoc regis: ſtatimque per Maurocenum eundem ampliſſimis verbis gratiæ actæ. Gaviſus etiam impenſe Pontifex. Quare gratiam regi teſtatus

Hiſpani nihil preſtãt.

Rex Galliæ miliſtũ multum pollicetur, ducibus Belleforcio, & Noallio.

Gratias agit Senatus.

tus ſimul verbis eſt; ſimul re quoque reſpondens, quod ille ſe cupere paulo ante ſignificarat, Ducem Bullionenſem creavit protinus Cardinalem. Inde, ut ſtrenuum lectumque virorum agmen confirmaret & ornaret dato illo Auſpice, cujus in cauſam deſcenderent armati; Vexillum cum Imagine Chriſti Crucifixi mittit Bellefortio: hoc autem rex voluit tanquam ſignum Pontificis in eam expeditionem ſequi ſuos. Poſt aliquanto in ſpem Senatus venit, itidem ex Gallia trajecturum Candiam auxiliarem militem alium. Pollicebatur Mareſchallus Bellefontius, pedites bis mille ſcripturum ſe pecuniis ſuis, impoſiturumque in naves, qui deinde a Pontifice acciperent ſtipendium: condicionem pactus, ut in Creta cohortes duæ treſve adjicerentur, quibus ſimul imperaret ipſe. Sed, dum propter magnitudinem impenſæ faciendæ tergiverſatur Pontifex; dum id agunt Veneti, ut ſtipendii dimidium dumtaxat perſolveret, perſoluturi ipſi dimidium alterum, circumactum ver eſt: abjectaque in præſens a Bellefontio cogitatio ejuſmodi, præſertim quod ſatis intelligebat, ſummum ſibi imperium in eas copias conferre Pontificem non poſſe, niſi turbatis, quæ cum rege de duce priorum copiarum compoſuerat. Interim ad Candiam vi ingenti gerebatur bellum. Turcæ, obfirmato ad omnem laborem animo, nunquam per hyemem ab oppugnatione ceſſarant. Alibi cuniculis munimenta murorum everterant; alibi muros ipſos dejecerant tormentis; pluribus etiam locis aggeres & vineas mœnibus prope injunxerant. Duabus maxime rebus reſiſtebant incluſi: una, novum ſemper murum aut vallum introrſus obſtruendo; altera, erumpendo ſubinde in opera hoſtium ac ſtationes: ut nihil his niſi longo tempore & multo ſanguine ſuccederet. Cœperant media ferme hyeme premi penuria cum rerum aliarum, tum pecuniæ; tempeſtatibus ad Corcyram aut Zacynthum retinentibus naves, quibus ſubſidia Venetiis advehebantur. Effectum tamen diligentia imperatoris, ne propter-

1669.

Vexillum mittit Pontifex Bellefortio.

Spes alia auxiliorum indidem,

irrita.

Candiæ oppugnatio continuata per hyemẽ.

1669. propterea ſegnior militum eſſet opera. Qua apud duces gratia pollebat, apta tempori commemorando, hortandoque ad curam, ut propter æra ad diem non numerata nihil tumultus exiſteret; perpulit, ut ipſi privatam pecuniam interea numerarent militi, recipiendam a quæſtore, cum primum publica apportaretur. Haud ita multo poſt animos inſtauravit adventus Thaddæi Mauroceni: qua die eadem in caſtris quoque Turcarum gratulatio fuit ob miſſa denuo dona ad Achomatem. Et nunc pretioſum indumentum erat, machæraque gemmato capulo. Attulerat Eunuchus quidam ex intimis: cui mandata rex dederat, ut per eam occaſionem ſtatum oppugnationis exploraret. Homo ignarus bellicarum rerum, cernens non uno loco patere ruinas murorum, aggereſque & vineas admotas proxime; admirari ſtatim cœpit, ecquid ita non vaderent agmine in oppidum. Facto Achomates excuſſit errorem, juſſis cohortibus quatuor in ejus oculis impetum facere. Ut vidit ſemivir ille vim telorum, igniumque, ac ſaxorum, velut confertum imbrem, undique effundi in ſubeuntes, ibique brevi tempore perire plurimos aut vulnerari, neminem omnium evadere in ſummam ruinam: ſpectaculo graviter tremefactus, ultro ipſe receptui confeſtim ut caneret, Achomatem orat & obſecrat. Commendare dein mirifice conſilium; fateri profiterique, unam, quam paulatim ſuccedendo operibus iniiſſet, expugnandæ urbis viam eſſe. Hæc eadem reverſus Lariſſam cum aſſeveraret, laudans Achomatem hoc impenſius, quod larga ab eo munera diſcedens acceperat; confirmavit dubium animum regis, impulitque ut majora auxilia ad eum deſtinaret. Hoc quoque anno hæſerunt Turcæ maxime circa propugnaculum D. Andreæ. Omnino ſic ſtatuerat Achomates, aut parte ea aut nulla alia capi urbem poſſe. Ergo alibi paſſim urgendo opera, id modo curabat ut multiplici labore diſtringeret obſeſſos, quo minus expediti eſſent ad propugnaculum defendendum. Interim

Dona regis perfert ad Achomatē Eunuchus:

qui ſpectator difficultatis oppugnandi,

utilis deinde illi eſt apud regem.

Propugnaculum D. Andreæ maxime petitur a Turcis.

Baſſa

Baſſa Minoris Aſiæ præpoſito, qua petebatur munimentum S. Spiritus; ipſe cum robore copiarum Prioli turrim, & propugnaculi latus utrunque oppugnabat, præſertim quod vergit ad mare. Hic legentem narrando fatigem, aut etiam detraxerim vero fidem, ſi, quibus artibus & jam ante expertis, & tunc primum adhibitis utrinque, quove humanarum virium aut raro aut nunquam alias uſu exprompto, per octo menſes certatum pugnaciſſime ſit, diligentius exequar. Fuerunt, quæ vel militiæ ſcientiſſimi, exacta in caſtris ætate duces, demirarentur; ut non puderet fateri ad Candiam ſe tyrones, quo adveniſſent milites veteres & haud obſcuris urbium oppugnationibus exercitati. Littori extremo inædificati aggeres, qui jam murum ſuperarent altitudine, ne propius admoverentur, diu Veneti prohibuerunt, non æneis modo balliſtis repugnantes ex tumulis celſioribus propugnaculo impoſitis, verum etiam porta identidem erumpentes, quo poterant numero, per loci anguſtias. Nunquam inde abſcedebat Cornelius: obibat quotidie imperator; Mombrunius pariter, vulnere percurato: communicatiſque inter ſe conſiliis, nihil inexpertum relinquebant, quo machinationes hoſtium retardarent. Poſtquam hi mole ingenti muniendo ſic proceſſerant, ut vix ullum in eruptionibus momentum eſſet; & jam pars ſuperior muri decuſſa nudaverat plurimum propugnaculi, munimentis quoque portæ dejectis, porta ipſa diruebatur: quod unum comminiſci in tali diſcrimine poterant, vaſto cuniculo evertere adverſos aggeres adoriuntur. Stetit cœptum labore multo: rupes nanque crepido ea inſulæ eſt, ad quam mare frangitur. Vincente tamen conſtantia difficultatem, perfectus tandem cuniculus: prorſuſque, qualem optarant, exitum ſuccenſus habuit. Horrendo cum fragore, motuque magno urbis totius, eluctatus ignis clauſtra ſaxorum, impetu tanto erupit, ut, ſubverſis ab imo aggeribus, tormentorum cæterarumque machinarum late ſtragem daret; omneſque & foſ-

1669.

Strenue reſiſtunt incluſi.

Cuniculo evertunt opera hoſtium:

ſores

1669. fores in opere, & milites qui tuebantur libratoreſque, ruina una involveret: quæ res pavorem ejuſmodi incuſſit Turcis, ut aliquandiu ſuccedere ad oppugnandum auderet nemo. Succeſſere ad extremum hortatu miniſque Viſſirii incitati. Ac ſine intermiſſione die nocteque aliis in locum feſſorum uſque ſubeuntibus; brevi non ſolum reſtituerunt corrupta opera, ſed nova etiam inſtituerunt. Inter alia cuniculus fuit, actus ſub propugnaculum ipſum; quo pars ima muri eſt ſubruta. Et per ſtragem lapidum facta impreſſione, non longe aberat quin irrumperent; paulum ſtatim impulſis qui pro ruina ſtabant. Præſto fuit ex proxima ſtatione Melitenſium cohors: quos non ſuſtinentes Turcæ cum multorum cæde ac vulneribus receſſerunt. Ab eo tempore plurimum ibi fuit pugnarum. Occaſionem cuniculi utrinque dabant, quorum agendorum modus nullus jam eſſet. Alibi excipientes ſe invicem cuniculis contrariis, temere congrediebantur ſub terram: alibi fallentes hoſtem, partemque evertentes obſeſſi operum, obſidentes murorum, juſto prœlio in ruinis confligebant. Ac plerunque ſuperabant Veneti: quorum tamen quotidie cadebant plures quam ante; ut intra dies triginta, duo fere millia militum aut operarum deſiderarentur, ex ducibus autem, præter centuriones non paucos, tribuni duo, Jo. Baptiſta Zaccus, & Ventura Foreſtus, machinarum itidem architecti duo, Piſtorius, & Moroſius. Vulnera ibidem accipiunt Spar ſaxo percuſſus in capite, Conigſmarchius, & Valdevenſis icti graviter in pectore plumbea glande. Ne imperator quidem, & Cornelius a periculo abfuere, dum, quo ſubita vis advocaret, impigre occurrunt, fragmento ſaxi utrique plaga inflicta. Contentionis haud ferme minus erat ad munimentum S. Spiritus. Strenue Grimaldus non caſtella modo pro munimento tueri, ſed etiam aliquanto plus loci complecti vallo. Aliud inſuper objecerat caſtellum, unde ſtationes petentium propugnaculum ab latere fierent infeſtiores. Circa id caſtellum

que reſtituuntur.

Cuniculo ſubruitur pars ima muri.

Vis præcipua in cuniculis utrinque.

Mannocenus, & Cornelius vulnerati.

Digitized by Google

lum prœlia crebra committebantur eventu vario. Semel atque iterum cohortibus tribus conatus invadere Minoris Aſiæ Baſſa. Tertio cum ſubiiſſet numero majore armatorum, poſt acre certamen, vincentibus Venetis, occiſus eſt. Contra vulneratus Grimaldus, cæſuſque Ganduſſius tribunus, munitionum peritiſſimus, cujus ad caſtellum excitandum uſus arte fuerat. Achomates, quoniam neque armis, neque cuniculis, neque ope ulla alia, ſpes admodum dabatur propugnaculi potiundi; ab inopia conſilii novum, nec ante fando auditum aggreditur oppugnationis genus. Quod integrum nequibat, comminuendo auferendoque carptim, adimere hoſtibus ſtatuit. Res immenſi operis perfici non poterat ſine ingenti jactura. Sævum tamen imperium executi ſunt milites, vix credibili exemplo audaciæ & patientiæ; nihil retardante cæde ſuorum, qui plurimi interea abſumebantur. Per tela, atque ignes, & procellam ſaxorum uſque procurrentes, indeque rapientes terræ aliquid aut lapidum, noctu juxta atque interdiu continuato labore, quadrageſimo denique poſt die quam moliri id cœperant, vaſtæ magnitudinis propugnaculum pene totum diſſolverunt aſportaruntque. Pars reſtabat exigua interior, & vallum ſuperimpoſitum, quo præ vi incidentium ſuperne jaculorum non penetrarant. Huc ergo balliſtas vineaſque & machinas alias intendit Achomates; ſatis jam ſperans, ſe, vallo mox disjecto, viam facturum militi ad perrumpendum. Haud paulo tamen, quam crediderat, difficilius id Cornelius fecit. Delectis ad cuſtodiam quos promptiſſimos expertus fuerat; e veſtigio obſtruere quidquid hoſtes aperirent; ſcandere interdum conantes miſſilium velut grandine depellere; tormentis, quæ magna copia in faucibus propugnaculi ſtatuerat tumulis editis, opera diſturbare; obire ipſe ad repentina pericula, defungique cura. Ac lente quidem, nec niſi multo ſanguine procedebat cœptum oppugnatoribus. Cæterum ea vis aſſidue ſuccedentium erat, diruen-

1669.

Baſſa Minoris Aſiæ occiſus ad caſtellum S. Spiritus.

Grimaldus ſanciatus.

Novū conſilium Achomatis ad propugnaculum D. Andreæ:

quod comminutis carptim aſportant Turcæ.

Vallum oppugnans.

Defendit Cornelius:

ruen-

1669. ruentiumque vallum, ut repellendo reficiendoque vix ultra par Venetus eſſet. Abundabat tum potiſſimum Achomates hominum multitudine. Ad millia triginta commeatibus pluribus Lariſſa miſerat rex. Aliunde aliquid quotidie militum, & militarium rerum ſubvehebatur. Itaque inſtando acrius in dies, eo jam pervenerat, ut, ſi invadendi ſignum daret, reſtiturum vix crederet præſidium. Quod animadvertens Cornelius, ſedulo permuniebat murum introrſus ductum, quo, amiſſo vallo, reciperet ſuos; & unde, ne hoſtis in urbem porro tranſ-

qui ibi interficitur. grederetur, prohiberet. At operi huic intentum, jamque ſuperimponentem grandiores balliſtas, ingenti damno publico abſtulit infortunium inopinatum. Igniferos globos crebro in urbem jaculabantur Turcæ. Horum unus forte decidit non procul inde, ubi Cornelius erat. Quod fieri ſolet in tali periculo, prius quam diſſiliret, ſternentibus aliis humi corpora, ſtabat unus ipſe; qui adverſus terrorem quemvis firmus, flagitium ſemper duxiſſet præbere timentis ſpeciem. Diſruptus globus alte lacerat latus ei dexterum, ut viſcera ſtatim effunderentur. Exanguem & moribundum inter manus excepere duces circa. Ac, tum quoque retinens animi robur, ſpiritu extremo hortatus ne metu ullo cuſtodia loci ejus, in quo urbis ageretur diſcrimen, excederent, mox e-

Ejus elogium. moritur. Eloqui difficile eſt, quam triſtis caſus viri ejus Venetis, gaudio quanto Turcis fuerit. Nulla militaris virtus non ſumma inerat. Jam uſque ab initio belli, cum adoleſcens adhuc miſſus a patre trierarchus in ſubſidium Cydonis eſſet, ediderat fortitudinis ſpecimen magnæ, adeundo impavide ardua quæque, tendendoque in concilio, ne urbs hoſti dederetur. Exinde ad alia atque alia in Illyrico, & in Creta adhibitus, ſe geſſerat ita ubique, ut non facile peritia armorum quemquam æquares. Sagax, prudenſque: in eo quod ſuſcepiſſet acer & conſtans: ad conſilium in ſubitis expeditus: invicti ad contentionem & patientiam corporis animique:

comi-

Digitized by Google

comitate, liberalitate, ac munificentia id obtinuerat, ut vim maximam imperii haberet pariter in oppidanos & milites. Cumulavit vitæ laudem præclara mors. Contigit illi fortaſſe opportuna; qui medio in curriculo gloriæ ſuæ, ante anguſtias Candiæ ſupremas, occubuit. Funus apud exercitum primum, quantum militaribus concelebrari ſtudiis ullum poteſt, Venetiis poſtea factum, proſequente Senatu. Hieronymus frater ejus in ordinem equitum D. Marci eſt relatus; tributaque jura ampla familiæ Corneliorum, ut honori cunctis nomen & memoria tam clari ducis in Civitate eſſet. Moriturus nunquam non alieno reip. tempore, alieniſſimo tunc obivit. Patres nanque, ſi qua poſſent ope periculum Candiæ avertere, quod ne ultimum inſtaret, valde metuebant; navibus duodeviginti refertis milite, & bellico inſtrumento in Cretam miſſis, juſſiſque eodem trajicere triremibus quatuor, & biremibus undecim ex Illyrico: ſcripſerant ad imperatorem, ut collectis undique in unum maritimis copiis, commendataque Cornelio urbe, obviam iret ipſe venienti claſſi Gallorum, & viribus conjunctis aliquid tentaret, quo levaretur oppugnatio. Ubi hæ literæ Candiam ſunt allatæ, jam Cornelius vita exierat: eaque calamitas turbavit præſcripta Senatus. Qua ille cecidit die, erat Maurocenus ad Sabulonariam, repentino tumultu accitus. Turcæ enim in caſtella omnia pro munimentis uno tempore ſe intulerant. Vixdum iis repulſis, audiens, vulnere mortifero ſaucium Cornelium, accurrit. Extinctum cum inveniſſet, haud dubium fuit, quin legatum Battaleam in locum ejus præficeret; cura ipſe avocatus inviſendi quotidie propugnacula ſingula, obſiſtendique novis ſubinde conatibus hoſtium. Et triduo poſt trepidatum rurſus ad Sabulonariam eſt. Caſtellum unum ante lucem adorti illi ceperant: quod ſi alterum deinceps occupaſſent, labore non magno penetraturi videbantur ad navalia. Arte uſus imperator, dum eruptione ſubita tumultum injicit regione alia, delectos

1669.

Battaleam legatū ſufficit Maurocenus.

Caſtellum capiūt Turcæ ad Sabulonariā;

quod Mau-

1669. pedites emittit quadringentos, qui, priuſquam ex ſtationibus vicinis ſuccurreretur, deturbatis Turcis, receperunt caſtellum.

tocenus recuperat.

Battaleam interim anceps ſolicitudo diſtinere tutandi reliquum propugnaculi, ſimul arcendi vim ab lorica muri, quæ ad vicinum Panigra excurrebat. Partem loricæ ejus diruere cœperat hoſtis, intervallo modico ab propugnaculo D. Andreæ; ut illac pervadens ab tergo eſſet Venetis cuſtodientibus murum, quo id propugnaculum ab reliqua urbe interſepſerant; faceretque inutilem munitionem ultra foſſam.

Erumpit Battalea, & caſtellum excitat.

Neutrobique prætermiſſum quidquam a Battalea, quo rem labantem ſuſtineret. Erumpens primum in ſuccedentes ad loricam, paulum ſubmovit; deinde ſuper marginem foſſæ caſtellum raptim oppoſuit: quod dum acriter utrinque oppugnatur ac defenditur, extractum dies complures certamen eſt. Ad propugnaculum autem ope quavis obnitendo, veſtigium non ſivit hoſtem procedere ſine magno labore ac cæde multa: prorſuſque nullum reſiſtendi finem fecit, donec valli aliquid ſuperfuit terræve, ubi conſiſteret.

Sed Turca conſiſtit demũ in faucibus propugnaculi: murum interiorẽ quatit:

Poſtquam Turcæ potiti tandem faucibus propugnaculi, excitarant ad eas aggerem, ac tormentis impoſitis majoribus octo, pluribus minoribus, murum interiorem quatiebant: acto celeriter cuniculo, partem ſubvertit aggeris haud parva cum ſtrage hominum & machinarum. Aggerem inde illi reſtituere, & vineas pluteoſque admovere utrinque ad murum, qua urbis mœnia contingebat: Venetus cuniculis, tormentis, perpetuoque jactu telorum atque ignium, eruptionibus quoque interdum repugnare. Plerunque tamen ea in contentione erat Turca ſuperior. Nam præterquamquod premebat undique mole virium; adjuvabat etiam locus iniquus obſeſſis cum propter anguſtiam, tum quod poſitum in declivi ſubjectum ipſe haberet.

Turri, & muro ad mare, potitur.

Nihilo meliore ſpe dimicabatur ad murum, a propugnaculo extremo pertingentem ad mare. Diu oppugnando, qua tormentis dejecerant Turcæ, qua everterant cuniculis.

Poſtre-

Digitized by Google

Poſtremo aggeribus vineiſque injunctis ; vi atque armis *1669.* adorti non ſemel repulſique, demum conſtitere in media ruina. Parvi operis munitio tegebat propugnantes. Ut hanc quoque disjici vidit imperator : antequam ſuperfuſi hoſtes opprimerent, revocat ſuos intra vallum; quod futuri diſcriminis prudens, modico illinc ſpatio a mœnibus pariter ad mare juſſerat perduci. Ibi trierarchi duo, Petrus Quirinus & Antonius Canalius, circa eum ſtantes, caſu ollæ incendiariæ, alter occiſus eſt, alter graviter vulneratus. Eodem tempore, quia diffidebat murum, qua præerat Battalea, diu defendi poſſe; interiorem alium a propugnaculo Panigra uſque ad mare ſtrui jam cœptum, placuit perfici, curante Battalea eodem: quod opus non multo ſolum labore, quippe ad paſſus ferme quadringentos murus patebat in longitudinem, ſed etiam damno conſtabat haud mediocri; ex aggere nanque in faucibus propugnaculi deſtinatis ictibus munientes petebantur. Ac paucos poſt dies prope vitæ periculum venit Jacobus Contarenus Dux; cui, dum conſtruentibus inſtat, miſſus balliſta minore ferreus globus brachium ſauciavit, ut abſcindi neceſſe fuerit.

Mænorenus murum alium excitat.

Jam appetebat æſtas. Utrinque animos ſolicitos habebant curæ. Venetos ſubſidiorum ſpes una ſuſtentabat, cujus moram præſens fortuna ægre admodum pateretur. Etenim præter magnum numerum abſumptorum, permulti vulneribus aut morbis afflicti jacebant: qui valerent, & pauci recenſebantur, & opere iidem vigiliiſque pene confecti; ut ſi paulo longior oppugnatio foret, viderentur nequaquam ſuffecturi. Achomates non valde quidem commovebatur jactura, quam gravem fecerat militum & foſſorum; nam, capto propugnaculo, non exiguum tulerat pretium operæ; ſuppleverat autem vires præfectus claſſis, qui triremibus duodequadraginta appulſus Cydonem, millia aliquot Janiſſarorum, remigemque, & navalem turbam aliam adduxerat in caſtra: at vehementer turbabat metus auxiliorum, quæ valida

Labor Venetorum.

ex

1669. ex Gallia mox adfutura obſeſſis, undique nunciabantur.

Achomates anxius cura accerſit Molinum. Audit de condicionibus pacis:

Quo evaſura oppugnatio eſſet incertus, Molinum accerſit Cydone, ut pacem tentaret. Venienti habuit honorem, quo regum excipi legati ſolent: auribus etiam æquis audivit exequentem cauſas, cur abduceret tandem Candia exercitum, & finem bello imponeret. Atque ſatis credebatur, verbis diſceptando rem conventuram. Verum liberum illi nequaquam erat ſuam unius ſententiam ſequi. Duo potiſſimum eminebant in exercitu, quibus inconſultis, tutum non exiſtimaret quidquam

At obſtat Quæſtor, & Heibrahimus Baſſa.

ſtatuere: Quæſtor, homo avarus, qui haud careret fraude publici peculatus; & Heibrahimus Baſſa, ferox ingenio, conſilioque præceps. Improbabant uterque, finiri bellum Candia non tradita. Quæſtor quidem quod magnopere metueret ne tunc, propter armorum exitum minus ſecundum, inquirentibus in facta cujuſque, averſæ pecuniæ appareret crimen; Baſſa vero quia agi utique putabat gloriam regis Imperiique, Candiam oppugnatam per triennium non retineri ab Venetis. Palam igitur adverſando, elevandoque Gallica auxilia, a quibus, ut advenirent in tempore, nihil tamen ipſi exercitum tantum habenti timendum eſſet, bellum duntaxat ſuadebant: *dedecus*, objicientes, *quod ſubiturus minime dubie foret, ſi irrito incœpto abſcederet urbe, cujus partem jam cepiſſet; quamque locis pluribus nudatam ruina murorum, paucis iiſque fractis ac debilitatis defendentibus, modo paulum adhuc anniteretur, aut armis aut pactione redacturus in poteſtatem eſſet. Non dubitare ſe ſe, largiendo præmia militibus, brevi eum, quidquid contra Veneti obſtarent, quo jamdiu tenderet, irrupturum.* In id de ſuo vim pecuniæ ultro pollicebantur, centies & quinquagies mille Regales nummos. Commonebant ad extremum, *in eo rerum diſcrimine conſuleret ſibi: valde enim ſe ſe vereri ne fruſtra tentata Candia pœnas unus ipſe, immeritus licet, capite ſolveret ſuo.* Paratos apud regem accuſatores providebat Viſirius, ſi ſtudio pacis ſpem omitteret capiundi oppidi. Ergo aliam in-

ingreſſus conſilii viam, per Achomatem unum ex præfectis Janiſſarorum & Panhagiten Interpretem explorat diligenter, ecqua facultas eſſet legato, ubi ad extremum periculi veniretur, faciendæ deditionis. Negante conſtanter Molino: jubet Interpretem afferre condicionem, tanquam de privata ſententia: ut Candia everteretur, juſque eſſet Veneto alibi condendæ in inſula arcis. Id quoque cum abnueret Molinus; Cydonem eum remittit. Hoc tempore morbus primum ex diuturnis laboribus, mox cura gravis alia Viſſirium adorta eſt. Intemperantia venationis & voluptatum aliarum valetudine labefactata, inciderat rex in virium languorem; ut, cum in publicum non prodiret, mortuum crederent Janiſſari. Tumultus inde exortus: nec ante facta fides vivere eum, quam ex feneſtra ſe oſtendentem oculis cernerent. Non ideo tamen quieverant animi. Dudum tædere cœperat regis: quem occulte fremebant ſequi genus vitæ inquinatum & alienum a bello, quod propterea lente gereretur. Agitarant etiam inter ſe de adimendo regno: ac fortaſſe non evaſiſſet inſidias, ſi in unum omnes, quem ſufficerent, conſenſiſſent. Favebant alii filio ejus ſexenni: numerus major rem trahebant ad fratres, Suleimannum præſertim. Admonitus ab uxore fratres necari juſſerat. Sed obſtitit mater, ab caritate filiorum opportunum mutuata conſilium. Nam per idoneos homines, quid rex moliretur, ad milites cum detuliſſet, qui Conſtantinopoli erant; hi autem, ſumptis protinus armis, concurſuque ad Gynæceum facto denunciaſſent, periculo ipſius futurum, ſi qua fraus perderet fratres regis: cauſam probabilem nacta eſt impediendæ cædis. Iniquo animo paſſus Mahumetes, non obtemperatum imperiis ſuis. Tum enimvero cupiebat, Candia expugnata, terminari bellum; ut una cum Viſſirio reverſus Conſtantinopolin, tolleret fratres; animadverteretque in matrem jam dubiæ fidei; ac tuta ſibi in poſterum cuncta redderet ſupplicio eorum, qui præcipue in

1669.

Condicionē aliam ponit Turca.

Periculum regi ab ſuis:

qui fratres conatur tollere.

1669.

Tumultus Conſtantinopoli propter monetā deteriorem.

ſe conſpiraſſent. Per eoſdem fere dies ob rem aliam Conſtantinopoli ventum fuerat prope ſeditionem. Copiam nummorum ex metallo deteriore invexerant pridem externi, quibus & ibi & in urbibus aliis ad quotidianas commercii neceſſitates vulgo utebantur. Accipere poſtea recuſarant quæſtores & publicani primum, dein mercatores: poſtremo magiſtratus majores edicto illos vetaverant. Eo concitati ſunt animi multitudinis, damnum conquerentis; quod cum ad alios, tum ad pauperes pertinebat, quibus induſtriæ operæque merces genere ejuſmodi pecuniæ perſoluta fuiſſet. In urbe, atque extra urbem motus continuo extiterat; ut ab armis & maleficio non temperaretur. Violati magiſtratus non uni; mercatoribus, qui apothecas & tabernas clauſerant, vis illata; domus etiam aliquot direptæ. Hæc anxium habebant Viſſirium; ut qui vereretur ne aliquid propterea adverſi accideret regi, cujus cum fortuna conjuncta ſua eſſet. Quamobrem legat Conſtantinopolin Heibrahimum præfectum primum Janiſſarorum, dexterum hominem, ſibique fidelem, qui turbas ſedaret; daretque operam, ut concordia reconciliaretur inter regem matremque. Mox Caſtanum Baſſam trajicere jubet Lariſſam, qui ſtatum oppugnationis oſtenderet regi; ut dubio ſibi inter ſpem expugnandi, & metum, quem expectata in dies ab obſeſſis auxilia afferrent, conſilii capiendi auctor ipſe eſſet. Compreſſo jam tumultu, venit Conſtantinopolin Heibrahimus: ubi ſolertia uſus effecit ne rex in præſens quidquam ſibi timeret a matre. Idem, antequam ex Creta ſolveret, Cydone convenerat Molinum; egeratque fruſtra de Candia dedenda. Juſſu inde Achomatis ſcripſerat ei itidem de deditione Panhagites. Recuſanti etiam tunc ſcripſerat denuo, *non deſperare ſe, perſuaderi poſſe Viſſirio de pace in has leges: ut Candiam quidem retinerent Veneti, Tenon vero inſulam & Aſcrivium traderent.* Reſponſum diſtulerat Molinus, qui novam condicionem ſuſpectam fraudis haberet. Interim Lariſſa rever-

Occurrit ab Candia Achomates.

Conſulit regem de Candia.

Condicio nova pacis fertur ab Achomate.

verſus Caſtanus, ampla mandata ab rege attulerat de bello finiendo. Quare nihil cunctatus eſt Achomates per Panhagitem Molino ſignificare, *credere ſe ſe pacem ſic conventuram, ut, quod diſceptatum alias fuerat, qua perpetuis jugis montium dividitur Creta, hinc Turcæ, hinc Veneti inſulam obtinerent; ea condicione tamen, ut Amphimalia, Grabuſæ, & Tenos dederentur Turcis.* Ac pacta hæc ita ferebantur, ut indicia non obſcura apparerent, Achomatem aliquid ad extremum remiſſurum. Veruntamen facultas tunc Molino non erat paciſcendi. Ademerant noviſſime patres; quos in expectationem rerum meliorum promiſſa ab rege Galliæ ſubſidia erexiſſent. Muneris id modo injunxerant, ut audiret de condicionibus, perſcriberetque ad ſe ſe. Cæterum jam inde a principio, incerta caſuum reputantes, ſcripta mandata dederant Mauroceno imperatori, in quibus facta poteſtate ſtatuendi pro belli fortuna, quod duceret e rep. ſimul monuerant etiam atque etiam, *ut, ubi deſperata urbis defenſio eſſet, utique conſuleret claſſi, in qua ſalus imperii periclitaretur.* Inter hæc opem approperabat rex Galliæ. Timuerat ne non in tempore auxilia ſua Candiam pervenirent; quam accipiebat ſic premi, ut exigua reſiſtendi ſpes eſſet. Subibat interdum ſuſpicari ne Senatus occuparet pacem facere. Poſtquam Venetus orator de hoc interroganti Turennio aſſeverabat, nihil tale dubitandum regi: inſtruendam quam celerrime imperat profectionem. Ne autem legatus Vandeletius propterea a Turcis violaretur, naves tres mittit Conſtantinopolin, quæ reveherent in Galliam. Aliter tamen, quam rex ſtatuerat, factum. Lariſſam nanque ille veniens, ut ultimum conſalutaret regem, dolore jam abſterſo contumeliarum, paſſus eſt perſuaderi ſibi a miniſtris ne abiret; partim permotus blanditiis & precibus, ad quæ demitti humiliter, ubi quid metuant, ingenium Turcarum eſt; partim quod immodice amabat honorem utilitatemque legationis ejus. Pro Vandeletio naves conſcendit curator quidam ſpadonum,

1669.

Conſilium Senatus.

Rex Galliæ revocat Vandeletium:

qui tamen libenter manet apud Turcas.

1669. homo Mahumeti carus fiduſque præ aliis; datumque ei negotium, ut ab rege Galliæ cauſas exquireret abalienati a Turcis animi: de injuriis, ſi quas quereretur, ſatis factum iri prolixe ſponderet: omnino adhiberet operam, ut retraheret ab Venetis juvandis.

Gallorum claſſis ſolvit ex Provincia.

Sed jam III. Non. Jun. ſolverat ex Provincia claſſis Gallorum. Ad novem millia militum vehebantur. Varii generis naves erant: eo placuerat bifariam dividere. Triremes tredecim, & biremes aliquot ducebat Mareſchallus Vivonnius; Bellefortius autem naves maximæ formæ quatuordecim, quatuor incendiarias, & minores alias plus quinquaginta.

Venetiis itē cū auxiliis aliis Picus Mirandulanus,

Itidem Venetiis poſt aliquanto naves celſiores complures Candiam profectæ; quarum partem regebat Alexander Picus Dux Mirandulanus: cui Pontifex titulum contulerat præfecti caſtrorum in copiis ſuis, Senatus autem tradiderat pedites mille, ſcriptos in terris Ducis Mutinenſis pecunia ejuſdem Pontificis: parte alia ſecutus poſtmodum Antonius Bernardus Marcius procurator, ſuffectus Catharino Cornelio.

& Ant. Bernardus.

Zacynthum interea advenerant triremes Romanæ & Melitenſes, ducibus iiſdem qui anno ſuperiore, Roſpilioſio & Acariſio; ibique auxilia Gallorum opperiebantur. Imperator vero, ita ut præceperat Senatus, quam plurimum contrahebat navium. Ex illarum genere tamen, quæ remis aguntur, ne plus decem triremes, & quinqueremes ſex inſtrueret, prohibuit penuria foſſorum, pro quibus uti remigibus cogebatur & claſſiariis. Urgente in dies magis periculo urbis, navim primum unam duce Thoma Alandio Zacynthum jubet petere, qui Roſpilioſium & Acariſium oraret, ne moram facerent trajiciendi in Cretam. Mox Gallis obviam mittit Thaddæum Maurocenum cum parte navium celſiorum, ut Candiam tuto perduceret. Per ventos adverſos occurrere is nequiit in tempore. Bellefortium Siciliam prætervectum, indeque recta contendentem in Cretam, excepit ad Cytheram inſulam Nicolaus Leonius, navibus præpoſitus aliis; quibus equi ſex-

Bellefortius pervenit Cytheram,

Digitized by Google

ſexcenti portabantur, Venetiis dudum miſſi, inſcenden- *1669.*
di ab peditibus Gallis totidem: id quod conſtabat optare regem. His conjunctim navigantibus Diam, tardior curſus Vivonnio fuit. Littora legens Italiæ, poſt aliquanto venit Zacynthum: unde cum triremibus Romanis & Melitenſibus, ſimul roſtratis Venetis Diam & ipſe deinde tranſmiſit. XIII. Kal. Quinct. huc appulerat jam Bellefortius. Illico celoce ipſe & Noallius tralati Candiam ſtatum urbis obſervant. Niſi quod impavidi erant propugnatores, copiaque ſuppetebat rerum bellicarum omnis generis; cæteroquin haud paulo quam crediderant pejore loco rem eſſe comperiunt; minus longe, quam pro murorum circuitu, præſidium; captam ab hoſtibus aut corruptam partem maximam munitionum externarum; opera eorum ſic undique promota, præſertim qua ſuperarant propugnaculum D. Andreæ, prope ut non jampridem expugnatam mirarentur. Continuo cum uno imperatore, quid aggredi præſtaret, deliberantes, haudquaquam facile expediebant conſilium. Inclinabat primo animus deſcenſionem facere ad Cydonem; quo oppido circumſidendo, Viſſirium ab Candia cum omni exercitu aut parte ejus abſtraherent. Poſtquam reputantibus copias ſuas apparebat, non eſſe hujuſmodi, ut injici Viſſirio metus poſſet amittendi oppidi illius: huc decurrebatur, ut ultra foſſam, circa munimentum S. Spiritus, caſtra ponerent, quo oppugnantes ad propugnaculum D. Andreæ intercluderent ab exercitu reliquo. Sed hæc quoque abjecta deinde cogitatio eſt. Nam præterquamquod obſtabat loci anguſtia, ferme undique circumjectis operibus Turcarum; haud ex vano etiam timebant ne ab ſuperante multitudine prohibiti munitione caſtrorum, mox cum cæde magna pellerentur. Reſtabat horum alterutrum; ut aut continentes ſe muris, ſtrenue reſiſtendo, oppugnationem extraherent in autumnum, quo tempore imbrium caſu vim remittere hoſtis cogeretur: aut in opera & ſtationes ingenti conatu erumpentes, qua de-

Inde Candiam.

Conſultant Galli.

1669. dediſſent impetum, eum ſubmoverent. Primum probabatur Veneto imperatori; qui cenſeret unam hanc viam fatigandi oppugnantes, ſervandique etiam hoc anno urbem eſſe. *Erumpere ſtatuunt:* Gallis placebat alterum magis. Fervido ingenio viri egregiam utique gloriam ſuam rebantur fore, *fruſtra improbante Mauroceno,* ſi aliquid valde arduum ſtatim auderent. Adverſari ſedulo imperator; hortari, orareque etiam, *ne pauci numero, ignari locorum, inſueti pugnare cum Turcis, diſcrimini ſe tanto objicerent. Claſſem ſaltem triremium, quibus & reliqui milites gentis ſuæ, & copiæ ſociorum adveherentur, ut expectarent, tum Franciſci Duodi naves, pedites portantes mille & quingentos, quæ jamdudum Venetiis ſolviſſent.* Nihil his cum proficeret; non longa fuit conſultatio, unde potiſſimum erumperent. Ad propugnaculum D. Andreæ nec attinebat tentari id nec poterat, penitus hærentibus Turcis. Ergo locus deligitur ad Sabulonariam; quæ pars urbis, ſecundum propugnaculum D. Andreæ maxime premeretur. Id ubi vulgatum eſt, improbare plerique omnes: *& Mombrunio.* reprehendere præſertim Mombrunius inconſultam audaciam: *Nam per anfractus operum, & ignotos calles, ad certam perniciem ruere eos. Vel ſi qualem ipſi ſibi ſpe nimia confingerent, exitum præberet fortuna; non averti tamen urbis periculum, quod a propugnaculo D. Andreæ proxime abeſſet.* Verum obſtinatior erat voluntas ad rem præcipitandam, quam ut conſilio regi alieno poſſet. Ratio haud facile inveniebatur, qua cohortes Gallorum tuto inducerentur in urbem: etenim aggeres præaltos nuper excitaverant hoſtes inter propugnaculum & mare, unde oſtium portus tormentis infeſtum fiebat. Novum nihilominus aditum aperuit imperator. Moles eſt ad ſeptentriones, quæ ab alto objecta portum efficit. Ea perfoſſa procul oſtio; nequicquam, ut ex nimio intervallo, jaculantibus Turcis, VIII. Kal. Quinct. Galli portum invecti exſcenderunt. Nocte quæ inſecuta eſt, duabus ab partibus egrediuntur ducibus *Ordo eruptionis.* hinc Bellefortio, hinc Noallio. Compoſuerant autem, ut, ubi certamen ipſi commiſiſſent, Chimanſechius va-

lida

lida manu, qua navalia ſunt, erumpens, aggeres invaderet tormentorum, quibus porta & latus ſiniſtrum propugnaculi petebatur; itidemque ut admotæ littoribus quinqueremes, & naves celſiores, in hoſtium caſtra contra Sabulonariam & ad Jophyrum amnem, vim emitterent ferrearum pilarum: quod tamen fieri neutrum potuit: nam & vento prohibitæ ſunt acceſſu littorum naves; & Chimanſechius cum in eo eſſet ut efferret portis ſigna, jam eruptio Gallorum nacta fuerat exitum, quem fors dederat. Stratis humi corporibus ſignum expectabant: quod per errorem datum, nondum certa luce, præbuit tumultum. Exorti nanque, cum, quid potiſſimum peterent, ignorarent; fuere qui, hoſtem rati eſſe, concurrerent cum ſuis. Monentibus nihilominus ducibus, brevi reſtituti ordines ſunt: poſtmodo in vallum fit impetus. Atque eveniebat cœptum. Vallo perfracto ac vigilibus obtruncatis, ea vi porro intulerunt ſe ſe, ut prope momento ordinem unum atque alterum operum, mox tertium, reſiſtentes cædendo, tranſgrederentur. Incuſſus inde terror Turcis, qui vicina quæque tuebantur. Itaque fugam ex ſtationibus in vicinos colles arripiunt. Multum contentionis futurum crediderant Galli circa aggeres tormentorum, quos editos, &, qua inſcendere parabant ipſi, præruptos, pauci ſuperſtantes facile viderentur defenſuri. Sed hos quoque præter ſpem deſertos invenerunt. Jamque ventum huc erat, ut ſi tumulos, quos opere permunierant Turcæ, & unde fuga fieri pariter cœperat, tranſcendiſſent; nihil ſupereſſet, quod juſtam demorari victoriam poſſet. Veruntamen caſus intervenit, qui fortunam certaminis repente verteret. Decidens forte ſcintilla in cados duos tormentarii pulveris incendium fecit, quo Galli milites abſumpti ſunt ad triginta. Exiſtimare tunc alii, cuniculum eſſe ſuccenſum a barbaris. Quare tantus ſubito pavor tantaque trepidatio cepit, ut a proximis orto fugæ initio, omnes illico terga darent. Obſtabant duces, Noallius in primis, reprehenſans ſingulos,

1669.

Erumpunt Galli ab duabus partibus.

Primo res ſuccedit.

Deinde vano metu conſternati, fugiunt.

1669. los, obteſtanſque ne, dum nullus inſtaret hoſtis, certam victoriam inani metu e manibus emitterent. At nihil veri diſpiciebant cæcati formidine improviſa. Poſtquam delecta etiam cohors, quam conſtituerat loco idoneo ad prohibendum ne ex caſtris Turcarum ad D. Demetrii munimentum ſubveniretur, quæque magnam manum eorum ad opem ferendam feſtinantem jam fuderat, metu eodem perculſa, neque precibus neque minis retineri, ne pariter conſternaretur in fugam, poterat; interim autem & ex collibus, quo paulo ante trepidi perfugerant, & aliunde concurſus peditum equitumque fiebat: recipere ſe in tutum coactus eſt. Ægre fuga explicabatur per loca tam impedita: ipſi quoque, dum quacunque pavor amentes ferret, improvidi ruunt, ſe ſe conglobabant. Propterea non pauci ab hoſte, priuſquam ad urbem propius ſuccederent, interfecti ſunt. Cæſi forent plurimi, niſi imperator, qui ex munimento D. Demetrii pugnam ſpectabat, extemplo egreſſus porta cum cohorte prætoriana, juſſis ſimul libratoribus ex munimento & propugnaculo procellam glandium tormentis effundere in perſequentes, impetum retudiſſet. Cecidere militum Gallorum amplius quingenti; inter quos nobiles duces nonnulli: haud plus decem vivi a Turcis capti. Inſtar magnæ fuit cladis, Bellefortius, dubium quo caſu, amiſſus. Plures ſunt auctores, luce etiamnum incerta, in locum præcipitem mare verſus progreſſum temere, deſcenſum fruſtra tentaſſe; principio deinde facto fugæ, quam ſiſtere nequicquam conatus eſſet, haud facile reperientem, qua regrederetur, fuiſſe aut a ſuis protritum aut occiſum ab hoſtibus. Ne de corpore quidem ejus invento ſatis conſtat. Uno atque altero affirmantibus, Bellefortii eſſe, quod in acervo cadaverum inſigne veſtibus atque armis ipſi oſtendebant, libenter credidit Achomates; præciſumque caput Lariſſam ad regem miſit, jucundum ei donum: quod aliquandiu reſervatum ad ſpectaculum, poſtremo

Multi cæduntur.

Bellefortius cadit.

cauſa

cauſa contumeliæ abjici juſſit in ſterquilinium. Quidquid 1669.
de genere mortis deque corpore libeat putare: indignus certe exitu tali fuit, ſatus regio ſanguine, præſtanti virtute bellicaque gloria clarus, acceptus populis ſi quis alius; quique, ſi quid peccarat inter civiles Galliæ motus, maculam haud dubie omnem vel hac expeditione una deleviſſet. Ab Turcis deſiderati mille ferme & trecenti: quæ tamen jactura levis habita Achomati, præut quæ inſperata victoria dabat adverſus Gallos, unde tantum ſibi timuiſſet. In urbe autem, id quod neceſſe erat, ad mœrorem præſentem, vulgo inceſſerat futuri metus; ut de oppugnatione toleranda jam deſperarent. Nonnihil erexit animos quatriduo poſt adventus claſſis triremium & navium majorum: unde expoſitis armatis, non deerant qui eruptionem denuo faciendam cenſerent. Abnuere tum duces Gallorum diffiſi militibus ſuis. Hos poſtridie ejus diei, qua eruperant, vocatos ad concionem ita increpuerat Noallius, ut tamen ſtimulis omnibus ad obliterandam ignominiam excitaret. Querebatur, *non virtute hoſtium, quos a munitionibus fugaſſent, ſed formidine una, quam finxiſſent ipſi ſibi, dedecus acceptum: nec pro gloria gentis, nec pro rebus geſtis feciſſe, qui ubique victores, non Candiæ etiam, quo Chriſtianorum populorum undique mentes converſæ eſſent, viciſſent. Quam crederent invitum auditurum regem fugam cædemque ſuorum? quem ipſorum pudorem futurum, ubi in Galliam rediiſſent? Si viros ſe meminiſſent, ſi cura nominis & famæ remorderet, profecto adnixuros, ut quamprimum victoria de Turcis memoriam ignaviter facti extinguerent.* Ac ſucclamare quidem tum univerſi: *culpæ præteritæ veniam daret*: profiterique *priſtinum animum, ubicunque experiri vellet*. Cæterum alte adeo inſederat pavor, ut ubi claſſicum caneret, aut etiam quid modo increpuiſſet, haud ſecus quam ſi hæreret hoſtis in cervicibus, notas apertas timoris præſeferrent. Viſum propterea parvis momentis certaminum, quæ ex tuto ſererentur, aſſuefacere Turcis ſuſtinendis;
tum

Increpat ſuos Noallius.

Formido Gallorum.

1669. tum autem in eruptionibus, quæ per occaſionem fiebant, manipulatim permiſtos Venetis emittere. Solicitudinem ingentem afferebat Mauroceno imperatori, cum ſucceſſiſſet nihil terra, quo oppugnationis atrocia minueretur; mari quoque, ubi tantum collectum haberet navium, fruſtra eſſe vires. Alia aliis ſuadentibus; quandoquidem minus ſuppeditabat militum, quam ut trajicerent ad oppugnandam Cydonem aut Rhitymnam, nec tutum videbatur longius ab inſula claſſem abſcedere: captum id conſilii, ut, late explicatis in frontem navibus omnibus, caſtra Turcarum procella effuſa ferrearum glandium percellerentur: ſi quid inde injiceretur tumultus, tum ut parati inſtructique adeſſent, qui ex urbe pluribus ſimul partibus in opera darent impreſſionem. Auſter vehemens dies multos cum tenuiſſet; IX ſolum Kal. Sext. propoſitum exequuntur. Non tantum tamen intulere damni, quantum acceperunt. Quid ſtruerent, ex transfugis cognito; jam tormenta majora extremo littore ſtatuerat Achomates: ſimul intentius cuſtodiri juſſerat opera & ſtationes, auctis valde præſidiis, qua potiſſimum erupturi obſeſſi viderentur. Admotis littori navibus, plus duas horas magna vi certatum utrinque. Venetis non ſolum ex inſtabili difficile erat collimare; ſed etiam ſi, quo deſtinarentur, globi inciderent, plerunque frangebatur impetus maceria & pluteis, qui caſtra tegerent. Turcæ contra jaculantes ex immobili, adverſas naves, certis patentes ictibus, vulnerabant. Quare triremes aliquot male mulctatæ; in his potiſſimum prætoria Pontificis, & Gallorum. Navis quoque Gallica una majoris formæ, caſu orto incendio, celeriter abſumpta eſt; ut ex hominibus trecentis duodeviginti modo exirent ſalvi. Quieta interim cuncta in caſtris Turcarum cum cernerent Veneti duces, haud viſum eruptionem tentare. Ita re irrita Diam concedit claſſis. Nec exinde adduci Noallius potuit, ut navibus ſuis adjuvaret Venetum. Copias terreſtres ejus valde qui-

Caſtra Turcarum oppugnantur a mari.

Veneti plus accipiunt damni quã inferunt.

quidem prœlia imminuerant, & morbi, tum occulta *1669.*
fuga plurimorum in naves. Cum tamen dimidium eoque amplius ſupereſſet; milites tantum ducentos deſtinavit, quibus imperator ad tuendas ruinas, ſexcentos vero, quibus ad opera foſſionum uteretur. Quin de reditu in Galliam jam cœperat cogitare: id quod longe abhorrebat ab animo & ſtudio regis. Hic enim nuncium ut accepit, minus ſucceſſiſſe eruptionem ſuis, quingentoſque cæſos; pedites mille continuo decrevit in ſupplementum, quos Mareſchallus Bellefontius quamprimum Candiam perduceret. Iis addidit brevi tempore Bellefontius idem collectos mille alios. Quod ex literis oratoris ſui cum audiiſſent patres, qui per hoſce dies magnifice Bellefortio juſta ſolverant; gratias egerunt regi, & pedites alios mille ſcriptis a Bellefontio adjecturos ſe polliciti ſunt. Veruntamen quantacunque cura ſubſidia appararentur, tardiora erant, quam anguſtiæ poſtulabant obſeſſorum. Aucta ferocia Achomates, ſi unquam ante alias, tunc maxime infeſtus oppugnabat. Et promovendis ad Sabulonariam operibus, aberat haud longe quin navalibus injungeret; parte interea propugnaculi tormentis decuſſa. Obſtiterant primum Veneti præſertim eruptionibus ſubitis. Ubi minus proficiebant: nocte ad marginem foſſæ caſtellum, præparata ante materia, repente objiciunt; circa quod editum deinde eſt prœliorum plurimum. Ibi magnus numerus militum paucos intra dies amiſſus: cecidit quoque Jacobus Quirinus Cretenſis, ſcientiſſimus operum ſubterraneorum; vulnerati vero inter alios patricii nonnulli, Aloyſius Priolus, Federicus Bembus, Jacobus Celſus, Georgius Medius, Antonius Canalius, & Hieronymus Naugerius, præfectus pridem quinqueremium, tunc voluntarius miles. Multo tamen plus certaminum cædiumque contrahebatur ad propugnaculum D. Andreæ. Vallum quod extra mœnia ad mare deduxerat imperator, qua dejectum tormentis, qua cuniculis everſum; quando nihil ſupererat præter

Noallius cogitat reditum in Galliam.

Caſtellum excitant Veneti ad Sabulonariã.

Vallo extra mœnia, ad propugnaculum D. Andreæ, decedunt:

1669. nuda corpora, quod hoſtibus opponerent, reliquerant Veneti: cum dies tres & quadraginta defendiſſent. In valli ejus cuſtodia patri meo, tunc tribuno, qui paulo ante inter erumpendum ictus ſagitta in pectore vixdum conſanuerat, Turca petierat acinace frontem: decidiſſetque partem ſuperiorem capitis, ni ſtans propter ipſum ſignifer, objecta in tempore fiſtula ferrea, ne altius penetraret vulnus prohibuiſſet.

opera hoſtium ad murum interiorem diruunt cuniculis:

Murum interiorem, ab parte utrinque extrema, balliſtis atque aggeribus & vineis ſupra terram, ſub terra cuniculis oppugnabat Viſſirius. Propediem invaſurum pauliſper retardarunt cuniculi in primis duo, acti ab obſeſſis penitus ſubter ruinas propugnaculi. Iis enim ſuccenſis, ſubverſi late aggeres, vineæ machinæque aliæ flammis abſumptæ ſunt aut disjectæ; milites autem machinatoreſque pene omnes in propugnaculo, nec pauci circa propugnaculum fœde interiere. Inibi lapidum ſtrage obrutus Mahumetes præfectus alter Minoris Aſiæ, & graviter vulneratus Heibrahimus Baſſa.

quæ tamen celeriter reſtituuntur.

At mox reſtitutis operibus, acrius de integro obortum eſt bellum. Jamque tantum utrobique intervallum diruti muri ac tanta multitudo erat ſuperne incidentium in Venetos telorum, ut vix ibi quiſquam conſiſteret ſine vulnere; appareretque haudquaquam reſtituros, ſi inferret ſe ſe hoſtis. Cuniculos, qui prope unice ad eam diem profuiſſent, ne alios foderent, obſtabat natura loci. Ergo imperator prævertendum ratus, ne ad certam cædem relinqueret præſidium neve forte inter irrumpendi tumultum urbs a Turcis caperetur;

Cedunt Veneti intra murum alterum:

cedere inde jubet Battaleam in ſeptum alterum murorum. Uno tempore recipit in urbem, qui vix ulla jam ſpe munimentum S. Spiritus tuebantur. Tum vero confidere Achomates, brevi ſe potiturum oppido. Hortatus milites, ut, quando proxime abeſſet laborum finis, egregiam operam præſtarent;

quem acriter oppugnant Turcæ.

præmiiſque edictis, qui primi tranſcendiſſent murum, erigit celeriter pluteos, & vineas agit: tum genus omne machinationum

tionum aliarum ac tormentorum undique admovet. Atque negotii non magni expugnatio videbatur futura. Nam neque fuerat Venetis ſpatium excitandi juſtas munitiones pro muro, ducendæque foſſæ; itaque vallum modo, parvaque caſtella aliquot oppoſuerant: & mœnia ipſa urbis pertingentia utrinque ad propugnaculum affatim materiæ Turcis ad ſe protegendos ſuppeditabant. Animus illis tamen non deerat ad varios conatus hoſtium. Vis adhibebatur præcipua in eruptionibus; quibus diem noctemque turbando munientes, nuſquam aditum facilem eſſe ad murum patiebantur. Hoc primis diebus impigre & pluribus ſimul locis, & frequentes fecerunt. Sed cum prœlia crebro orirentur, ac multi utrinque caderent: quia pro parvo numero propiores ipſi ſentiendo damno erant, pauciores deinde ſegniuſque erumpebant. Quare promota a Turcis mole ingenti opera: jamque muri, ut in recenti ſtructura, non parum ſtraverant; ut vehementer metueret Maurocenus ne mox iter aperirent ad invadendum. Augere ab illa parte præſidia, niſi nudaret alias, nequibat, quas ipſas haberet infrequentes cuſtodiis: & tantum militum partim certaminibus amiſerat, partim morbis, ut ex unis Germanis, quorum millia ſex hoc anno acceperat, ſupereſſent millia minus duo. Spes auxiliorum obverſabatur, at anceps eadem propter incerta tempeſtatum; quæque ſi paulo proferretur longius, ne ſerus adventus eſſet, perditis jam rebus, verebatur. Igitur Kal. Sext. Roſpilioſio Dia accito, concilium habitum apud Noallium qui decumbebat morbo æger. Quando in magna difficultate hærebat aliis ſententia: ſuadebat imperator, ut ſe duce millia tria, Veneti Gallis admixti, erumpentes, ſubmovere procul a muro oppugnatores conarentur. Non improbabat Roſpilioſius: adjecturum ſe etiam de copiis ſuis & Meliteníium pedites pollicebatur ſexcentos. Noallius haud perplexe renuere, cauſando inter alia valde imminutum numerum ſuorum.

1669.

Partem ejus diruunt.

Cura gravis Mauroceni.

Habet concilium apud Noallium;

Digitized by Google

1669. Ubi imperator Mombrunius & cæteri duces Veneti alia atque alia exequebantur ut perſuaderent: jam palam, *mirari ſe*, inquit, *quid teneret conſulsatio intempeſtiva, ut tum de vi ultro inferenda agitarent conſilia, cum cogitandum unice eſſet, quemadmodum dedita urbe proſpicerent ſaluti ſua*. Non viſum ea die imperatori ultra tendere. Quatriduo poſt, cum acrius ab omni parte urgerent Turcæ, propugnantium creſceret labor; advocato rurſus concilio, hortatus duces ad ſpem bonam: *id in urbe & in navibus militum eſſe* oſtendebat, *ut trahi oppugnatio poſſet in menſem inde tertium: hyemis interventu ſpatium fore reſpirandi ab hoſtibus: confidereque ſe, prater auxilia Venetis adventura, Chriſtianos Principes alios laturos graviore, quam ante, conatu opem*. Recuſantem Noallium ſuper quos dediſſet milites, alios dare; aggreſſus erat imperator pluribus flectere: cum ille interfatus loquentem, denunciavit, *ſe dies poſt paucos, militibus reliquis ſuis impoſitis in naves, vela in Galliam facturum*. Perculit vox hæc omnes. Poſtquam pro ſe quiſque eadem agendo rogandoque, nequicquam obtundebant; accenſi indignatione animi ſunt, ut res in altercationem verteret. Miſſo concilio, tum maxime anxius cura imperator, multaque volvens ſecum, conſtituit demum novum murum introrſus ducere: quem architecti, admotis operi quatuor hominum millibus, perfecturos ſe quadrageſimum intra diem affirmabant. Et ita extracturus rem videbatur in hyemem. Explere numerum eum operarum poterat Noallius unus, ſi claſſiarios bis mille præberet. Id cum negaſſet: opportune afferuntur ab Zacyntho nuncii, appuliſſe ad inſulam Ducem Mirandulanum, nec multum abeſſe cum auxiliis aliis Bernardum. Quare de integro rogare eum inſtitit, ut ſaltem uſque in utriuſque adventum differret profectionem. Ubi ne hoc quidem referebatur: ad extremum Jacobus Contarenus Candiæ Dux, populo & Clericis convocatis, domum Noallii venit, extendente agmen turba puerorum & fœminarum. Inſignis ipſe amiſſo

qui adiuvare ad propugnandū recuſat ſemel,

atque iterum:

ſeque mox abiturum denunciat.

Denegat claſſiarios bis mille Mauroceno.

Ut differat diſceſſum in adventum auxiliorum, precatur Jacobus Cōtarenus.

miſſo brachio, enectus macie, veſte obſoleta, ſpecie *1669.* infima ſupplicis, orare etiam atque etiam, ne abitu ſuo in ultimum diſcrimen urbem conjiceret. Ubi ad quaſcunque preces per humana omnia obturatæ erant aures: genus obſecrationis inſtituit, quod ille haud ſperneret, ſi religio tangeret & verecundia eorum, quæ ubique Chriſtianarum gentium ſanctiſſima habentur; obteſtatus, *ne dux ipſe copiarum Chriſtianiſſimi regis relinqueret barbaris ad prædam atque injuriam templa Superum, & aras, oſſaque Martyrum, ſepulcra ac cineres virorum fortium, qui ibi pro ſacris & libertate occubuiſſent: neu ſineret ad contumeliam & ſtuprum abripi matronas, virgines, ingenuos, aliaque fœda atque infanda patrari, quæ a victore barbara libidine, & in rapacitate avariſſimo, ſi deſerat, patienda forent.* Verum prorſus animo obfirmarat, ne execratione ulla exoraretur. Quapropter XVII. Kal. Septembr. cœpti milites Galli imponi in naves. Quinto poſt die, relictis ſexcentis, qui ad murum interiorem in ſtatione eſſent, conſcendit & ipſe. Tum malo malum additum. Venetorum militum haud pauci pertæſi laborum, clam urbe exceſſerunt; accipientibus eos, quamvis vetante Noallio, tribunis & centurionibus Gallis, ut cohortes inde ſupplerent ſuas. Non ſatis certum traditur, quæ cauſa fuerit tantopere approperandi diſceſſus. Noallius quidem mandata regis identidem obtendebat. Verum abrogant fidem & decretum ab rege auxilium novum poſt auditam adverſam pugnam ſuorum ad Sabulonariam; & ira ejuſdem in illum pœnaque, poſtquam in Galliam revertit. Plurimorum conjectura eſt, manere diutius noluiſſe, ne urbs, quam defendi utique arbitrabatur non poſſe, in oculis ſuis caperetur. Non defuere, qui ſuaderent Roſpilioſio, ut dux ipſe ſummus copiarum Pontificis, cujus ſub vexillo militarent ad Candiam Galli, præciperet Noallio ne Candiam deſereret. Sed experiri imperium non eſt auſus, metu ne dicto audientem non haberet. Quin inſtantem deinde ſæpius imperatorem Ve-

Non impetrat.

Conſcendunt milites Galli.

Duces ſupplent cohortes ſuas milite Veneto.

Cauſa maturandi abitus.

ne-

1669. netum, ne una cum Gallis abſcederet, paſſus non eſt a ſe impetrare; cauſa uſus, agi honorem Pontificis, Turcas non potiri oppido, ubi ſigna ejus & milites eſſent. Si verum ſequimur, neque Roſpilioſius animo æquavit periculum. Optimam ad omnia voluntatem profeſſus ſemper in concilio; clandeſtino tamen per ſubmiſſos familiares hortari Maurocenum non deſtiterat, ut, dedita quamprimum urbe, præſidii reliquias ſervaret. Poſtquam perſtabat Maurocenus in propoſito, non paciſci cum hoſte, dum reſiſtendi ſpes aliqua ſupereſſet: occaſionem abeundi libenter arripuit; ſatis fidens tutum ſe fore ſub Noallii invidia, qui diſcedens prior videri facile poſſet culpam omnem Candiæ amiſſæ ſuſtinere.

Abit libens etiam Roſpilioſius.

FINIS LIBRI DECIMIQUINTI.



H I-

HISTORIARUM VENETARUM

LIBER DECIMUSSEXTUS.

OBſeſſorum mœſtitia ingenti, naves jam Noallius conſcenderat abiturus; cum ſub occaſum ſolis procul conſpecta claſſis, qua ſubſidia advehebantur, inſtauravit animos. Tres & triginta variæ formæ naves erant, quas ducebat Mirandulanus, pecuniam portantes commeatumque, itidem milites: opportunum tum maxime auxilium, quando in urbe millia ſupererant vix tria; ut non amplius in orbem ſuccederent, ſed iidem ſemper opere, vigiliis, vulneribus premerentur. Lætitiam, qua ob profectionem Gallorum exultabat Achomates, turbavit nonnihil adventus navium earum: & latæ explicatæ de induſtria, ſpeciem, quam pro re, præbebant majorem. Vocatis extemplo ducibus in concilium; nihil diſcrepavere ſententiæ, quin poſtero die, antequam nova claſſis intraret portum, ipſi per ruinas urbem conarentur invadere. Delecta ex omni exercitu millia ſex armatorum, qui ab propugnaculo D. Andreæ, quatuor qui ad Sabulonariam admoverentur. Senſit hoſtis conſilium imperator. Quocirca militibus diſpoſitis pro numero, qua potiſſimum poſceret neceſſitas; plurimum glandium & armorum omnis generis eo jubet conferri. Caſtellum S. Pelagiæ, quod vergebat ad mare, cum fere dirutum milites jam caperet haud plus triginta; præcipit his, ut, primis emiſſis telis, in tutum concederent. Jacobum Cornelium & Grimaldum præficit muro tuendo ad propugnaculum D. Andreæ. Ad Sabulonariam Battaleam præponit, Danielem Maurocenum, & Chimanſechium. Ibidem & ipſe conſtiterat primum navalibus timens: de-

1669.

Adventus Mirandulani cum ſubſidiis.

Achomates ſtatuit impreſſione tẽtare propugnacula.

Inſtruitur defenſio a Mauroceno.

1669. deinde, ubi vi majore urgere hoſtes parte altera vidit, cum globo patriciorum & ducibus aliis illuc tranſgreſſus eſt. Impiger ſupra vires ætatis Mombrunius, indutus galea, præferratam haſtam gerens, obire cum cura ſtationes ſingulas, hortari milites, quæ ſalutaria eſſent providere: poſtremo manſit ad murum interiorem, qua Melitenſes in ſubſidiis locaverat imperator. Nondum ſe meridie ſol inclinarat, cum, dato ſigno, vis ingens pilarum ferrearum emiſſa undique a Turcis eſt: mox clamorem tollentes, utrinque conferti ſubeunt. Impetum fecere primo in caſtellum S. Pelagiæ. Ibi contra quam juſſi fuerant, obſiſtere auſi qui tutabantur, pars cæſi ſunt; reliqui fuga præcipiti ſe inde recipientes, tumultum intulerunt Brunſvicenſibus ſtationis proximæ: quæ res prope victoriam barbaris dedit. Nam caſtellis tribus pro vallo ſtatim captis, illinc ſe continuo immittunt in vallum ipſum: ac, dum incompoſiti male defendunt Brunſvicenſes, locis duobus jam perfractum inſtabat jam prope, ut intrarent. Inclinatam ad iniqua pugnam ſuſtinuit hinc Mezzambuchius in iis copiis ordinum ductor, hinc Grimaldus. Ille, diſtricto gladio, in medios hoſtes irruens, ſequentibus qui circa erant, hic voluntariorum manipulis aliquot raptim objectis, vim ingruentem paulum repreſſerunt. Et confirmatis qui trepidarant, repugnari utrobique acriter cœptum. Apparebat nihilominus, ſi diutius extenderetur contentio, fore ad ultimum, ut pauci feſſique plures atque integros non tolerarent. Quare Mombrunius, ſupremo urbis diſcrimine ſolicitante, imperat, ſigna ut vallo efferentes ultro hoſtem invaderent: quo tempore ex compoſito erumpens non inde procul Petrus Gabriellius tribunus cum quadringentis, ab latere incurrit. Audax conſilium, ſupra quam ſperarat, felix fuit. Ea nanque ipſa fiducia animorum conterriti Turcæ, qui nihil minus timuiſſent, retulere ſubito pedem. Ne autem renovarent impreſſionem, quo tribuni centurioneſque incitabant, impediit primum vis

Vis a Turcis impetus.

Caſtella tria pro vallo ſuperant.

Pugna atrox ad propugn. S. Andreæ.

Mombrunius emittit milites vallo.

Erumpit tribunus Gabriellius ab latere.

mi-

1669.

micantium e muro valloque ignium & telorum, poſtea tumultus parte alia injectus. Qua pertinet urbs ad mare, ſuccedebat multitudo Janiſſarorum: jamque eo pervenerat, ut, niſi repelleretur, nequicquam murus interior defenſus eſſet. Periculo accitus imperator, ſubſidiariis oppoſitis, pauliſper reſtitit. Simul vero conglobatos hoſtes animadvertit; cuniculo ad tales caſus præparato, qui tormentarii pulveris cados caperet plus ducentos, ſubdi ignem jubet.

Cuniculum ſuccendit in proximo Maurocenus.

Atque adeo reſpondit exitus, ut non qui ſuperſtabant ſolum, ſed & qui in propinquo erant, incendio aut ruina abſumerentur. Cæteri dum refugiunt pavidi, illos quoque, qui parabant murum aggredi, averterunt: inter quam trepidationem ab Grimaldo caſtella tria recuperata ſunt parvo certamine.

Turcæ fugiunt.

Grimaldus caſtella recuperat.

Diſcrimen nihilo levius ad Sabulonariam eventum ſimilem habuit. Caſtella circa omnia expugnarant Turcæ. Continuo illati in propugnaculum, ſcandenteſque, ſeptem etiam ſigna in ruina defixerant. Actum de urbe cernentes Battalea & Maurocenus, ſi paulum ibi hoſtes conſiſterent, ad depellendum concurrunt ipſi una cum Chimanſechio ante alios.

Ad Sabulonariã, Turcæ propugnaculum conſcendũt.

Horum exemplo accenſi milites, ac velut novi facti, pertinaciter dimicando, tandem exturbarunt. Præcipua laus fuit penes Aloyſium Minium trierarchum, qui Battaleam ſecutus & Maurocenum, ſe ſe deinde in confertos Turcas conjecit, corporeque ſuo velut cuneo viam militibus aperuit ad eos disjiciendos.

Ab Aloyſ. Minio dejiciuntur.

Caſtella tunc recipiuntur, non diu repugnantibus qui occuparant; quod uno tempore crebris ictibus tormentorum ex tumulis propugnaculo impoſitis inceſſebantur. Venetorum ea die deſiderati circiter trecenti; ſauciati aliquanto plures. Ac gaudium quidem afferebat urbs præter opinionem ſervata, cæde hoſtium longe majore. Cæterum præterquamquod pro paucitate defendentium valde gravis habebatur jactura; alia quoque accedebant, quæ ſpem reſiſtendi fere nullam relinquerent. Exſcenderunt, quos adduxerat Mirandulanus. Mille Venetiis acceperat. Tunc mul-

Exponit Mirandulanus milites ſeptingẽtos.

1669. multis morbo conſumptis, ſeptingenti tantum recenſe-
bantur; iique minimæ fiduciæ, quia tyrones prope omnes,
& diuturna navigatione ægri: quibus vixdum expoſitis
Ipſe Diam conſcedit. cum pecunia & commeatu, Diam petens ipſe, conſcen-
dit triremes Pontificis, in Italiam rediturus. Repoſcenti
ſæpius ſexcentos ſuos Noallio, denique liberum impera-
tori non fuit ultra denegare; qui alienis auxiliis alieno
Abeunt urbe Melitenſes, ſociique alii. arbitrio uti cogeretur. Abiere ſimul Melitenſes, tertia
ferme pars eorum qui venerant; itidemque qui ſuper-
erant dati a Magiſtro Ordinis Teutonici in ſtipendia u-
nius anni, anno jam exacto. Socii reliqui, voluntarii-
que, alii alia cauſantes, miſſionem poſtulabant. Propter
hæc minus prohibere obſeſſi opera hoſtium poterant;
quippe pauciores, quam ut juſtis præſidiis ruinas, &
quod reſtabat munitionum, tutarentur. Itaque ad murum
interiorem tum maxime vineis atque aggeribus utrinque
Achmates promovet opera, partémque magnã muri proruit. ſuccedebat Turca: tormentiſque pluribus e caſtello etiam
S. Pelagiæ murum ipſum verberando, quatridui ſpatio
tantum profecit, ut paſſus amplius quadraginta pateret
decuſſi intervallum. Ad Sabulonariam autem, depulſis
denuo præſidiis caſtellorum, & caſtellis everſis, hinc re-
centibus ruinis ſtraverat latus alterum propugnaculi pro-
xime loricam; ut ſi ea invaderet, inutile facturus eſſet
vallum, quo clauſæ propugnaculi fauces erant: hinc na-
valibus & portui aggeres ferme injunxerat; jamque in-
Succedit ad Navalia. tra conjectum telorum habebat naves ipſas. Tum vero
incenſus eſt animum imperator cura gravi, qui neque
parare quidquam aut comminiſci adverſus machinationes
oppugnantium poſſet; &, ſi vi atque armis irrumperent,
provideret intra urbis unius muros malum haud conſti-
Maurocenus duces advocat in concilium. turum. Parvi temporis mora ne res huc adduceretur me-
tuebat, ut receptus amplius non eſſet ad ſalutem. Ergo
nihil diſtulit vocare duces in concilium, de ſumma re-
rum cum iis deliberaturus. Intererant Mombrunius, Bat-
talea, Jacobus Contarenus Dux, Daniel Maurocenus, &
Jacobus Cornelius urbis magiſtratus, Aloyſius Minius
cu-

curator annonæ, Frontenac legatus, Grimaldus, Chimanſechius, & Spar primi ductores ordinum, Franciſcus Sylvaticus præſes armorum in urbe, & Verneda machinatorum magiſter: tum maritimarum copiarum duces, Laurentius Cornelius præfectus roſtratarum, Aloyſius Magnus, & Joſephus Maurocenus præfecti quinqueremium, Georgius Benzonus Adriatici ſinus præfectus, Angelus Maurocenus, & Jo. Baptiſta Calbus præfecti ærarii. Ibi imperator: *Eo loco jam poſitæ res noſtræ ſunt*, inquit, *ut de paucis admodum conſultationem relinquat nobis fortuna. Hactenus molem ingentem oppugnationis ſuſtinentes, invictum robur, ſpemque prætulimus majorem, quam quantam æſtimatæ vires facerent. Eo & militibus noſtris animos ſemper addidimus ad tolerandum; & nos ipſi inter nos, quamvis minime ignari, quam non ex æquo dimicatio cum Turcis eſſet, alteri alteris ad virtutem conſtantiamque incitamento fuimus. Nunc gerere eoſdem ſpiritus utinam ſine pernicie publicæ rei poſſemus. Partem urbis, quam tertium annum obſidet atque oppugnat, hoſtis cepit. Nudatæ alibi ruina murorum imminet undique, navalia mox ndempturus & portum. Nobis pecuniæ quidem, commeatuum, bellicique inſtrumenti largiter eſt. At quod objiciamus illi militum, ubi denuo adoriatur, tantum habemus, ut muris obtinendis, ſi nulla ope aggravaret, vix ſufficiat. In maximo periculo deſerti ab ſociis, peneque ad cædem proditi, id unum nimirum in horam expectamus, ut ſuperfuſa multitudo opprimat. Quantum ipſe diſpicio, alterutrum modo ſupereſt: ut aut propugnantes ad ultimum occumbamus in cuſtodia creditæ urbis; aut, priuſquam ingruant extrema, per pactionem hoſti dedamus. Pertinet alterum ad gloriam noſtram, non ante finem obſiſtendi, quam morientes feciſſe: alterum ad publicam utilitatem, paciſcentes ſervaſſe reliquias militum, claſſemque. Si quis meliora videt, quæ mihi non appareant, conſilium conferat in medium. Sin minus, libera voce expromat, utrum eorum approbet magis. Ego, ſeu oppetenda hic mors, ſeu deditio maturanda; quod vos, viri fortes, quibuſcum commune mihi defenſa ad hanc diem Candiæ decus eſt, cenſueritis, id e rep. eſſe putabo.*

1669.

Oratio ejus.

1669. Secundum dicta imperatoris aliquandiu ſilentium alio-

Cenſent omnes faciendam deditionem, extra unum Grimaldū.

rum alios intuentium fuit. Inde perrogari ordine ſententiæ cœptæ. Qui rogati ante Grimaldum fuerant, omnibus deditionem ſuadentibus; ubi ventum eſt ad eum, auctor erat, ut cuniculi ſubter propugnacula muroſque

Sententia ejus.

agerentur, complerenturque ſulphureo pulvere. Simul impoſiti milites, armaque, & oppidani cum rebus ſuis in naves eſſent; ut ſubderetur ignis: utque uno tempore tecta, quæ in urbe ſteterant, incenderentur. *Amplum enimvero & glorioſum Veneto nomini fore*, ajebat, *Turcam, cum continens triennium tanto apparatu oppugnaſſet, nihil denique præter cumulos cepiſſe lapidum & ruinas*. Vix quiſquam aſſentiebatur: *nam nec breve tempus talia poſtulare; nec ventum æſtumque, cum opus eſſet, in poteſtate habituros: poſtquam autem parsem militum, & armorum naves accepiſſent; ſi Turca perſentiret, profecto quæ pars reſtaret, paratam prædam ejus futuram*. Unus aut alter cenſebat, *remiges, claſſiarios, aliamque navalem turbam e navibus evocandam in urbem, novumque introrſus murum ducendum; unde, muro, qui tunc oppugnabatur, amiſſo, repugnantes uſque in hyemem oppidum

Refellunt alii.

defenderent*. Sed facile refellebatur. *Citius enim murum, quem ferme totum tormentis aperuiſſent, expugnaturos Turcas, quam novus in tantum longitudinis, quantum neceſſe eſſet, opponeretur. Nudare autem præſidio claſſem, & hoſti dedere, quid diſtare?* Multis ultro citroque jactatis: tandem fateri ad

Ergo de deditione ſtatuunt.

Conſultat imperator de pace.

unum omnes, *deditionem non ultra differendam, perque eam occaſionem dandam operam, ut finis bello æquis, ſin minus, tolerandis condicionibus imponeretur*. Tunc imperator, *quando*, ait, *ex tanto intervallo conſulendorum patrum in his anguſtiis ſpatium non datur; eſt, de quo ſententiam veſtram rurſus exquiram*. Prolatis mandatis Senatus, in quibus erat perſcriptum: *poteſtatem ſe ei facere ſtatuendi pro tempore, quod duceret e rep. monereque etiam atque etiam, ut, ubi inſtarent extrema, utique proſpiceret claſſi; in qua ſalus imperii periclitaretur*: interrogabat, *an per ea facultas ſibi eſſet pangenda*

Componendæ facultatem

pacis. Uno ore affirmare omnes: *Etenim quid eſſe magis e rep.*

Digitized by Google

rep. quam in deteriore fortuna ſua, meliore hoſtium ab armis 1669.
diſcedere? Si, dedita Candia, bellandum nihilominus foret cum Turcis; quantum periculi Venetum manere, ab copiis imparatum, quas terra illis ſtatim objiceret? Claſſem autem qui ipſum confidere ſalvam futuram & incolumem, quæ cura patrum in primis eſſet, cum tam parum inſtructas naves haberet remige, & claſſiariis, parte jam magna in operibus abſumpta? Soluto conventu, imperator tamen ut nihil intentatum relinqueret, ſi forte evitare neceſſitatem poſſet deditionis: quando vento prohibente nondum ab Dia ſolverant ſocii; mittit qui ad Roſpilioſium referrent de ſtatu urbis. *Turcas, qui rurſus vi atque armis aggreſſi fuiſſent muros, præter ſpem repulſos: ſeptingentos fere obſeſſorum cæſos ibi aut vulneratos. Operibus illos deinde adeo proceſſiſſe, ut copias denuo admoventibus reſiſti omnino nequiret. Caſum iſtiuſmodi prævertendum deditione viſum ducibus in concilio: inopia una propugnantium huc adductos: quam tamen ubi ipſe levaret impetratis tribus millibus militum ab Noallio & ſociis aliis; ſi nihil aliud, oppugnationem certe ſe in hyemem extracturum. Ejuſmodi opem ſi denegaret, Superos hominesſque teſtes facere, per ſocios ſtetiſſe ne Candia eo anno ſervaretur.* Ad hæc Roſpilioſius, *angi ſe diſcrimine Venetorum*, reſpondit: cæterum perpelli non potuit, ut auxiliandi curam ullam ſuſciperet. Quin milites quinquaginta, quos reliquerat in ſupplementum cohortis Pontificis, revocavit. Gallorum inde duces, & Mirandulanum, dubium qua tunc cauſa hilaritatis & lætitiæ, excipit convivio inſtructo apparate: eoque tempore lenis ſe ventus ab ortu ſolis cum intendiſſet, nocte quæ inſecuta eſt IV. Kal. Septembr. dedere vela omnes. Hic exitus auxilii Gallorum fuit; quod animo magno latum ab rege, perverſitate fortunæ, culpa nonnulla hominum, in perniciem vertit. Adventantium fiducia, omiſſa occaſio eſt retinendæ Candiæ: vetaverant enim patres Molinum de pace agere; quam Achomates, ut expoſitum ante eſt, ferebat in leges tunc commodas Veneto, ut urbem cum parte inſulæ haberet. Facta eruptio, invito

Claſſe aſſirmāt omnes.

Mauroceнus tentat animū Roſpilioſii:

ſe fruſtra.

Roſpilioſius evocat Candia reliquos milites ſuos.

Galli, ſociique cæteri abſcedunt.

1669. to imperatore, & reliquis ducibus Venetis, eventu adverſo perterrefecit eos: qui exinde minus utiles obſeſſis, poſtremo abeuntes prorſus intempeſtive, averſis exemplo ſuo copiis ſocium aliis, militibus etiam Venetis ſupra quingentos fraude abductis; urbem, ad quam tuendam venerant, in difficultatem ultimam compulerunt. Tum denique imperator, ſpe omni præciſa, cogitare quemadmodum primam moveret mentionem deditionis & pacis; cujus non aliter tolerabiles fore condiciones cernebat, quam ſi non ſentiret Turca, extrema paciſci neceſſitate coactum. Maluiſſet negotium peragi per Molinum. Sed recuſabat hic: qui, quanquam res nunc longe pejore erant loco, quam ante adventum Gallorum; tamen non auderet interpretari eſſe ſibi poteſtatem eandem. Itaque arte utendum ratus, duos deligit dextero ingenio, fideque perſpecta, Thomam Alandium Scotum tribunum & Stephanum Scordilium ex ordine ſcribarum, qui conſcenſa celoce accederent ad oſtium Jophyri; explicatoque vexillo albo, colloquium peterent. Dati ab Viſſirio qui audirent, Achomates Aga, & Panhagites Interpres. Tum illi, ita ut juſſi fuerant, exponunt: *non ignorare Venetum imperatorem, ſuperioribus menſibus cum Molino agitari cæptum de pace: quando abeſſet Molinus, paratum ipſum eſſe, cui facultatem in id ſummam tribuerit ſenatus, rurſus agere de bello terminando; credereque, ſi de minus æquis condicionibus, quæ antea ferebantur, aliquid demeretur, exitum rei imponi poſſe.* Hæc ad Viſſirium cum pertuliſſet Aga; reverſus paulo poſt cum reſponſo eſt: *non ſatis meminiſſe Viſſirium illorum, quæ alias diſceptata cum Molino eſſent: hoc ſcire, ex eo tempore commutationem magnam factam: ſigna armaque regis Turcarum in Candiæ portis ac muris jam eſſe: pro certo putare, brevi urbem ſuam fore vi expugnatam: ſi tamen ultro dederet Venetus, fortaſſe & ipſum paſſurum ab ſe pacem impetrari.* Explorata hoſtium ſententia, imperator album vexillum proponit in propugnaculo D. Demetrii: nec mora, finitur ex compoſito

Anguſtiis jam extremis, mittit imperator qui agant de deditione urbis & pace.

Ab Achomate reſponſum.

Deſtinatur locus colloquio.

ſito locus colloquio, planities contra propugnaculum. 1669.
Stata hora ab Venetis Alandius & Scordilius, ab Turcis præcipui dignitate tres eo convenerunt, Heibrahimus Baſſa Hierapolis, Achomates Aga, & præfectus Janiſſarorum: una erant Panhagites Interpres, & alius ab ſecretis Viſſirii. Condicionem primo ponebant Veneti: *pacis cauſa ceſſurum imperatorem Candia; modo pro hac oppidum aliud a Turcis traderetur.*

Condicio ponitur a Venetis.

Contra poſtulare Turcæ: *ut & Candia & reliquis arcibus Cretæ inſulæ Venetus decederet: ut redderet occupata in Illyrico atque in Albania: ut impenſam præſtaret, quæ in bellum facta eſſet: tum autem ut annuam penſionem duodecies mille nummos aureos regi Turcarum perſolveret; utque legatus Venetus veniens primum Conſtantinopolin, donum ei afferret trecenta millia Regalium nummum.*

Poſtulata ſuperba Turcarum.

Haudquaquam modice cum diſcreparet; neutris remittentibus, vix credi poterat quidquam conventurum. Ac imperator quidem poſtulato ſuo quærebat id unum, ut fidentis præberet ſpeciem; quo deinde facilius paterentur Turcæ retinere Venetos, quæ in Creta, alibique poſſidebant. Achomates vero ultimis malis ſubactos hoſtes ratus, non diffidebat, pacem ut redimerent, pleraque ad poſtremum conceſſuros. Sæpius per inſequentes dies colloquio fruſtra habito; dum Alandius & Scordilius vires, quas non haberent, jactant, augentque verbis opus belli, quod oppugnantibus reſtaret, ſi vi potiri Candia vellent: nec opinata res fecit hos molliores ad paciſcendum. Nihil ceſſatum interim ab oppugnatione fuerat: nam & Viſſirius in eo ſpem expugnationis collocabat, ſi non daret tempus incluſis ad recipiendos animos; neque Venetus; ne fateri formidinem videretur, petierat inducias. Egerat autem imperator cuniculos tres ſubter aggeres hoſtium, qua tormenta plurima contra murum interiorem noviſſime ſtatuerant. Cuniculi hi uno tempore accenſi aggeres tormentaque late cum disjeciſſent, magno numero eorum & illic, & in propinquis ſtationibus incendio hauſtis, aut obrutis ruina: cura inde injecta eſt

Cuniculi tres a Venetis ſuccenduntur.

Illatum inde

Acho-

1669. Achomati ne vere multo plus laboris, quam putarat, præbitura adhuc ſibi oppugnatio eſſet. Auxilii præterea ne quid ex Italia adveniret veritus, ſi diſceptatio longius traheretur, maxime vero iram pertimeſcens regis, qui moræ impatiens atrocioribus in dies terrebat minis; præcipit ſuis, dum urbem dederet Venetus, ne multum in cæteris tenderent. Re pauliſper agitata; mox quæ initio poſtularant, remiſerunt omnia Turcæ. Ergo VIII. Id. Septembr. tranſigunt: ut amicitia regi Turcarum cum Veneto his legibus & condicionibus exinde foret: *uti Venetus intra diem duodecimum, extra quam ſi qui dies inciderent minus apti ad naves conſcendendas, Candiam Turcis traderet: ut milites atque oppidani, quicunque migrare alio mallent, incolumes abirent, & omnia ſua ſervantes: utique jus eſſet exportandi ſacra profanaque cuncta, apparatum præterea militarem univerſum; relictis modo tormentis, quæ ante bellum in urbe fuiſſent: uti Amphimaliam, Grabuſas, & Spinam Longam, quæque iis adjacent parvæ inſulæ peninſulæve aut ſcopuli, tum Cliſſam agrumque ejus, & quidquid in Illyrico, nominatim in finibus Boſnæ & in Albania cepiſſet, Venetus retineret: ut Conſtantinopolin ex conſuetudine mitteretur ab ſenatu legatus; qui ubi adveniſſet, tum ut redderentur invicem captivi; neve noxæ eſſet belli tempore alterutram partem ſecutis: quibus per id bellum a Turca aut a Veneto conceſſa eſſet facultas piraticæ faciendæ, uti facultas hæc abrogaretur: uti rata haberentur, quæ alias in pace conſtituenda conveniſſent.*

damnum molliorem facit Achomatem.

Itaque paciſcuntur.

In hæc dati obſides tres utrinque: ab Venetis Fauſtinus Ripa, Jo. Baptiſta Calbus, & Zaccharias Mocenicus: ab Turcis Bebirus Aslanus Baſſa Caſſiopes, Mahumetes præfectus alter Janiſſarorum, & Gagius quæſtor Minoris Aſiæ. Hoc anno belli poſtremo cecidere propugnatorum, præter ſocios, plus millia octo, foſſorum ac remigum tria millia & ſeptingenti; oppugnantium, ſupra millia triginta: ut oppugnatio triennium continuata, ſex & ſeptuaginta ferme millia militum, duodequadraginta millia foſſorum Turcis, Venetis viginti fere

Dantur obſides utrinque.

Numerus Turcarum, & Venetorum in oppugnatione

re

1669.

re millia militum, ad decem millia foſſorum aut remigum abſumpſerit.

interfectorum.

In urbe pariter & in caſtris gaudio incredibili celebrata pax eſt, quæ finem tam atrocis tamque diuturni belli attuliſſet. Multa ſtatim amice comiterque facta inter obſidentes & obſeſſos: miſſa quoque invicem dona hoſpitalia ab Viſſirio & imperatore. Dies intervenerunt procelloſi aliquot; ut, in magna licet cura feſtinandi, non ante quam VI Kal. Octobr. imponi in naves cuncta potuerint.

Oppidani omnes ſequūtur abeuntes Venetos;

Haud tenuit oppidanos amor ſoli, in quo nati erant, quominus abeuntes Venetos ſequerentur. Precantes ne opem denegaret tecta & fortunas relinquentibus ſuas, ſolatus alloquio Maurocenus, benigne accipit in naves; commeatum & ſtipendium præberi jubet; jura etiam largitur complura, rata poſtea ab Senatu habita, qui præterea ſedes iis attribuit, agroſque in Iſtris maxime. Milites atque oppidani fuere haud plus ſepties mille & octingenti: adeo urbem, cum felicitate alia quavis, tum frequentia incolarum florentiſſimam Græcia tota exhauſerat bellum.

extra ſeptendecim, qui ibi mānſerunt.

Septendecim tantum volentes relicti: ſacerdotes Græci duo, Judæus unus, unuſque ſignifer cum duodecim militibus & fœmina una; qui deinde etiam Mahumeticam ſectam maluere. Poſtero die, egeſtis jam omnibus, præter tormenta duodecim ſupra ducenta (ad quadringenta avehebantur) traditur oppidum Achomati.

Urbem intrant Turcæ.

Et illico intrarunt milites per ruinam, quos jam deſtinarat in præſidium: itidemque præfectus Janiſſarorum & Quæſtor. Velut miraculo hos primo oſtupefecit viſa intus urbs, quam tanta vi oppugnantes, toties invadere fruſtra conati eſſent; deformis paſſim incendiis & ruina tectorum, alibi nudata propugnaculis, cuniculis alibi ſubruta, alicubi uſque eo patens atque aperta aggredientibus, ut non murorum modo, ſed ne foſſæ quidem aut valli veſtigium appareret. Vix credere paucos milites qui exceſſiſſent, confectos labore eoſdem, ac vigiliis enectos, arcere inde impetum tandiu potuiſſe.

Carpitur Achomates

Palam deinde incuſa-

Digitized by Google

1669. cuſare Viſirium; qui non ſolum prædam e manibus amiſiſſet, ſed etiam cupiditate nimia finiendi belli paſſus eſſet conſcribi leges pacis, quas Veneti haud facile ſperaſſent utiliores in ſecundis rebus ſuis. At in præſens contemnebat ille voces iſtiuſmodi; ut qui reliqua parva & nihili habenda duceret præ iis quæ dabat redacta in poteſtatem Candia, & profligatum tandem bellum; quod prolatum, ne in caput ſuum recideret, in dies magis metuebat. Vias purgari, & templum, quod erat aliorum caput, verti in Meſchitam cum juſſiſſet: IV Non. Octobr. præcinentibus tubis, & tormentis perſtrepentibus, inter clamores militum exultantium, urbem ingreditur. Dimiſſa vero dies poſt paucos exercitus parte; hyemem ibi reficiendis muris, formandoque ſtatu alio inſulæ tranſegit. Lariſſa per tempus id ipſum moverat rex. Chalcidem petebat, ut inde tranſmitteret in Cretam, confecturus ductu ſuo bellum, quod indignaretur remiſſius geri ab Achomate. In itinere nuncii occurrerunt deditæ Candiæ: ad quos repente exiliit gaudiis tam immoderatis, ut vix apud ſe eſſe videretur. Ad lætitiam per populos diſpertiendam, edicit protinus, ut ubicunque terrarum Turcicarum gratulatio fieret victoriæ. Flectit inde Theſſalonicam; mox contendit Hadrianopolin, æſtuans cupiditate ulciſcendi inimicos, firmandique res jactatas ſuas vehementibus conſiliis: id quod per bellum non undique crediderat tutum. Venetis abſcedentibus Candia, ſuper mœſtitiam relictæ urbis, pro qua tot annos tanta contentione pugnaſſent, navigatio etiam fuit valde adverſa. Plurimæ per autumnum, perque hyemem inſequentem tempeſtates ſævæ extiterunt; quarum vi naves multæ vehentes militem, armaque, & res Cretenſium, ejectæ; quædam in alto merſæ, aut delatæ in littora Apuliæ, confractæque; tres abreptæ in Africam uſque, fuere præda barbaris iis. Imperator cum parte navium celſiorum Amphimalum ſinum invectus, aucto præſidio arcis, Danielem Mauro-

ab ſuis.

Lætitia regis.

Naves multæ Venetorum per tempeſtatẽ pereunt.

Maurocenus arces inviſit, &

cenum

cenum præponit. Poſtea cæteras arces inviſit, munitque milite novo atque armis. Tum Zacynthum navigat; ubi ſubſiſtere juſſus a Senatu eſt.

munit milite.

Zacynthi conſiſtit.

Nuncius deditionis Joſephus Detus, ductor ordinum, Venetias veniens, minus, quam pro re allata, perculit animos, quod triſtitiam eam pridem præcepiſſent. Ex quo cognorant inſtrui ab Noallio profectionem, exitum hunc oppugnationis præſenſerant.

Habitus animorum Venetiis.

Neque enim ſupererat ſpes, deſertos ſuos in ſummis anguſtiis diutius reſtituros. Quin etiam ſubibat interdum timor, ne vi potitus Turca, cæſo præſidio & claſſe ſuperata, victoria ferox fines imperii alibi invaderet. Pax ſolatio erat in leges compoſita, vix impetrabiles ab Turcis, ſi pares bello in amicitiam rediſſent. Arces præſertim in inſula tres retentæ, apertum adhuc Venetis claſſibus Creticum mare, & liber ibi appulſus ad ſua littora, in lucro eſſe videbantur: omninoque ſic exiſtimabant, Candia Turcis tradita, non dimiſſam penitus tamen Cretæ poſſeſſionem. Quapropter Senatus magno conſenſu rata habuit, quæ Maurocenus pepigiſſet: juſſuque Contareni Principis donarium illatum in templum D. Antonii Patavii, quod pacis divinitus redditæ monimentum eſſet.

Senatus pacem pactã confirmat.

Continuo legatur Conſtantinopolin Aloyſius Molinus, qui ſine mora condiciones pacis ſubſcriptas ab Senatu ferret ad regem Turcarum, viciſſimque ab eo confirmatas referret.

Aloyſ. Molinus legatur Conſtantinopolin.

Placuit autem imperatorem Zacyntho non abſcedere; itidemque Antonium Bernardum, qui propter tempeſtates provehi Candiam cum ſubſidiis in tempore nequierat, manere ad Corcyram; ne, ſi forte Turca graſſaretur fraude, immunitæ inſulæ aggredienti paterent. Interea Chriſtiani Principes de pace cum Turcis certiores a patribus facti; actæque omnibus gratiæ, quotquot auxilia contulerant. Gratulantium una omnium ſententia eſſe, & vox eadem: quod geſſiſſent magna conſtantia bellum, in rebus tam arduis, finire magis e rep. & dignitate ejus non potuiſſe. Cæterum graviter tulit rex Galliæ,

Rex Galliæ adiri ſe nõ

1669. liæ, Noallium, cum minime oporteret, abductis copiis, impuliſſe Venetos in neceſſitatem maturandæ deditionis. Nec iram diſſimulavit. Prohibitum nanque Lutetiam venire ad purgandum, relegavit in Petricorios, ut procul a cœtu hominum congreſſuque ruri degeret. Pontifex quoque affinem culpæ ratus Vincentium Roſpilioſium, habere noluit impune. Cardinalem facere conſtituerat: dederat etiam voluntatis hujus indicia. Mutato tunc conſilio, octo Cardinalibus creatis, eum præteriit. Æger jam diu gravi & periculoſo morbo decumbebat Clemens: additus dolor Candiæ amiſſæ vitam ademit. V. Id. Decembr. obiit. Jure numerant in Pontificibus optimis propter integritatem, atque innocentiam ſingularem, ſtudiumque eximium religionis, & captum, cauſa periculorum ejus, angorem animi ad mortem uſque. Hoc anno Caſimirus Poloniæ rex, feſſus ærumnis, & diſcordiis inteſtinis ſuorum, quibus cauſam maxime præbuerat regina conjux paulo ante mortua; nequicquam proceribus deprecantibus, abdicat ſe regno, & in Galliam concedit. Abdicandi auctor regina eadem fuerat, vehementer adnixa, ut rex ſublegeretur Princeps Condæus, aut filius ejus, vir filiæ Eduardi Principis Palatini & Annæ Gonzagæ. Abeunte Caſimiro; præter Condæum, quem apud primores gentis adjuvabant Galli pecunia & promiſſis, tres petebant: filius regis Moſchorum qui multa magnaque Polonis pollicebatur; Dux Neoburgenſis, propinquus eorum qui proxime regnarant; & Carolus Princeps Lotharingius fultus favore Auſtriorum. Præter opinionem, repulſam tulerunt omnes. Conſurgens Equitum Ordo, plurimum tumultus in comitiis fecit. Vociferari pro ſe quiſque, imminui libertatem reip. ſuæ, ſi regem non liberis ſuffragiis crearent quem mallent ipſi, ſed quem aut reſpectus ad affines Caſimiri, aut occultæ aliorum cum privatis pactiones, aut potentia regum finitimorum accipiendum etiam invitis imponeret. Dum propterea hæret

paſſus ab Noallio, amandat eum in Petricorios.

Pontifex moritur.

Caſimirus regno ſe abdicat.

Tumultus in comitiis Polonorum.

Digitized by Google

ret deliberatio ; incertum unde , audita repente vox 1669.
(miſſam cœlo aliqui credidere) appellantis nomen Michaelis Coributhi , Ducis Vviſniovifchii . Parem imperio non putabant prudentiores : principes ferme averſabantur ; quia grave erat regem habere in eadem , qua ipſi , natum fortuna . Verum ſubito conſenſu cæteræ multitudinis Michael dictus rex eſt . Huic ſororem ſtatim deſpondet uxorem Cæſar : Senatus Venetus legatum extra ordinem deſtinat , qui gratularetur regnum , Angelum Maurocenum procuratorem Marcium .

Michael Coributhus rex eligitur.

Legatio ad eum Venetorum.

Exeunte anno, navis qua dona portabantur , danda more ſolemni regi Turcarum qua die primum adiret eum legatus Venetus , vix egreſſa portu Venetiarum , ſubmerſa eſt. Periere inter alios patricii tres , Laurentius Molinus legati filius , Bertuccius Civranus , Octavius Labia , tum Joſephus Detus , qui nuncium factæ pacis Venetias attulerat . Principio anni inſequentis , Molinus Cydone Can- 1670.
diam trajiciens , a Viſſirio excipitur perhonorifice . Sæpius inter ſe collocuti , ſi qua in condicionibus pacis minus diſtincte conſtituta fuerant , planius deſcripſerunt .

Colloquium Molini cum Achomate

De Illyrico potiſſimum ambigebatur . Nec quos novos ponerent fines , neque quos veteres obſervarent , conſtare facile poterat , turbatis paſſim rebus diutino bello . Quare convenit , ubi leges pacis comprobaſſet rex , ut utrinque legati mitterentur in provinciam ad diſceptandum . Serius tamen Conſtantinopolin profectus Molinus ; Achomate , qui alloqui prior regem decreviſſet , de induſtria retinente . Prolatabat vero hic cauſa ea in ſpeciem uſus , ut muniret urbem , inſtitueretque utilia multa regiis rationibus in inſula . Re id curabat , ut tempore interpoſito cognoſceret , ſatin tuta ſibi omnia apud regem eſſent . Curæ angebant diverſæ : modo ne gloria adjectæ ab ſe imperio Candiæ nimia videretur ; modo ne inimici condiciones pacis maligne carperent : quorum utrunque valde periculoſum ſibi videbat fore .

Achomates regis animum explorat.

Dum per clientes animum regis & procerum nonnullorum

Muros Can-

1670. lorum explorat, propugnaculo D. Andreæ reſtituto, & muris refectis, præſertim qua urbs utrinque vergit ad mare; triremes deſtinat ſex quæ portum tutarentur.

dia reſtituit.

Imperat tributum Cretenſibus, & inſulis Ægæi,

Tum grave tributum indicit Cretenſibus: atque ut ſuppleret remigio triremes, tertium quemque virum dare jubet. Ab inſulis porro Ægæi maris, quod hoc bello pleræque juviſſent Venetos, vectigal primo exegit annorum omnium, per quos non pependiſſent: inde annuum duplex in reliquum imperavit. Pœna ſimili affecti ob cauſam eandem Peloponneſii poſiti ad mare.

Leuctriiſque.

Leuctrios vero, qui præcipue nudaſſent voluntatem, minis territos, ut magna ad ſe dona inſuper mitterent, compulit. Interim, nihil uſpiam ſubeſſe periculi, undique cum nunciaretur; & rex magnopere ad ſe vocaret; occiſi autem ſubmotive jam eſſent opera legati ſui, a quibus ſibi timebat, Baſſa in primis Teredonis, ſuſpectus ante alios: non ultra diſtulit proficiſci.

Hadrianopolin petit.

Triremibus Helleſpontum navigat: illinc terra pergit Hadrianopolin, cum clamore & plauſu ſe populis effundentibus, quacunque tranſiret. Advenienti miſit rex obviam qui dona ferrent, criſtas pretioſis interlucentibus lapillis.

Honorifice excipit rex.

Præſentem, procumbentemque ad pedes venerabundum ſuſtulit peramanter complexuſque eſt; ſalem & panem benedicendo laudans, qui regiis impenſis aluiſſent & ipſum & patrem ejus, præſidium & columen utrumque imperii & religionis: injecta inde aurata veſte, acinacem quoque ſuum lateri ejus appendit. Non inflavit tamen hominem gratia tanta, qui optime ſciret, maxime in lubrico eſſe, quos nimium evexerit fortuna. Quare ita moderatus ſibi eſt in omnibus, ut & regi carior fieret in dies, nec in procerum, ut fere fit, incideret invidiam. Triremes eaſdem conſcenderat Molinus, rectaque petierat Conſtantinopolin: ubi legatus Achomatis honorem eundem tribuit venienti, quem conſueverunt Turcæ legatis Cæſaris, & regum aliorum. Accerſitum Hadrianopolin ſplendide itidem accepere,

qua

Digitized by Google

qua præſertim die ingreſſus ad regem primo eſt; expli- 1670.
cata opulentia barbarica & apparatu ſuperbo generis
omnis. Prolixa aptaque oratione gratulanti Senatus ver- *Molinus*
bis finitum tandem bellum, & amicitiam veterem redin- *adit regem Turcarum:*
tegratam; Mahumetes, ritu uſitato regibus iis, reſpon-
dit brevibus: *ſi pacta ſervarentur, bene cuncta proceſſura*.
Continuo qui Veneti captivi Conſtantinopoli in carce-
re, quique in triremibus detinebantur, cum Turcis ca-
ptivis permutati. Erat in illis Sebaſtianus Molinus, qui
ante annos ſexdecim, navi conflagrante qua vehęba-
tur, captus fuerat. Multa deinde roganti legato beni- *a quo mul-*
gne ac liberaliter conceſſa ab rege: poteſtas facta inter *ta impetrat.*
reliqua reædificandi templum D. Franciſci in ſuburbio,
Galata appellant, ubi domicilia habent Chriſtiani. Id
templum abſumpſerat jam pridem fortuitum incendium:
ſolo autem publicato, reſtituendi facultatem petentes ſub-
inde alii atque alii non impetrarant. Ad fines terminan-
dos in Illyrico deſtinatur a Viſſirio Mahumetes, Baſſa
Boſnæ tunc creatus; homo agreſti ingenio, ferox idem
& pervicax: ab Senatu Antonius Barbarus, legatus in
Illyrico. Romæ interea Pontifex eligitur Æmilius Alte- *Æmilius*
rius Romanus, quem Clemens quinque ante menſibus *Alterius creatur*
in Cardinalium ordinem adſcriptum, vaticinatus fuerat *Pontifex,*
moriens fore ſucceſſorem ſuum. Dum Cardinalem El-
cium rejiciunt Galli, ut favore inclinatum in Hiſpanos;
Hiſpani vero reſpuunt Cardinalem Vidonem, non aliam
ob cauſam verius, quam ut oſtentarent auctoritatem &
ipſi ſuam: protracta in quintum menſem comitia ſunt.
Tum, mortuo jam Elcio ob dolorem repulſæ, repen-
te in Alterium omnes conſenſerunt. Octoginta ferme
natus erat annos. Et diu multumque propter ætatem re-
cuſanti, Cardinales demum vix perſuaſere, ut patere-
tur ſe Pontificem pronunciari. Dictus eſt Clemens Deci- *dictus Cle-*
mus. Unus ipſe ſupererat familiæ ſuæ. Eo rebus admini- *mens X.*
ſtrandis Cardinalem Palutium affinem præficit; a quo
ſumptum nomen & inſignia Alteriorum. Hunc & con-
ſangui-

1670. ſanguineos ejus, petente Pontifice, Veneta Civitas in ordinem patriciorum cooptavit: lecti ſimul a Senatu ad gratulandum legati quatuor extra ordinem, Andreas Contarenus, Nicolaus Sagredus, Baptiſta Nanius, & Silveſter Valerius, equites & procuratores Marcii omnes.

Deſtinant ad eum Veneti legatos.

Contentio de finibus in Illyrico.

Hoc tempore cura non levis injecta ſubito eſt patribus ne novum de integro bellum in Illyrico exiſteret. Caſtella ibi aliquot arceſque ceperant Veneti, ut narratum alibi, ac diruerant, quæ tenere præſidiis viſum non eſſet. Coluerant tamen plerunque agros Illyrii. Turcis per occaſiones incurſantibus, crebra inter eos prœlia oriebantur. Depoſito bello, controverſia tenebat, ad quos loca illa pertinerent. Vindicabant ſibi Veneti; quod in condicionibus pacis ſancitum fuiſſet, ut haberent ipſi quæ in Illyrico occupaſſent. Contra Turcæ æquum cenſebant, ſervari fines veteres: quidquid enim inſuper adjiceret ſibi Venetus, a principio belli uſque ad pacem fuiſſe poſſeſſionis incertæ, uſurpantibus ſubinde jus, qui plus poſſent armis. Æger morbo Mahumetes tardius cum adveniret: non ferentes Turcæ moram, excurſiones faciunt in agrum Jadertinum, præda hominum pecudumque abacta. Impune id eſſe non paſſi ſunt Illyrii: invadenteſque & ipſi illorum terras, pleni populationum redierunt. Ac tunc quidem cura Barbari legati compoſita prope ſtatim ſic res eſt, ut invicem ablata reſtituerentur ſine fraude. Verum paulo poſt Illyrii, jus ſibi ut affirmarent agros retinendi, ex improviſo ad arces & caſtella diruta ſedes capiunt, raptim caſis aliquot ædificatis. Quo referretur conſilium ſentientes Turcæ, illico qui deferrent querelas ſuas, alios ad Mahumetem Baſſam, alios Hadrianopolin ad Viſſirium mittunt. Ab Viſſirio, qui audiret invitus quidquam moveri, quod recentem pacem turbaret, ire juſſi ad Mahumetem. Hic Serajum vix acceſſerat, cum adfuere principes populorum, qui fines colunt extremos, Philippovichius, Aſtalichius, & Duracus Begovichius, de injuria Venetorum

Incurſiones invicem.

torum expoſtulantes criminanteſque violatam pacem : 1670.
non veritos nanque poſt ſancitas pactiones loca inſidere , quæ auſi per bellum non eſſent . Multa prece orabant , *ne ſineret ſe incommoda cladeſque belli tandiu expertos , pacem ipſam habere infeſtam .* Haud difficile permoverunt aſperum & litigioſum . Itaque collectis extemplo millibus aliquot armatorum , deſcendit ad Cliunum ; bidui ferme iter abeſt caſtrum ab Singo . Illinc Venetis denunciat : *dicto citius locis decederent , quæ noviſſime dolo intercepiſſent : attinere ad eos unice , quæ ante pacem firmaſſent juſtis præſidiis* : nominabat autem Cliſſam , Saxum , & Novigradum : *ſi pergerent ipſi contra leges pacis facere , neque ſibi conſilium , quod ſumeret , defuturum .* Dum per internuncios inſtat Barbarus , *ne nimium ſuis credendo committeret ut denuo accenderetur bellum , neu venire cunctaretur in colloquium ad controverſias amice diſceptandas ; paratum enim ſe eſſe nihil æqui abnuere :* Derniſium a Philippovichio ex improviſo occupatum eſt . Coegerat is pridem validam manum popularium . Additis tunc a Baſſa equitibus ſexcentis , nocturno adventu potitur arce immunita ; paucis , qui incolebant , captis , una cum Jo. Baptiſta Cornelio , quem Barbarus paulo ante miſerat ad continendam in officio gentem . Hi poſtero die dimiſſi quidem omnes inviolati . Cæterum velut ſigno dato ab Philippovichio , conſurgentes protinus alii , uno fere tempore pars Argyrutum , pars Scardonam infeſto agmine contenderunt . Argyrutum a militibus ducentis , qui cuſtodiebant , prius quam oppugnaretur , deſertum . Scardonam ſervavit interveniens cum cohortibus duabus Angelus Haimus , Sici præfectus : etenim hinc ab terra , hinc a flumine , quo adverſo ſubire juſſerat triremem unam , & biremes aliquot , oppugnantes adortus , abſcedere coegit irrito incœpto . Poſt aliquanto tentatur Rhyzinium : qui conatus Turcis damno fuit non levi . Ad millia quatuor armatorum a Mahumete dati , duce Juſuſo , ab terra circumſederant . Longe impar viribus Jo. Andreas Quirinus

Turcæ occupant Derniſium ,

& Argyrutum ;

Ab Scardona repelluntur ,

1670. rinus qui præerat, jam cedens inde, in tutum recipiebat ſuos; cum properantes in auxilium populi finitimi ex Peraſto, & maritima ora reliqua, quæ ad Aſcrivium pertinet, conſerta pugna, fuderunt illos ac fugarunt. Id conſpicati colentes fere ad Scodrum montem, averſo ab Turcis animo, quibus inviti parent, occaſionem explendi odii ſubito arripiunt. Conferti decurrentes, undique faciunt in palatos impetum: quos diu per vias inviaque perſecuti, millia plus duo occiderunt, in his Juſufum ipſum, ſignis, armis, equis, impedimentiſque captis. Prædæ hujus pars, quanta poſſet maxima, ut ad ſe adferretur, pervicit gratia Barbarus. Tum dono eam mittit Mahumeti: qui querenti eodem tempore factum hoſtiliter ab Juſufo, promiſit revocaturum ſe ſuos penitus in fines, nec antequam regem de rebus iis conſuleret, quidquam moturum. Mox cum veniſſet Cliſſam Boſnæ quæſtor; componit ibi cum Barbaro, ut liberum, quale antea, inter gentem utramque commercium eſſet. Interea Venetiis Civitatem diſtinuit res prorſus inexpectata: quæ magna ipſa, ſtudiis partium progreſſa eo eſt, prope ut civile certamen exceſſerit. Menſe Septembri, anno jam poſt factam pacem cum Turcis, comitia majora habebantur creandis magiſtratibus. Aſcendit repente in concionem Antonius Corrarius, vir nonnulla opinione ingenii ac doctrinæ; ſed qui honorum immemor, vitam procul ambitione & Senatu jam diu ageret. Accuſare exorſus Franciſcum Maurocenum imperatorem, quem ſub exitum oppugnationis Procuratorem Templi Marcii crearant ſupra numerum: *magnopere mirari ſe*, ait, *qui ſtupor occupaſſet omnium mentes, ut, Candia amiſſa, quam tot annos fortiſſime defendiſſent, quamque, niſi abfuiſſet virtus imperatoris, fruſtra oppugnaturi uſque Turcæ fuerint, cujus ob dolorem jactura deceſſiſſet Pontifex ſanctiſſimus Clemens, nemo tamen in Civitate ingemiſceret. Mirari magis adhuc, quod qui ultro dediſſet Turcis, velut proſpere geſto bello, & deletis exercitibus hoſtium*

& Rhyzinio.

Res componitur per Barbarum.

Franciſcus Maurocenus accuſatur ab Antonio Corrario.

illu-

illuſtris, auctus inſuper novo genere honoris & dignitatis, favore civium in patria floreret. An ſubito leges alias, alios mores, & inſtituta exorta, ut remp. prodidiſſe, non ſolum impune, ſed etiam in gloria eſſet? Qui Eubœam, qui Tenedum, qui Pylum Turcis antea tradidiſſent, perſolviſſe meritas pœnas. Profecto acciri perniciem Civitatis, niſi ſecuti majores, exemplo inſigni ad memoriam etiam tunc ſtatuerent, neminem talia peccantem, quidquid gratia polleret, aut opibus, & potentia, abire indemnatum. Creditam Candiam Mauroceno, ut ſuſtineret, arceretque oppugnantes Turcas; non ut ultro induceret. Cum autem induxiſſet, cur ſaltem legibus non interrogari? Regem quidem Galliæ, de alienis laborantem, in Noallium animadvertiſſe propter citius reductas inde copias: Venetos vero, quorum propria res ageretur, præmio afficere, qui urbem ipſam hoſti permiſerit, nonne monſtri ſimile eſſe? Scilicet deditionem factam in ſumma inopia rerum neceſſariarum, in nulla opis ſpe; ut, ſi tantiſper diſtuliſſet, agmina barbarorum nullo certamine intratura oppidum fuerint. At eo tempore commeatuum, pecuniæ, armorum, & bellici inſtrumenti generis cujuſvis ſatis intus ſuperque fuiſſe: noviſſime ab Duce Mirandulano ſubſidia militum, rerumque aliarum advecta: mox Bernardum, qui Corcyram jam tenuiſſet, auxilia alia fuiſſe allaturum. Quid ergo cauſæ repente extitiſſe, quamobrem deditionem approperaret; præſertim cum priuſquam exponeretur a Mirandulano recens miles, totis viribus adorientes Turcas obſeſſi repuliſſent? Sed recte conſultum reip. cenſuiſſe, ſi ea mercede pacem ab hoſte redimeret. Unum videlicet Franciſcum Maurocenum optime vidiſſe, quid eſſet e rep. quod ſi apparuiſſet ſenatui, non geſturum fuiſſe tanto conatu per quinque & viginti annos bellum, ne Candia cederet. Si liberet ſapientiæ tantum ei tribuere, ut ipſe modo perſpiceret, quæ effugerent Senatum univerſum: tamen, quia publicum Venetæ Civitatis, non ejus privatum bellum eſſet, edocere patres antea debuiſſe, conſulereque, vellent juberentne Candia dedita pacem fieri. Verum enimvero nec jure ullo, neque exemplo tolerabili Civitati liberæ, maluiſſe per ſe de ſumma reip. conſtituere, nutuſque 1670.

1670. *ſuos pro decretis patrum, pro Civitatis juſſu eſſe. Hæc ferri ultra ac diſſimulari rep. incolumi? Quid tandem tuto cuiquam, nedum caput rerum permitti, ſi ratio reddenda non ſit? Inquirerent ergo in omnia, quæcunque Candiæ geſta fuiſſent. Cogerent cauſam dicere imperatorem in primis, de urbe, quam commiſſam fidei ſuæ dedidiſſet hoſtibus; de pace, quam regio more feciſſet arbitratu ſuo; de pecunia publica, an curata recte eſſet; de donis etiam, quæ ab Viſirio accepiſſe credi poſſet. Haudquaquam obſtare judicium ſenatus, qui acta Mauroceni ad Candiam probaſſet. Fucum factum patribus, circumventis ſolertia & dolis conſanguineorum atque amicorum ejus. Integrum autem ſemper eſſe Civitati rationem ab illis repoſcere, qui venirent in ſuſpicionem male adminiſtratæ reip.. Confidere, facile inventuros, ornatum ab ſe eum extraordinariis honoribus, cui jampridem ſanguine luenda fuiſſet pœna perfidiæ.* Hæc atque talia dudum præparata oratione exequentem Corrarium magno ſilentio audivere omnes. Quod autem nemo ex tempore prodiret ad refellendum, eo auctor gravior habebatur. Improbabant quidem tacite ſapientes, moveri quod gloriæ officeret belli per tot annos tolerati, Candiæque per continens triennium defenſæ; & unde nihil denique præter molem certaminum & diſcordiarum, negotium peſtiferum Civitati, futurum providerent. Cæterum, ut ferme aſſolet, grata multitudini erat res. Pulcrum in primis putabant, apud ſe judices dicere cauſam capitis, ſummiſſum in humilitatem reorum, virum dignitate & factorum fama in Civitate eminentem. Aliquibus etiam agi prorſus utilitas & ſalus publica videbatur: ignari enim conſiliorum, quibus ſuſtentatum finitumque fuiſſet bellum, quæ fidenter affirmateque protulerat accuſator, eſſe eadem ſimillima veri judicabant. Quare tenuit ea die Corrarius, quod animo propoſuerat, arte præterea uſus callida. Antequam concionem haberet, tulerant Sexviri de dando jure Civitatis cuidam bene de rep. merito; nec dum itum fuerat in ſuffragium. Ipſe parte orationis ſuæ poſtrema addiderat,

Variè afficiuntur animi.

Ars Corrarii.

derat, de quo tunc diſſeruiſſet, indicaturos voluntatem uno tempore ſuffragiis iiſdem, quibus, quod rogarant Sexviri, probarent vel improbarent. Et in loculum praſinum, quo ſuffragia advocarat, quamplurimi contulerunt. Poſtridie ejus diei auxit illi res alia animum. In comitiis nanque creando IIIviro Advocato reip. cum patres auctores fuiſſent, ut Franciſcus Foſcarus crearetur; Civitas magna conſenſione, dejecto Foſcaro, Corrarium legerunt. Conſtans opinio eſt, multo ante magiſtratus ejus cupidum, in hunc diem accuſationem conſulto diſtuliſſe; magna ſpe, neminem libentius IIIvirum dicturos, quam ſe, quem paratum intelligerent ſubire procellam tanti certaminis. Viſum tunc patribus, qui ſemel atque iterum cognoviſſent voluntatem Civitatis, quæſtiones de iis, quæ adminſtrata in Creta erant, decernere. Qui exerceret, delectus Franciſcus Eritius. Sed intercesſit Corrarius ſtatim; qui non ſatis putaret rem ſibi ſucceſſuram, ſi judicium iſtiuſmodi a comitiis traheretur ad Senatum. Haud ita multo poſt legem etiam tulit, qua dignitatem procuratoris Marcii Mauroceno abrogabat. Cauſa utebatur duplici: *& quod contra quam ſancitum eſſet legibus & conſuetudine, honorem ei novum, quia extra ordinem, contuliſſent: & quod rati donari ab ſe præmio ducem, cujus præcipue virtute atque opera Candia defenderetur, eodem illo tempore creaſſent Procuratorem, quo turpi conceſſione Candiam Turcis tradidiſſet*. Proceſſit ad diſſuadendum Joannes Sagredus eques. Is arguere primo acriter Corrarium, *qui cuſtos legum ipſe ex magiſtratus inſtituto, veniret contra legem; atque indicta cauſa, id quod jura cuncta tanquam crudele & inhumanum odiſſent, civem damnaret*. Cavillari deinde cœpit: *corruptum repente Corrarium a Mauroceno prævaricari: id ſtruere, ut ſervaret, quem paulo ante culpæ capitalis reum feciſſet: providere enim, fore ut, honore ablato, molliretur civium ira; itaque mitius in eum animadverterent*. Poſtremo agens vehementem civem hortabatur, *ſinerent diligenti cum cura haberi quæſtiones, perficique legitimo more judi-*

1670.

qui creatur IIIvir Advocatus.

Senatus decernit quæſtiones habendas per Franc. Eritium.

Corrarius intercedit.

Fert legem de adimenda Mauroceno dignitate.

Occurrit Jo: Sagredus.

Digitized by Google

1670. *judicium. Damnarent utique compertum criminis. Sin autem in diſcrimen vocaretur immerito (quod mallet ipſe credere de viro tanto, quem pene a puero eruditum militiæ artibus, fidelem, fortem, multis inſignibus clarum pugnis, utilem, ut quem maxime unquam, reſp. experta eſſet; oppugnatio vero Candiæ tamdiu ſuſtentata, tamque impavide inter vulnera quoque corporis ſui, octo ibi excepta, collocaſſet apud externas gentes, Turcas etiam, in gloria virtutis; quique, rebus jam perditis, urbem dedidiſſet in leges haud ſperabiles, de ſententia concilii militaris, ubi intereſſent duces omnes, quorum cujuſque fama augeretur, Candiam ſervari) ſi igitur appareret, inſonti creatum periculum: oſtenderent documento memorabili, afficta per calumniam crimina in auctores recidere.* Neutram in partem quidquam ea die decretum eſt, quod parem uterque ſuffragiorum numerum tuliſſent. Biduo poſt legem eandem rogabat Corrarius. Sed dum ab ira conſilium non tenens modumque, Sagredum inceſſere aggreditur maledictis: tumultus exortus eſt; partibus uſque eo concitatis, prope ut res ad vim ſpectaret. Tum ſuggeſtum aſcendens, vir magna exiſtimatione probitatis, Michael Foſcarenus, qui paucos ante menſes abierat magiſtratu Quinquevirum, ſilentium cum feciſſet: *ſapienter excogitaſſe majores,* memorat, *genus multiplex præmiorum, quæ collata in cives, prout cujuſque eſſet meritum, cæteros ad æmulandum decus accenderent. Excellere dignitatem Procuratoris, ſupremæ proximam; quam tribuere olim conſueſſent perpaucis, qui præſtanti quadam virtute præditi, domi aut foris operam egregiam navaſſent reip. arduo autem tempore Cretici belli tribuiſſent etiam illis, qui juviſſent pecunia. Viſum honore tali dignum Maurocenum, qui annum jam tertium verſaretur inter labores & pericula oppugnationis atrociſſimæ. Quia locus nullus tum vacaret, Procuratorem ſupra numerum creatum. Ut vero parum meminiſſet libertatis civium, ſi quis tunc objectando leges moram obtuliſſet ne præmio, quo vellent, afficerent imperatorem ſuum: ita ſane imminuere nunc libertatem eandem, qui reprehendendo factum, diſſolvat quod ſemel placuerit Civita-*

Legem biduo poſt iterum ferente Corrario, tumultus oritur.

Oratio Mich. Foſcareni.

tati; penes hanc enim majeſtatem demum omnem imperii eſſe, arbitriumque ſummum condendi tollendive quas malit leges. Haud interpellare ſe Corrarium in jure ſuo. Æquum poſtulaſſe primum, ut a Mauroceno ratio redderetur illorum quæ acta ad Candiam fuiſſent: nihil nanque videri inter liberos tam civile, quam vel clariſſimum quemque poſſe cauſam dicere. At qui ad dicendam vocatus nondum foret, eum repente ſpoliari dignitate, quod jus eſſe? Damna famæ recte æſtimantibus, gravius haberi, quam ſi vitam adimerent. Ad extremum autem hujuſmodi non, publico judicio conſtituto, deſcendere, ſed ruere impulſos privata accuſatione unius, id enimvero adverſus leges, & conſuetudinem omnem fieri; nec ire contra libertatem, qui prorſus neget, in rep. ubi ſit amor juſtitiæ aliquis, hoc fas eſſe. At minimi rem momenti putarent exitium Mauroceni. Credere ne, agi ignominiam civis unius? Equidem magis multo, quam illi, deforme futurum Civitati condemnaſſe ducem indefenſum, qui gloria bellicæ virtutis, & magnitudine ac varietate rerum geſtarum, tantopere claruiſſet. Veruntamen hæc, ut liberet cuique, exiſtimarent: id utique triſte eſt, inquit, *& exempli peſſimi, ſcindi turbis concordiam civium, & animos ita abripi ſtudiis, ut non veniat in mentem, dum levi malo, & quod ſit fortaſſe nullum, occurritur, certum ac pernicioſum noſmet inducere. Uno major, an uno minor Procuratorum Ædis Marciæ numerus ſit, vix ullo in diſcrimine poſuerim. Illud maximi refert, procul a nobis eſſe ſimultates & odia inteſtina, quæ ſæpe civitates florentiſſimas in perpetuum perdiderunt. Per caritatem communis patriæ obſecro vos, cives, depoſitis certaminibus, unam reip. utilitatem intuemini. Ab via præſcripta legibus & inſtitutis, quibus ſervandis ſtetit ad hanc diem Civitas noſtra, ne patiamini vos abduci. Latam ab Corrario legem, præterquam injuſtam, cauſam etiam præbentem cur inter vos exitiabiles iræ ſubnaſcantur, propitiis Superis, rejicite.* Viſus monere ſapienter. Haud igitur dubie rogationem antiquarunt. Ex ea die nihil ultra movere auſus Corrarius. Quare ab Eritio, ita ut juſſerat Senatus, quæſtiones cœptæ haberi; quarum capita duo conſtituit: unum de ur-

1670.

Rogatio Corrarii rejicitur.

Eritius quæſtiones exercet.

be

1670. be Candia defenſa; alterum de adminiſtratis pecuniis. Citati auditique numero magno, duces, milites, cives, externi, qui Candiæ, qui in claſſe fuerant, nullo omiſſo genere hominum, qui teſtificari certo poſſent. De Candia, non modo rei nullius indicium extitit, quod valeret ad fidem criminis: ſed etiam affirmabant jurati omnes, quoad potuiſſet conſilio atque ope humana, oppugnationem toleratam. In altero; ſcriba quæſtoris maritimi locis nonnullis libros vitiarat; ut contacti tres peculatu viderentur, Angelus Maurocenus quæſtor, Hieronymus Battalea legatus in Creta, & imperator Maurocenus. De his anquiſitum eſt. Sed cum brevi conſtitiſſet de ſcribæ perfidia; cunctis ſuffragiis Senatus eos abſolvit. Rediit huc accuſatio, acribus initiis, & magno motu Civitatis a Corrario inſtituta; adverſa fama ſua, qui creſcere aliena invidia voluiſſet: Mauroceni vero aucta laude; quod inter inquirendum, non pauca prolata ſunt in aſpectum ei glorioſa, quæ in multitudine rerum per triennium ad Candiam geſtarum antea latebant. Hic minime mirere, cætera, quæ objecerat Corrarius, nihil illi offeciſſe. Quanquam enim nemo in comitiis accurata oratione ea dilucrat: tamen defenſio urbis Candiæ primum clara ubique prædicatione hominum, deinde adminiſtratio belli univerſi quæſtionibus explorata, prorſus vindicabat. Illud non facile expedierim, quemadmodum accuſatus de pace facta inſcio Senatu, judicium evaſerit. Si fuiſſet cauſa dicenda, fortaſſe non purgaſſet afferenda voluntate patrum, qui in mandatis dediſſent, ubi ultima inſtarent, claſſi utique conſuleret, in qua ſalus imperii periclitaretur. Etenim conſulturus egregie videbatur, reſtitutis in naves remigibus, & claſſicis, aliaque navali turba, cujus partem magnam ad urbem defendendam evocarat, ſimul impoſitis militibus, qui ſuperfuerant in urbe: ita nanque futura claſſis erat ſatis inſtructa, qua maritimas oras tutaretur. Inde vero immane quantum diſtat, civem, inconſulto Senatu quo tem-

Maurocenus abſolvitur cõſenſu maximo.

Qui evaſerit judiciũ de pacta pace inconſultis patribus.

tempore, quibus condicionibus, & per quos ipſi libuerit, de ſua unius ſententia, regio more, pacem cum hoſtibus facere. 1670.
Haudquaquam veriſimile eſt, non vidiſſe hæc Maurocenum. At cum hinc reip. diſcrimen obverſaretur animo, ſi, dedita Candia, quod neceſſe tandem erat, habendum nihilominus cum Turcis foret bellum; hinc reputaret, quam ſibi invidioſum eſſet futurum apud Civitatem, arbitrio ſuo paciſci: omnino crediderim, in iis anguſtiis, tamque in ancipiti poſita re, proſpicere patriæ vel cum ſuo periculo maluiſſe: id autem cognoviſſe poſtmodo Civitatem: propterea, & quod inſuper in condiciones utiles, omninoque pro dignitate reip. pax ſancita eſſet, agere ſummo jure noluiſſe. Cæterum, ubi primum auditum eſt in Gallia, a patribus *Noallius in locū ab rege reponitur.*
quæſtiones inſtitui de Candiæ deditione; rex, quando culpa amiſſæ urbis alio verti videretur, probabilem cauſam nactus, Noallium in gratiam reſtituit. Per eos fer- 1671.
me dies, quibus hæc acta Venetiis, perlatis Hadrianopolin nunciis Turcarum cædis ad Rhyzinium, excanduit rex vehementer. *Rupiſſe pacem Venetos*, exclamans, parari *Ira regis Turcarum ob commiſſa in Illyrico.*
extemplo jubet exercitum, bellum redintegraturus. Opera & arte Viſſirii, qui manere pacem cuperet magis in dies, paulum mollita ira eſt: hortatuque ejus, conſilium movendi arma tantiſper dilatum, dum mitteretur in Illyricum, qui omnia præſens inſpiceret, compertaque renunciaret. Miſſus forte unus ex Haſaccis, ita nominant *Mittitur in rem præſentem unus ex Haſaccis;*
cubicularios intimos regis; ortus in Boſna, cujus fratres duos Cretico bello ceperant Aiducci vendiderantque. Hic privato etiam dolore infenſus Venetis, cum fines curſim inviſeret, id quærere unum, ut unde unde cauſas colligeret criminandi eos. Caſu factum eſt, ut iniquum res alia inſuper irritaret. Triremis Veneta ſtabat ad Rhyzinium. Dies noctesque in timore cum eſſet præſidium illud ne a Turcis denuo vis admoveretur; in appropinquantem aliquot comitantibus, rati Veneti exploratores eſſe a Baſſa Boſnæ, globos tormentis emiſerunt.

1671. Itaque infeſtiore, quam venerat, animo rediens Hadrianopolin, detulit quæ populares fuerant conqueſti; proque malevolentia ſua etiam aliquanto graviora. Sed id ipſum fore ſuſpicatus Viſſirius egregie præverterat. Rege aſſentiente, dederat literas ad Molinum, Conſtantinopolin jampridem reverſum; in quibus acriter arguebat, quæ Veneti in Illyrico commiſiſſent, vim armaque minitatus, ſi quid tale auderent in poſterum. Tum ferebat condicionem, ut Veneti pariter & Turcæ locis excederent, quæ poſt pacem pactam cepiſſent in Illyrico; dijudicatio autem integra, ad utros quæque pertinerent, rejiceretur in conventum legatorum. Probavit conſilium Senatus. Quare ſcriptum Barbaro, ut confeſtim Illyrios illinc deduceret. Uno tempore, proſpiciens Aiduccos, inſita ferocia genti, haud facile quieturos, mandat eidem, ageret cum principibus, ſimul cum finitimis Illyriis, qui præcipuo quodam odio in Turcas eſſent, ut ſpe commodorum pellecti alio migrarent. Et perſuaſit Barbarus: quare ſine mora migraverunt in Hiſtros. Ad Polam oppidum tributi agri, domus, frumentum, cæteraque neceſſaria figentibus ſedem. Duplex inde fuit utilitas. Nam & ſublata ſunt ex Illyrico ſemina diſcordiarum; & dati agris cultores, quibus egerent. Mortuo interim Mahumeti ſuffectus cum eſſet Mamutus Baſſa Budæ, nihilo placabilioris homo ingenii: viſum patribus deſtinare in Illyricum ſumma cum poteſtate Baptiſtam Nanium equitem & Marcium procuratorem, qui cum Mamuto de finibus conſtitueret. Veris medio Islanum convenere; ſic pagum vocant agri Jadertini, viginti ferme millia paſſuum ab Jadera. Erant cum Mamuto ad quinque hominum millia, milites Boſnenſibus permiſti; itidemque proceres aliquot & ſacrificuli. Nanius millia admodum tria militum ſecum adduxerat; tum, præter duces copiarum alios, Grimaldum, ac præfectos Jaderæ & Cliſſæ, Albertum Magnum & Jo. Jacobum Farſettum: triremes quoque duæ & biremes octo in-

Qui invidiā auget in Venetos.

At per Viſſirium cōvenit de ratione diſceptādi amice.

Veneti gentem inquietam, Aiduccos, alio transferūt.

Baptiſtam Nanium deſtinant ad diſceptandū de finibus.

invectæ ſinum Novigradi in proximo conſtiterant. Principio ſtatim haudquaquam modice diſſidebatur. Placebat Mamuto, primum omnium pangi fines Novigradi. Cum æquum eſſe Nanius diceret, diſceptari prius de arcibus & caſtellis, quæ Veneti capta bello evertiſſent: *nihil quidem*, inquit Turca, *ad iſthæc opus eſt diſceptatione: Novigradi, Saxi, & Cliſſæ, quæ oppida adempta nobis jure belli habetis, terminandæ finibus ſuis regiones ſunt; in reliquis obſervari oportet fines antiquos.* Memorabat autem, *nec Venetos arces illas unquam tenuiſſe præſidiis; & Turcas ſubinde incurſantes, poſſeſſionem agrorum quovis tempore turbaſſe.* Contra tueri cauſam arcium Nanius, præſertim poſſeſſione agrorum, quos poſt arces captas ſemper coluiſſent Veneti: *ſi liberet interpretari, per excurſiones crebras adeo dubiam poſſeſſionem factam a Turcis, ut ſibi hoc nomine tunc adjudicarent; jus profecto Venetis eſſe repetendi tractum ingentem regionis ultra fines, de quibus ambigeretur, quam multo crebrius incurſantes ipſi, pulſis cultoribus, omni belli clade evaſtaſſent; arces vero non viſum fuiſſe cuſtodire milite, quod ad regionem obtinendam ſatis eſſet, ſi anguſtos vicinorum montium aditus parvis præſidiis inſiderent.* Neutro concedente, abitum re infecta ex colloquio eſt. Nihilominus indicia nonnulla erant, Mamutum, qui diſſolvere, quæ ab Nanio afferebantur, non poſſet, paſſurum denique fieri quæ hic poſtularet. Veruntamen obſtitere principes populorum, qui juxta colunt, ſeditioſo clamore minitantes, accuſaturos ſe apud regem, ſi penes Venetos poſſeſſionem locorum eorum ſineret eſſe. Cum ergo perſtaret Turca in ſententia: pluribus colloquiis fruſtra habitis, cernens Nanius nequicquam ſe contra tendere; quia periculoſum videbatur controverſias cum Turcis longius ducere, remiſit demum: fineſque ad Novigradum determinati ſunt, qui fuerant ante bellum. De agro Jadertino facile convenit; niſi quod levis alicubi altercatio incidebat, intercipere conantibus Turcis, ſi quid ſoli lætioris extremo in agro eliceret cupiditatem; affirman-

Margin notes: 1671. — *Contentio de finibus Novigradi.* — *Concedit Venetus.*

1671\. mando id eſſe intra fines ſuos, mendacio probabili, quod maceriam, arbores, & ſaxa, quibus regiones diſterminabantur, locis nonnullis vetuſtas conſumpſerat. Ventum inde in agrum Sicenſem; cujus partem maximam, eandemque meliorem itidem dolo malo ſubtrahebant. Diu tenuit certamen: quod ſuſtulit poſtremo Nanius, prolatis tabulis antiquis, quæ fraudem manifeſto arguerent. Vallis modo S. Danielis reſtabat, ad meridiem poſita, regio amœna in primis & ferax frugum: quam ut adimeret Mamutus, vindicabat ſibi parvam arcem ultra vallem, Varpoliam nomine, mediam ferme inter Sicum & Tragurium. Everſam ab Venetis occuparant Turcæ, cum accederent ad Sicum oppugnandum; mox ab Sico abſcedentes, deſeruerant. Venerat ad id Muſtapha Baſſa Chulmiæ, privata utilitate permotus. Agros nanque poſſidebat in proximo; quibus, ſi Mamuto res ſuccederet, aliquid de valle ſe adjecturum ſperaret. Tum vero Nanius repugnare, querique *cupiditati modum non fieri: non aliam profecto ob cauſam ab eo vindicari arcem, niſi quia hac vallem traheret; vallem autem appeti propter unam ſoli bonitatem*. Sed pudore potentior avaritia erat. Inſtigante Muſtapha, cum Mamutus nihilominus arcem ſibi attribueret; provocaretque fruſtra Nanius ad antiqua monumenta: dilata in aliud tempus res eſt; ac miſſum interim Conſtantinopolim exemplar tabularum, quibus Nanius ad jus obtinendum nitebatur; ut, iis inſpectis, collatiſque cum tabulis, quæ ibi etiam aſſervarentur; quid fieri vellet, rex imperaret. Dum reſponſum expectant, morbo extinguitur Mamutus. Poſt aliquanto in locum ejus deſtinatur Cuſſeimus Baſſa, regiorum equorum magiſter, ex ſorore Heibrahimi regis natus; facta poteſtate libera ſtatuendi cum de locis aliis, tum de Varpolia. Veniens hic in colloquium, poſtquam & Nanius permanebat in ſententia retinendi arcem vallemque, & tabulæ nihil ambigue Turcis adverſabantur; habendam utramque conceſſit Venetis. Ad Tragurium nulla

Contentio aſia de Valle S. Danielis;

& Varpoliæ.

Demum utraque adjudicatur Veneto.

nulla diſceptatio fuit, ubi nihil mutaſſet bellum: incolis 1671. manſit incolume jus redituum ex terris, quas poſſidebant in pagis ſexdecim ditionis Turcicæ; quod pactum fuerat ante annos plus centum. Agrum dari oportebat Cliſſæ & Saxo. Dabat Turca; ſed peranguſtum, & qui ab parte nulla Venetos contingeret fines. Diu multumque connixus Nanius pervicit, ut regio omnis ab arce utraque uſque ad mare, Venetorum eſſet: itidem uti haberent Veneti Salonam, & flumen quo alluitur oppidum. De Rhyzinio, inutilem poſſeſſionem ratus loci ignobilis & aſperi, minus tetendit. Agri ad Aſcrivium fines iidem, qui antequam bellaretur, ſervati. Ita confecta provincia, Nanius rediit Venetias: retulitque in ærarium millia aliquot aureorum, reliquum ex pecunia, quam in ſumptum legationis ejus Senatus attribuerat. Tum fit ſ. c. ut, quantum ſatis eſſet militum ad tutandas præſidio urbes arceſque, retento, copiæ cæteræ dimitterentur: utque ne plus viginti triremes, naves ſex celſiores, & quinqueremes duæ inſtructæ haberentur; cui claſſi Antonius Bernardus præeſſet: naves reliquas placuit ſubduci, & in navalibus collocari. Depoſitis belli curis, patres jam occurrebant incommodis, quibus ærarium laboraret. Ad ſumptus, quos ingentes poſtulabat bellum, ſuſtinendos, acceperat Civitas a privatis pecunias ea primum condicione, ut centeſimas quaternas, quinaſve, deinde ut ſenas etiam aut ſeptenas annuas penderet. Qui autem pecunias ita dediſſent, ut ipſis mortuis ſors cederet Civitati; his denæ & quaternæ pendebantur. Cum uſuris pernumerandis annui reditus non ſufficerent; cumulatum iis, quod debebatur ſortis nomine, creverat immodice. Alias quoque contraxerant æs alienum: quod tamen nec fuerat tam grave propter minus diuturna bella; & facultatem diſſolvendi non una præbuerant. Nam & quod in ſanctiore ærario tunc aſſervabatur aurum atque argentum ſignatum infectumque, depromptum; & ex bonis quibuſdam publicis divenditis pecu-

Secundum Nanii poſtulata ager aſſignatur Cliſſa & Saxo.

De Rhyzinio remittit Nanius:

revertitur Venetias.

Æs alienū grave factum per bellum,

cumulatum uſuris.

1671. niæ multum confectum ; & novorum tributorum oneribus ferendis populi erant . Nunc quoniam his opportunitatibus carebat magna ex parte reſp. : patres remedia quærentes , quæ adhibita nihil imminuerent publicam fidem ; novum magiſtratum creaverunt , cujus eſſet rationem inquirere , qua liberarentur ære alieno . Lecti IIIviri Petrus Baſadonna eques & Marcius procurator , M. Antonius Juſtinianus , & Aloyſius Sagredus equites . His, alia afferentibus aliis , viſum eſt non contemnendum conſilium , ut ſors minueretur , nullo damno eorum , qui fœnerati eſſent . Etenim cum ea minoris vulgo fieret , quod uſuræ perciperentur in dies difficilius , itaque plurimi vili pretio ſuam vendidiſſent : percommodum fore oſtendebant , ſi emptoribus pro pretio duntaxat emptionis penderentur uſuræ . Hac de re IIIviris referentibus ad Senatum , improbarunt patres ; ut quibus honeſti potior quam utilis cura eſſet : neque enim licere Civitati ex alieno incommodo , cujus ipſa , creditoribus non ſatisfaciendo , cauſa fuiſſet , compendium ſuum quærere . Plura inde meditati in id IIIviri , poſt aliquanto legem tulerunt , pertuleruntque ; ut debitæ uſuræ ſorti accederent ; proque ita aucto capite ternas redderent centeſimas annuas ; ut qui ſic fœnerati eſſent , ut morientibus ipſis ſors extingueretur , hi & hæredes , uſque dum ea reſtitueretur , centeſimas annuas ternas acciperent ; uſuræ autem iiſdem non penſæ caput conſtituerent , quod pareret centeſimas annuas binas . Ut aſſentiretur Senatus , illud effecit , quod , ratione ſubducta , apparebat , non ſolum uſuris pernumerandis ſuffecturos annuos Civitatis reditus , ſed etiam ſuperfore , unde non longo
1672. tempore ſors redderetur . Urbana hac cura defunctis patribus inſpici placuit , quod per bellum factum diu non fuerat , res continentis ab IIIviris quæſitoribus . Delecti M. Antonius Juſtinianus , Hieronymus Cornelius equites , & Michael Foſcarenus . Cornelio , cui ſexdecim poſt menſibus Carnos provinciam decreverunt , ſuffici-
tur

Æris exſolvendi cauſa creati IIIviri.

Initur ratio, qua civitas ære alieno liberaretur.

IIIviri Quæſitores miſſi in continentem.

tur Antonius Barbadicus. Hi oppida arceſque continen- 1672.
tis obeuntes, multa ubique ſancivere ſalubriter, ut ju-
ſto imperio regerentur populi; ab humilioribus arceren-
tur injuriæ potentiorum; perſecarenturque fraudes, qui-
bus vectigalia publica dilaberentur. Quadriennio poſt, il-
lata in ærarium vi pecuniæ veteris, quam a debitoribus
exegerant, abierunt magiſtratu. Inſequenti anno Corcy- 1673.
ræ laboratum peſtilentia eſt. Et metus ingens inceſſe- *Peſtilentia Corcyræ.*
rat, ne in claſſem, Illyricumque, atque Hiſtriam ſer-
peret morbus. Quapropter Andreæ Valerio maritimarum
copiarum tunc præfecto, & Petro Civrano, cujus erat
provincia Illyricum, claſſis & Illyrici commendata cu-
ſtodia: in Hiſtros autem miſſus Bernardus Gradonicus.
Brevi tamen diligentia Valerii Corcyra inſula atque op- *Tollitur cura Andreæ Valerii.*
pido emota labe, timor omnis animis deceſſit. Eodem
tempore legatus regis Moſchorum venit Venetias. Lite- *Legatio regis Moſchorum ad Venetos, de auxilio ferendo Polonis.*
ras afferebat, quibus rex magnopere hortabatur Sena-
tum, *ut Polonis contra Turcas ferret auxilium*. Oratione
ipſe adjuvabat; oſtendebatque, *ut Turcæ injuſto bello Polo-
nos urgerent, jamque iis cum alia multa, tum Cameneciam ad-
emiſſent. Decreviſse regem ſuum, qui proximus ab oppreſſis eſ-
ſet, priuſquam prorſus opprimerentur, bellum Turcis inferre.
Scire eum, quam intereſset Venetæ reip. horum potentiam non
creſcere. Ergo mitteret legatos, quibuſcum conſilia conſociaret
belli: ſimul daret operam, ut Europæ reges ponerent inter ſe
odia, conjunctaſque vires in communem Chriſtiani nominis ho-
ſtem verterent*. Patres vix relevati bello diutino, cum in-
ſuper noſſent, Moſchorum, gentis inſtabilis inconditæque,
omnem ferociam in verbis plerunque, non in factis eſ-
ſe; nec ſatis crederent ſyncere agi, propter certamina
perpetua eorum cum Polonis; reſponderunt legato: *& Reſponſum Senatus.*
*permoleſta eſse ſenatui, quæ adverſa Polonis accidiſsent; & re-
gem laudare, qui ſtatuiſset laborantibus opitulari: ſe ſe votis
omnibus expoſcere, ut quæ incæpturus deinde eſset, bene feli-
citerque evenirent*. Habitus comiter liberaliterque legatus
dies aliquot Venetiis, Romam cum iiſdem fere manda-
tis

Digitized by Google

1673. tis profectus eſt. Sed præterquamquod nihil illorum, quæ petebat, impetravit a Pontifice; etiam non ſine aliqua animi acerbitate diſceſſit, quod Moſchorum regem recuſaſſet Cæſarem appellare. Cæterum promiſſis dumtaxat rex magnificus, nulla re Polonos adjuvit: qui tamen ſtetere opibus ſuis, maxime nixi virtute Joannis Sobieſchi. Is regni copiarum imperator rebellantes Coſaccos, unde potiſſimum extiterat Turcicum bellum, compreſſerat, expuleratque Tartaros Palatinatu Braklaviæ; Turcas quoque in Ruſſia Nigra biennio ante fuderat. Hoc autem anno in finibus Moldaviæ ad Tyram fluvium cum Turcis denuo congreſſus, triduum perpetuum cum tenuiſſet pugna, victoria potitus ingenti eſt; amplius triginta millibus cæſis. Et, mortuo per eos dies Michaele Coributho, concordi ſuffragatione creatur ipſe rex. Inde prœliis pluribus cum Turcis Tartariſque proſpere factis, triennio poſt quam cœperat regnare, pacem cum illis compoſuit honeſtam utilemque reip.. Nam pleraque adempta recepit: tributoque, quod Michael rex, neceſſitate compulſus, Turcis ferendum pactus erat, liberavit Polonos. Anno eodem inter alios, quos Pontifex Cardinales crearat, fuit etiam Petrus Baſadonna, eques & Marcius procurator, rerum peritia ſummus in Civitate. Orator fuerat Romæ; atque in ea legatione raræ virtutis ſpecimen dederat. In templo D. Marci Nicolaus Maurocenus Conſiliarius, Principis ægrotantis vice functus, dignitatis inſignia impoſuit. An-

Michael Coributhus obit. Rex ſufficitur Jo: Sobieſchus.

Petrus Baſadonna creatur Cardinalis.

1674. no qui ſequitur, diſſidium exarſit Romæ inter Cardinalem Alterium, & legatos regum. Cardinalis hic promulgari edictum voluerat ærario utile: ut quæ ſerica & lanea ab regionibus externis importarentur in urbem, pro iis, pretio æſtimato, vectigal penderetur, ternæ centeſimæ. Cavebatur diſerte ne quis oneris ejus immunis eſſet, quamvis Baro, Dux, legatus regius, Epiſcopus, Cardinalis: ſi quis contra feciſſet, ut præter mercium publicationem, pecunia, & pœna corporis mul-

Oritur Romæ diſſidiũ inter Card. Alterium, & regum legatos, cauſa novi edicti.

ctare-

1674.

ctaretur. Concitavit iſtiuſmodi edictum legatos; Cæſaris, Federicum Landgravium Haſſiæ Cardinalem; Galliæ regis, Annibalem Ducem Eſtræum; regis Hiſpaniæ, Everardum Nitardum Cardinalem; Venetorum autem, Petrum Mocenicum equitem. Perindignum videbatur, *ſe contra jus legatorum lege comprehenſos: tentari profecto patientiam; ut, ſi injuriam taciti ferrent, immunitate prorſus abrogata, legati regum ipſi in ordinem redigerentur.* Collatis igitur in commune conſiliis, acriter obviam ire: conquerique primum apud Pontificem, deinde apud Cardinales Ordinum magiſtros, illorum operam requirentes, ut ex edicto, quidquid pertineret ad legatos, ſtatim tolleretur, ſimul ab Cardinali Alterio de honore violato ſatisfieret. Diu is, quia grave erat mutare, per artes alias atque alias eluſit; itemque tenuit ut eluderet Pontifex. Per internuncios quoque arguere apud reges non dubitavit legatos; quod abutentes immunitate, vectigalia publica haud paulo deteriora redderent, jactura magna ærarii. Obſtinate certatum utrinque: variæ fruſtra initæ rei componendæ viæ: moleſtia interim non una allata Pontifici eſt. Has denique condiciones adprobavit primus omnium legatus Hiſpanus, cui imperarat poſtea rex, modo honeſte liceret, a concordia ne eſſet alienus: ut edictum, quatenus referretur ad legatos regios, reſcinderetur; ac reſcindendi decretum vulgo proponeretur typis impreſſum: Cardinalis autem Alterius unumquemque legatorum adiret, teſtareturque cultum ſuum erga ſingulorum reges, & obſervantiam erga ipſos: ſimul ſignificaret, quæ accidiſſent, permoleſta ſibi eſſe cauſa eorum; præfectumque ærarii, affirmaret, quamprimum, de quo quererentur, coram purgaturum. Landgravium traxit Nitardus; continuo Mocenicum etiam, qui mandata ab Senatu accepiſſet, ut horum exemplum ſequeretur. Detrectavit Eſtræus, alia inſuper prælata offenſione: quod in creandis Cardinalibus (ſex inter turbas eas pronunciati fuerant) rationem illorum non habuiſ-

Querela legatorum.

Diu certamen tenet.

Demũ diſſidium tollitur certis condicionibus,

quas unus reſpuit legatus Gallus.

1674. habuiſſet Pontifex, quos reges nominatim commendarant: habiturum vero, cum promiſiſſe, ajebat. Neque iram diſſimulavit rex: juſſit enim Eſtræum non intereſſe, quo publice legati alii convenirent, omninoque ad Pontificem non accedere; interdicto etiam Cardinalibus Gallis commercio quovis cum iis, quos poſtremo Cardinales creaſſet. Et haud mitigatus dolor eſt, vivo Clemente.

Dominici Contareni mors: cui ſuccedit Nic. Sagredus.

Civitatum ad eum legationes.

Moritur hoc anno Venetiis, mœrore inſigni civium, Dominicus Contarenus Princeps, adæquata ubique animo dignitate: ſuccedit autem Nicolaus Sagredus, eques & procurator Marcius; cui & domi optime geſti magiſtratus, & foris legationes ad reges obitæ cum ſplendore ſuffragabantur. Quod belli cauſa intermiſſum diu fuerat, tunc recreatis pace rebus, Civitates miſerunt publice Venetias legatos gratulatum Sagredo Principatum.

Olciniatæ prædones mulctati.

Eodem anno dedere tandem pœnas piratæ Illyrii atque Albanenſes, qui ex multo jam tempore impune maritimam Italiæ oram infeſtam latrociniis faciebant. Quanquam enim præfecti navium Venetarum in occaſionem quamlibet opprimendi intenti erant: plerunque tamen illi fruſtrabantur levioribus & ad id fabrefactis navigiis. At opera Jacobi Quirini equitis, ad regem Turcarum legati, damnum magnum repente ſubierunt. Hic ſæpius apud principem Viſſiriorum queſtus, contra pacis condiciones foveri piratas; edictum regis impetravit, ut piratica navigia, quæ eſſent in portubus Turcarum, incenderentur. Et cum alibi plurima flammis illico abſumpta; tum Olciniatarum biremes duodecim nuper ædificatæ, priuſquam deducerentur, curante Petro Civrano Illyrici præfecto, crematæ ſunt.

Bellum inter reges Chriſtianos.

Cauſa.

Inter hæc armis inter ſe contendebant Chriſtiani reges ferme omnes. Armorum eorum caſus viſum perſtringere breviter ad locum hunc, ubi primum externæ res attingunt denuo Venetas parte aliqua. Alte animo Galliæ regis ira inſederat in Belgas; qui bello gravi, quod adverſus eos ſuſceperant Britanni, beneficio ſuo liberati, male

male gratiam retuliſſent. Belgæ iidem poſtea magis accenderant, multis ſuperbe ac contemptim in regem dictis ſcripriſque. Ultionis ergo cupidus, tentare non deſtitit ſimul Carolum regem Britanniæ, ob condiciones pacis non ſemel violatas Belgis tacite infenſum; ſimul Monaſterienſem Epiſcopum, & Archiepiſcopum Colonienſem, quos præter inſitum odium in Heterodoxos ſpes proferendi ſua incitabat; donec quadriennio poſt icto cum his fœdere, bellum indixit. Ac geſtum initio eſt ea fortuna, ut quivis facile crederet, perbrevis ævi imperium Belgarum fore. Vi magna copiarum rex ipſe ingreſſus fines, late ſtatim fuſo terrore, exiguo tempore oppida plurima, quæ ſingula exercitus ingentes antea fatigarant, mirando ſucceſſu rerum cepit; inter alia Veſaliam, Burichum, Orſoyum, Emmericum, Rhenobergam, Duisburgum, Ultrajectum, Zutphaniam, Arnhemium, Noviomagum, Graviam. Inde Hollandiæ prope jam imminens, tantum pavoris Amſtelodami fecit, ut interdum Civitas de cunctis ſuis dedendis cogitaret. Ventum eſt ad illud extremum atque ultimum, ut mare aggeribus interſciſſis inducerent, agroſque inundarent. Nihilominus fama fertur, ſi ex eo impetu nihil remiſiſſet Ludovicus, debellari propediem potuiſſe. Verum ſeu victoria uti neſcivit, ſeu vidit difficultates, quæ aliis non apparerent; abſiſtens interea incœpto, Luteriam revertit: eaque res ſalutem attulit Belgis, dato ſpatio ad recipiendum animum, & ſocios parandos. Tametſi autem regione alia Monaſterienſis Epiſcopus, & Archiepiſcopus Colonienſis haud ſegniter bellum gerebant: commiſſum tamen paulo poſt mari certamen, non procul littoribus Britanniæ, inter Belgarum naves, & junctas claſſes Gallorum ac Britannorum, neutram in partem ſatis certo eventu, pro præſenti fortuna, loco victoriæ Civitatibus fuit. Ex eo tum deſperare ipſæ de rep. deſiere; tum Cæſar, atque Elector Brandeburgicus agere cum rege Daniæ & Ducibus Luneburgi cœperunt de

1674.

Oppida multa de Belgis capiunt Galli.

Prælium navale exitu incerto.

Fœdus Cæſaris cum El. Brande.

1674.

burgico, rege Daniæ, & Ducibus Luneburgi.

de fœdere, ad ſua defendenda adverſus creſcentes opes Gallorum: id quod profore etiam Belgis ſatis conſtabat. Et ab Cæſare ac Brandeburgico approperatum adeo, ut ante exitum anni copiarum aliquantum collectum haberent ad Rhenum flumen. Anno qui inſecutus eſt, conatus Sveciæ rex pacem componere. Atque obtinuit,

Fruſtra agitur de pace Col. Agrippinæ.

ut haberetur concilium legatorum Coloniæ Agrippinæ. Sed poſtquam, ſive quod victor iniqua a Belgis poſtulabat, ſive quia Belgæ ipſi fiducia auxiliorum extulerant animos; vana de condicionibus diſceptatio erat:

Trajectum expugnant Galli.

adorti Galli urbem permunitam, Trajectum ad Moſam, tredecim intra dies expugnant. Eodem tempore cum exercitu alio in terras Electoris Brandeburgici Mareſchallus Turennius mittitur, qui eum reſpectu rerum ſuarum a ferenda Belgis ope averteret. Alibi quoque miſcuit multa Ludovicus; formidine paſſim incuſſa retardaturus, quos pro Belgis ſumpturos arma providebat. Veruntamen quo magis oſtendebatur potentia, hoc illi citius magnitudine permoti diſcriminis occurrerunt.

Cæſar fœdus facit cum Hiſpanis, & Belgis contra Gallos.

Cæſar cum rege Hiſpaniæ, mox cum Civitatibus Belgarum juncto fœdere, facile tenuit, ut in Ratisbonenſibus comitiis bellum Gallis indiceretur. Hanc inde utilitatem primam perceperunt Belgæ, quod poſt navalem pugnam alteram cum Gallis & Britannis, ambigua licet victoria, uſi pacificatoribus Hiſpanis, in amicitiam redierunt cum rege Britanniæ. Haud multo poſt hujus exemplo atque hortatu, Epiſcopus Monaſterienſis, & Colonienſis Archiepiſcopus pacem cum iiſdem fecere; ut moles jam omnis belli in unos Gallos verteretur. Rex, præterquamquod cernebat, magno ſibi opus conatu eſſe ad reſiſtendum Germanis atque Hiſpanis; injuria etiam accenſus, quod juſſu Cæſaris Princeps Gulielmus Furſtembergius, qui Galliæ rebus impenſe ſtuderet, in urbe Colonia Agrippina fraude captus, Bonnæ cuſtodia aſ-

Galli decedunt Belgarum oppi-

ſervabatur: rationem belli mutavit. Trajecto ad Moſam, & Gravia retentis; oppidis cæteris quæ ceperat de Belgis, mili-

militari inſtrumento illinc prius aſportato, coactiſque 1674.
incolis vim pecuniæ pernumerare, deducit præſidia. *dis prope omnibus.*
Tum vires prope univerſas in novos hoſtes intendit.
Nec deinde pœnituit conſilii. Helvetiis nanque cum perſuaſiſſet, ut certamina hæc quieti ſpectarent: Dola &
Veſontione parvo labore expugnatis, Burgundiæ Comi- *Burgundiæ Comitatum*
tatum omnem ſui juris fecit. Continuo nequicquam ex- *occupant:*
pertus ſi poſſet ad partes ſuas trahere Electorem Palatinum, cujus ſororem in matrimonio habebat Dux Aurelianenſis frater; irrumpere in ejus terras Turennium *Terras va-*
jubet: qui regionem vaſtare ante non deſtitit, quam iræ *ſtant El.*
exercendæ defuit materia. Brandeburgicum ſimul Electo- *Palatini.* *Concitant*
rem, hoſtem in primis gravem, ſuo proprio occupavit *Svecos in Brandebur-*
bello; cum ſpe utilitatum aliarum, tum grandi pecunia *gicum.*
inducto Sveciæ rege, ut arma inferret. Quæ res tamen ſtetit huic poſtmodum damno ingenti: etenim ſuper auxilia Belgarum, coorti Daniæ rex, Brunſvicenſis Dux, ac Luneburgenſis, Epiſcopus etiam Monaſterienſis, pugnis aliquot proſpere commiſſis, arces Pomeraniæ & Bremenſis tractus, præter alia magni momenti oppida, ademerunt. In Belgio quoque (alibi enim res utrinque quadam vice penſatæ) ubi Cæſar ſociique ejus plus poterant,
affuit fortuna Gallis. Nam Gulielmus quidem Auriacus, *Gul. Au-*
imperator copiarum Belgicarum, Graviam, quo plera- *riacus Graviam recu-*
que ablata ex urbibus aliis congeſta fuerant, cum tres per- *perat.*
petuos menſes oppugnaſſet, recuperavit. At illi ſuperquamquod terras hoſtium fecerunt belli ſedem; quamvis
haud paulo inferiores magnitudine exercitus, Principe *Galli ſupe-*
Condæo duce auſi acie congredi, prœlio etiam ſuperiores *rant prœlio Hiſpanos.*
fuere. Nihil tamen æque turbavit Hiſpanos, atque repentina Meſſanæ in Sicilia defectio. Antiqua Civitati jura, *Siciliæ de-*
atque immunitates erant, diligenter cuſtoditæ. Immi- *fectio ſubla-*
nuere videbantur Hiſpani, imperatis tributis novis: Meſ- *ta.* *Cauſa.*
ſanenſibus autem detrectantibus, cum vi extorquere non dubitaſſent, irritaverunt animos: jamque urbe tota coitiones fiebant, foventibus maxime nobilibus, ut onera

nuper

1674. nuper impoſita non laturam moderate multitudinem appareret. Quo tumultum ſe facile compreſſuros putabant regii, eo, ut in apertam erumperet ſeditionem, effecerunt. Cum enim conſilium cepiſſent condendi in carcerem principes aliquot civitatis, rati quieturos alios ducibus deſtitutos; nec res ſucceſſiſſet: adeo viſum id indignum, ut armis ſtatim arreptis, præceps populus furore, exactos urbe cogeret in arcem ſe recipere. Qui ita rebellaſſent, veniam deſperantes, confugerunt ad auxilium Gallorum. Nec ferre rex cunctatus; ſex majoris

Meſſanēſes confugiunt ad opē Gallorum.

1675. formæ navibus, milite, commeatu, omnique bellico refertis inſtrumento, Meſſanam miſſis: quibus viribus expugnata eſt arx S. Salvatoris. Ex hoc Meſſanæ motu, cum timeretur nihil minus, moleſtiæ aliquid exortum Venetis. Vehementer metuentes Hiſpani, ne, auctis in Sicilia copiis Gallorum, urbes aliæ ad hos deficerent: quando, eorundem claſſe mare Inferum obtinente, libere ſubſidia nequibant ex Hiſpania illuc trajicere, placuit militum millia ſex conſcribi raptim in Germania; quæ in Hiſtriam deducta, Supero mari in regnum Neapolitanum, inde in Siciliam tranſportarentur. Ac primo quidem pars Tergeſte, atque ab locis oræ ejus aliis, Aternum, ita ut nemo adverteret, tranſvecti. Sed poſtmodo orator regis Hiſpaniæ apud Venetos, Gaſpar Tebes Fuentanus, cura nimia feſtinandi rem ipſe impediit.

Hiſpanorum cum Venetis diſſidiū, cauſa trajectus Germanorū militum ex Hiſtris in Italiam.

Dum nanque anxius in urbe navigia conducit mercede; re vulgata, qui a ſecretis erat oratoris Galli abſentis illico adit ad patres; queſtuſque hoſtibus regis ſui patere Adriaticum mare, magnopere petit, *ut pro mutua amicitia extemplo intercluderent, ne forte in hanc neceſſitatem adducerent eum, ut mitteret claſſem ex Provincia ad prohibendum.* Id ubi reſcivit Fuentanus, Senatum inſtitit rogare,

Gallus orator petit a Senatu, ne patiatur milites eos trajicere.

ut, cum milites Hiſpaniæ regis iter aliud haberent nullum expeditius, tranſmittere ſupero mari in Neapolitanas terras pateretur. Patres, qui vererentur ne Siciliæ tumultus initium eſſet turbandæ Italiæ omnis; impenſe quidem cupie-

Hiſpanus facultatem trajiciendi petit.

Digitized by Google

piebant, quamprimum ab Hiſpanis ſedari. At movebant 1675.
non una, ut negarent militum tranſitum. Nam & imminui jus Veneto in Adriaticum videbatur, ſi externi milites armati eo mari trajicerent; & multo magis offici cernebant dignitati ſuæ, ſi, quod jam minitarentur Galli, inductis penitus in ſinum navibus, ante littora ipſa Venetiarum committerent bellum. Ad hæc, injecta ab rege Britanniæ mentione pacis, finitoque loco (Noviomagum elegerant) quo legati regum convenirent; cum Senatus operam pollicitus ſuam eſſet, illi autem pacificatore ipſo, ut Monaſterii fuerat factum, libenter ſe uſuros affirmaſſent: conſtabat utique cavendum ne pro parte altera gratificando ſuſpectus alteri fieret. Itaque oratori Hiſpano redditur reſponſum: *quoniam civitas curam ſuſcepiſſet reconcilianda pacis inter reges, nihil minus convenire, quam favere ipſam Hiſpanis in eo, quod haud injuria Galli odio in ſe conceſſum interpretarentur.* Uno tempore imperatum Hieronymo Naugerio Adriatici ſinus præfecto, *ut ad triremes, quas habebat, biremium, quantum ſatis videretur, adjiceret; curaretque ne quod navigium onuſtum milite ex Hiſtria in Italiam tranſiret: ſi in aliquod incidiſſet, redire ſubigeret in Hiſtriam; ibique, qua commodius eſſet, milites exponi.* Verum perſtare nihilominus in incœpto orator Hiſpanus. Et quando ſæpius poſtulando nihil apud patres proficiebat; palam de diſceſſu ſuo in Hiſtriam iis præmonitis, Tergeſte tranſgreditur. Commentus illic vana, factam ſibi ab Senatu facultatem trajiciendorum militum, ad quadringentos, nequicquam reluctantibus ducibus ac nautis, in tres myoparones imponit. Non inde procul obviam factus Naugerius retro compulit; coegitque in proximam Hiſtriæ oram milites exſcendere. Tum orator ira percitus, datis Tergeſte literis ad Cæſarem & Hiſpaniæ regem, acriter de facto Venetorum conqueritur; additque etiam nonnulla criminoſe: inter alia, myoparonem unum ab triremibus Naugerii demerſum; neque ab urbe ipſa Tergeſte vim eum abſtinuiſſe.

Denegant patres oratori Hiſpano:

qui nihilominus petit Tergeſte, ut trajectum urgeat.

Prohibet Hieronymus Naugerius.

Ira oratoris, & criminationes apud Cæſ. & regē Hiſpaniæ.

1675. ſe. Reverſus mox Venetias, aditis ſcripto patribus, contendebat, ut pœna afficeretur Naugerius; ut factæ damna impenſæ ſarcirentur; utque Hiſpani libera militis trajectio eſſet.

Iisdem Ambroſii Spinulæ.

Erat tunc Viennæ Hiſpanus orator Ambroſius Spinula. Is & cauſa regis propter periculum Siciliæ, & ſua, quod ad eum conducendum militem contulerat ipſe pecuniam, indignatione accenſus, omnem artem adhibuit, ut odium regis ac Cæſaris in Venetos concitaret. *Læta his eſſe*, dictitabat, *quæ adverſa Hiſpanis accidiſſent Meſſanæ: propterea mitti militem in Siciliam ad turbas compeſcendas nolle. Si cui dubium antea fuiſſet, ab utris ſtarent; tunc profecto declaratum, cum feciſſent pro Gallis, quæ a bello aperto vix abeſſent. In tempore indicaſſe voluntatem: quales nanque pacificatores fuiſſe futuros, qui tam impotenter ſtudio partium agerentur?* Principio afflicta hæc Cæſarem atque

Obviã eunt Veneti per oratores ſuos.

Hiſpaniæ regem nonnihil commoverant. Ubi Senatus Viennæ per Franciſcum Michaelium, Madriti per Hieronymum Zenum, oratores ſuos, rem ut acta fuiſſet, & rationem conſilii ſui expoſuit: non viſa ſolum molliri ira, ſed etiam quædam ſecuta, quæ fidem affirma-

Accipit primo excuſationem Cæſar, & rex Hiſpaniæ.

rent amicitiæ priſtinæ nihil imminutæ. Etenim tum Cæſar præferebat curam ſuſtinendi cauſam Civitatis apud regem Hiſpaniæ: tum rex ipſe Hiſpaniæ & Fuentano oratorem deinde ſuffecit Antonium Mendozam de Villa Garzia; & cum alieni arbitrii eſſe per ætatem deſiiſſet, literas benevolentiæ plenas dedit ad Senatum, quibus acceſſiſſe ſe ad regni gubernacula ſignificabat. Verum

Deinde reſpuunt Nanium deſtinatum a Senatu ad pacificandum.

haud ita multo poſt, maturo jam tempore mittendi Noviomagum legatos de pace, cum Senatus Baptiſtam Nanium equitem & procuratorem Marcium illuc deſtinaſſet; offenſionis nondum obliteratæ indicia apparuere. Primo enim orator Hiſpanus, mox Abbas Federicius, Cæſaris miniſter, ſcripto monuerunt patres, *neque regi Hiſpaniæ, neque Cæſari legationem probari, quam decrevissent: aliud in præſentia prævertendum eſſe, quod ad injuriam pertineret in Adriatico mari illatam.*

Crimen Na-

Inde diſſeminatis ſermonibus,

bus, propric Nanio adverſis, arguebant, *nemini omnium minus, quam Nanio fuiſſe pacificationem demandandam; qui in Venetis Annalibus ab ſe conſcriptis inclinatum animum in Galliæ regem, ab Auſtria gente alienum, paſſim prodidiſſet.* Mirum erat Senatui, de eo, quod ſe auctore feciſſet Naugerius, iterum expoſtulari; cum recte cognita res defenderet ipſa ſe. Quod autem Nanio vertebatur crimini, commentum ineptum videbatur, & maligne interpretantium. *Semel atque iterum legatione functum apud Cæſarem, non ſolum eo nomine ſuſpectum nunquam fuiſſe, ſed etiam integritatis & prudentiæ laudem collegiſſe ſingularem. Secutum in ſcribendo legem Hiſtoriæ, & voluntatem civitatis, quæ procul ira & ſtudio veritatem unam fidemque ab iis requireret, quibus injungeret negotium grave. Cæterum monumenta hiſtoriarum reperiri nulla adeo incorrupta, ut, cui libeat calumniari, non facile ſit in ejuſmodi invidiam odii vel amoris ſcribentem trahere.* His atque talibus cum juſſu patrum tuerentur factum Michaelius & Zenus; diluxit paulatim quod ſuberat. In ſpeciem hæ cauſæ objiciebantur ab Hiſpanis, quia differri in aliud tempus pacem volebant. Aucto in dies ab fœderatis numero copiarum, ſpem magnam ceperant fore ut, quo diutius gereretur bellum, hoc in meliore fortuna paciſcerentur cum Gallis. Nec tantum cum Venetis obtendebant diſſidium; ſed etiam undique arripiebant quidquid credi juſta moræ excuſatio poſſet. Poſtquam huc eſt ventum, ut miniſtri condicionem proponerent Zeno, deleturum prorſus ex animo regem præteritorum memoriam, ſi ſecum fœdus faceret Civitas ad ea, quæ ipſe in Italia poſſideret, defendenda: certi patres ad arma illa non accedere, imperant Zeno eidem, ut teſtatus regi benevolentiam obſervantiamque Senatus, de fœdere iſtiuſmodi nihil reſponderet; omninoque mentionem omitteret offenſionis quæ jactabatur. Et tenuere Hiſpani, quo intenderant conſilia, ne tunc pax fieret. Continuatum nanque eſt bellum; nec niſi triennio poſt depoſitum. Inter hæc Vene-

1675.

... nio ipſi obiiciunt.

Diluit Senatus.

Hiſpani bellum praeoptant.

Petunt a Venetis, ut ſecum fœdus faciant.

Senatus abnuit.

Digitized by Google

1675. tiis exceſſerat e vivis Nicolaus Sagredus Princeps.

Obit Nicolaus Sagredus Princeps.

Dignitatem quatuor petebant, avitæ nobilitatis ſplendore, & rebus domi foriſque geſtis illuſtres: Baptiſta Nanius, Joannes Sagredus, Antonius Grimanus, equites & procuratores Marcii, atque Aloyſius Mocenicus.

Quatuor dignitatem petunt.

Ac ſi magnæ partis cerneres voluntates, prælaturi aliis Nanium videbantur. Factis tamen ex inſtituto ſortitionibus, Sagredo ſic hæ provenerant, ut ex XLIviris, quorum eſt demum Principem legere, octo & viginti pro eo laturi ſuffragium eſſent.

Joanni Sagredo adſpirat fortuna:

Quare certus jam Princeps vulgo haberi, & concurſus gratulantium domum fieri. Veruntamen coactis comitiis majoribus, in quibus XLIviros probari mos eſt; ex nec opinato intervenit, quod illum repente dejiceret.

qua, cauſa plebeii tumultus, retro volvitur.

Multitudo infimæ ſortis hominum in fori partem coeuntes, unde ab iis, qui in comitiis erant, exaudirentur, convicia & maledicta jacere in Sagredum cœperunt; atque competitorum modo hunc, modo illum vociferando extollere. Oderant, quod in adeunda procuratoris Marcii dignitate viſus eſſet facere minus liberaliter in plebem, vel levia commoda ſua magnis quibuſque civium in remp. meritis anteponentem. Contemni quidem facile poterat motus ejuſmodi: at improviſus idem & inſolitus nonnullos cum permoviſſet; haud defuere occaſioni qui candidatis aliis favebant; quoſque aut æmulatio gloriæ alienæ, aut novitatis ſtudium incitabat. Itaque cum de ſingulis ordine referretur, omnes XLIviri rejecti ſunt, inque locum eorum alii ſubſtituti. Hi Aloyſium Contarenum, equitem ac procuratorem Marcium, tunc unum ex Sexviris Senatu regendo, Principem legerunt.

Aloyſ. Contarenus Princeps creatur.

Paulo poſt tranquillis animis, cenſere plerique indignum Sagredo id accidiſſe. Obverſabantur ornamenta viri, magiſtratus in urbe egregie geſti, Patavina prætura, præfectura Carnica, legationes obitæ tres in Germania, in Gallia, in Britannia, ubique pro amplitudine reip. Quocirca ſummo exinde conſenſu muneribus illum quibuſque maximis præpoſuere: ut, quod

reli-

reliquum tempus vitæ fuit, præcipuo in honore habe- 1675.
retur; ab æquabilitate conſpectior firmitateque, qua ſu-
ſtinuerat fortunam reflantem. Per dies ferme eoſdem
moritur C. Emmanuel Dux Sabaudiæ in ipſo vigore
ætatis; magnitudine conſilii, & regnandi arte par clariſ-
ſimis. Victorem Amedeum filium, nondum maturum
imperio, in tutela matris reliquit. Obiit etiam proximo 1676.
anno Clemens X. ætatis ſexto & octogeſimo, cum *Clemens X. moritur.*
ſex fere Pontificatum obtinuiſſet, miti proboque inge-
nio commendabilis. In ejus locum altero poſt menſe *Succedit*
electus Benedictus Odeſchalchius Comenſis, quem Inno- *Bened. Odeſchalchius,*
centius X. unum & triginta ante annos Cardinalem crea- *appellatus Innoc. XI.*
rat. Innocentius XI. dictus eſt; vitæ integerrimus, con-
ſtantis animi, & æquantis virtute tempora difficillima
Chriſtianæ rei, propter bellum ab Turcis Cæſari deinde
illatum. Initio anni hunc excipientis, mercatores quidam 1677.
Armenii, coempta in Belgio copia pannorum lanceorum, *Armenii mercatores,*
in Italiam advenientes, facultatem ab Venetis petivere *fraude agentes, mulctantur.*
comportandi in Illyricum, quos divenderent in Turca-
rum terris; polliciti, quantum æquum eſſet, ſe vectigal
penſuros. Senatu recuſante concedere, quod cum Vene-
tæ negotiationis detrimento fieret: illi nihilominus na-
vibus duabus, vetita merce onuſtis, auſi tranſmittere.
Non procul Pharia inſula naves eæ in biremes Vene-
tas inciderunt. Fraude deprehenſa, Hieronymus Grima-
nus eques, legatus in Illyrico, pannos omnes concre-
mavit: prorſuſque centies mille argenteis nummis dolus
ſuus Armeniis ſtetit. Inſignis annus fuit magnitudine a- *Atheſis fl.*
quarum. Atheſis maxime illatus impetu aggeres evertit; *agros late inundat.*
partemque agri Veronenſis, Patavinique, & Rhodiginæ
peninſulæ inundavit. Alluvione ea paſſim pecua ablata,
& villarum ſtrages facta eſt. Mitti placuit IIIviros,
Aloyſium Grittum, Benedictum Juſtinianum, & Petrum
Haimum Senatores, qui aggeres reſtituendos curarent,
explorarentque cauſas incommodorum: inde comperta *Miſſi triumviri adreſ.*
referrent ad Senatum. Profecti cum aggeres ſtatim re-

 fe-

1677\. feciſſent: ab urbe Verona uſque ad mare inſpecto diligenter flumine, videre multis locis arctatum alveum arte eorum, qui quod ſoli per ſiccitates nudabatur, ſenſim in arva converterant. Ad id accedebat alterum juxta grave: quod, ubi olim valles utrinque patebant, per quas effuſæ aquæ curſu libero manabant in mare; ibi etiam induſtria hominum latos campos miræque fertilitatis effecerat. Interim præaltis ripis atque obliquis aquæ coercitæ ac retardatæ molem ipſam fluminis remorabantur: quæ cauſa erat quare, ſedente limo, minus profundo ferretur alveo; ac ſupra juſti modum amnis facile intumeſcens aggeres perfringeret. Ubi ex Illviris hæc patres cognovere, viſum inſtitui collegium novem Senatorum, ut eorum eſſet remedia perquirere, quibus malo in dies creſcenti obſiſteretur. Hoc denique,

[margin: ...ciendos aggeres, & flumen inſpiciendum:]

[margin: inde collegium ſenatorum inſtitutum, qui mali averterent.]

1678\. & ſequenti anno redditur pax Europæ, defatigatis bello populis, qui, variis caſibus immiſtis, multos annos in ancipiti ſpe ac metu fuerant. Meſſanenſes, qui quadriennio ante, ut dictum eſt, rebellaverant, anno poſt in magnum diſcrimen adducti ſunt ab Hiſpanis, interclusis terra marique commeatibus; ut jam vix ultra tolerabilis in urbe inopia eſſet. In tempore tulerunt Galli opem, primo quidem ductu Comitis Valbellenſis, deinde autem Mareſchalli Vivonnii; a quo disjectis navalibus copiis Hiſpanorum, vis commeatuum, bellicarumque rerum in urbem comportata. Continuo arcem unam atque alteram maritimæ oræ ejus cum fruſtra tentaſſet; admoto milite ad Auguſtam oppidum, certamine non parvo potitur. Æſtate eadem Gallorum exercitus in Belgio Leodienſem arcem ſubito adventu occupat: inde Limburgum, Huum, & Dinantium urbes, pertinaciter oppugnatæ ac defenſæ, ad extremum ei deduntur. Hæc tamen aliaque Auguſta Trevirorum amiſſa prope æquavit. Circumſidebant Duces Lotharingius & Luneburgicus. Poſtquam Mareſchallum Crequium, qui ad ſolvendam obſidionem appropinquabat, juſto prœlio device-

[margin: Meſſanenſibus auxiliũ ferunt Galli;]

[margin: qui Auguſtam in poteſtatem redigunt.]

[margin: In Belgio potiuntur Leodienſi arce, Limburgo, & Dinãtio.]

[margin: Inde vincũtur prœlio, & Auguſtam Trev. amittunt.]

vicerunt; nullo ultra labore urbs venit in poteſtatem. 1678. Orta enim intus ſeditione militum, patefacta repente Germanis porta eſt; coactuſque Crequius, qui cum perpaucis eo ex adverſa pugna perfugerat, tradere ſe in arbitratum hoſti. Nec tantum jactura Auguſtæ Trevirorum, quantum Turennii morte, acceptum erat damni. Dum exercitum incautius obſervat Germanorum ad Rhenum flumen, intentus in opportunitatem gerendæ rei; ferrea glande majoris balliſtæ ictus interiit: caſu miſerabili, nec pro gloria viri, qui facile princeps ejus ætatis imperatorum eſſet. Proximo inde anno, in mari Siculo ter Gallorum claſſis duce Vivonnio cum claſſe Belgarum, qui Hiſpanis auxilio venerant, conflixit. Ac primo quidem, vento ſilente, tentaverunt magis, quam inierunt pugnam. Deinde autem cum haud procul Catana magno utrinque ardore concurriſſent; multas horas dimicatum eſt. Nox diremit prœlium eventu ancipiti; niſi quod Hadrianus Ruiterus Belgicæ claſſis imperator cecidit. Poſtea aucti Galli quinque & viginti triremibus in conjunctas claſſes Hiſpanorum ac Belgarum contra Panormum ventis ſecundis invehuntur. Et affuit incœpto fortuna. Nam non turbaverunt modo ſtatim hoſtem, ſed etiam incendiariis navigiis aliquot immiſſis, novem maximæ formæ naves triremeſque duas exuſſere; cætera claſſe male mulctata. Tum Vivonnius Syracuſas contendit, ſi poſſet ſubito terrore opprimere. Quandoquidem parata cuncta in muris ad defenſionem erant: flectit illinc ad Tauromenium; admotiſque copiis, vi atque armis expugnat. Fecit hic metus, ut caſtella aliquot voluntate dederentur. In Belgio potiuntur Galli Condate, Bochainio, Aeria, Burburgo: Auriacumque abſiſtere oppugnatione Trajecti ad Moſam cogunt. Alibi tamen ſuperior fuit Germanus. Philippoburgum enim, tertio poſt menſe quam cœperat oppugnare, redegit in ditionem. At anno qui inſecutus eſt, ſic geſſerunt illi bellum, ut nihil ex ſententia non ſuccederet. Nam &

Turennii mors inglo-ria.

Pugna navalis Gallorum cum Hiſpanis & Belgis.

Dirimitur nocte.

Congrediūtur denuo Galli, & hoſtes ſuperāt.

Tauromeniū expugnant.

Oppida aliquot capiūt in Belgio.

Germani potiuntur Philippoburgo.

Fri-

1678.

Galli Friburgo, Valentianis, Cameraco, & Audomaropoli.

Friburgum in Briſgovia ademerunt Germanis; & in Belgio, rege ipſo urgente opera, Valentianas, impreſſione facta, expugnavere. Inde ductu Aurelianenſis fundunt fœderatorum exercitum: Cameracumque & Audomaropolin inter alia capiunt. Ubi profecti ſunt in hyberna; ratus Auriacus eſſe occaſionem abolendæ ignominiæ, ex

Auriacus fruſtra tentat Caroloregium.

nec opinato Caroloregium oppugnare eſt adortus. Sed ne ibi quidem ad ſpem eventus reſpondit. Etenim paucos poſt dies cum afferretur undique, Franc. Henricum Ducem Lucemburgicum Mareſchallum, eductis raptim copiis, adventare: e veſtigio omiſit oppugnationem, militem, qui nondum ſatis ex pavore collegiſſet animos, novo certamini non auſus objicere. Veniente quoque anno, ut dabant ſe initia, res proſpere ceſſuræ videbantur Gallis, urbibus aliquot exiguo tempore in Bel-

Gandavum, Urſidungũ, & Ypras occupant Galli.

gio occupatis; in primis Gandavo, & Ypris. Aſt inter hæc, unde nihil minus ſperabatur, ortum eſt principium pacis. Belgæ, quorum cauſa ſuſceptum fuerat bellum, quando extra Trajectum ad Moſam omnia ſua jam receperant; pacti ut id quoque oppidum ſibi redderetur, inconſultis ſociis, cum Galliæ rege in amicitiam redie-

Belgæ pacē cum iis faciunt.

re. Secutus Hiſpanus exemplum Belgarum. Hunc quo faciliorem haberet ad tranſigendum Ludovicus, cedere ultro ſtatuit Sicilia. Juſſus igitur Dux Fulliadeus, qui

Abductis copiis Gallorum,

copiis ibi præſidebat Gallorum, deductas Meſſana cæteriſque arcibus, in Provinciam tranſportare: quod prorſus inexpectatum Meſſanenſibus peracerbum fuit, nequicquam implorantibus fidem regis, cujus ſe in tutelam commiſiſſent. Familiæ bene multæ ab Hiſpanis veniam deſperabant. Ergo, quæ una erat ſalus, relicta patria, naves conſcenderunt Gallorum, ut Maſſiliam tranſ-

& recepta Meſſana, paciſcitur rex Hiſpaniæ.

veherentur. Meſſana recepta, cui civitati ob defectionem jura pleraque poſtmodum abrogata ſunt; moram nullam interpoſuit componendæ pacis rex Hiſpaniæ. Condiciones fuere: *ut Galli Gandavo, Leodio, Urſidungo, Limburgo, Aldenarda, Corteriaco, Atho, Binchio, Caroloregio, Iu-*

go

go quoque Cerretanorum, compluribuſque Hiſpaniæ locis, nam 1678. ibi quoque varie fuerat bellatum, *præſidia devocarent: retinerent autem Comitatum Burgundiæ, Valentianas, Bocainium, Condate, Cameracum, Aeriam, Audomaropolin, Ypras, Dinantium, minoraque alia*. Principio ineuntis anni cum Germanis ita pax convenit: *ut ii porro haberent Philippoburgum, Friburgum vero Gallorum eſſet*. Dux tamen Lotharingius exors pacis ejus fuit; quod neque concederet ipſe regi Galliæ dura poſtulanti, neque rex conſtans in propoſito quidquam remitteret. Operis multo difficilioris conciliatio pacis videbatur inter Sveciæ regem, qui pene cuncta jam amiſiſſet quæ in Germania obtinebat, & hoſtes ejus. Sed huc ſpectans Ludovicus, qui fidem agi cerneret, ſocium belli præſtare incolumem, jam cum Cæſare pepigerat; ut, ſi opus eſſet, juſto Gallorum exercitui auxilium laturo iter daret per Germaniam. Is objectus terror compulit, ut qualeſcunque condiciones admitterentur. Quapropter Daniæ rex, Brandeburgicus Elector, Principes Brunſvicenſes, & Monaſterienſis Epiſcopus regionibus arcibuſque, quas de Svecis ceperant, deceſſerunt. Pauca tantum, neque magni eadem momenti retinuere: quorum aliqua tamen reſtituerent Epiſcopus Monaſterienſis, & Elector Brandeburgicus, ubi certam pecuniam accepiſſent, cujus partem numeraret ipſe rex Sveciæ; reliquum (tertiam ferme partem, ad quingenta & quinquaginta pondo auri) penſionibus duabus perſoluturum ſe intra biennium Electori Brandeburgico, promittebat Galliæ rex. Cæterum ſatis huic non fuit adjeciſſe imperio ſuo urbes complures, quæ fuerant Hiſpanorum. Nam agros etiam earum terminavit arbitrio ſuo; numerumque haudquaquam exiguum pagorum & caſtellorum ſibi attribuit: fruſtra illis conquerentibus, ut quibus deeſſent vires ad repugnandum. Videri tamen perlevis res poterit præ iis, quæ anno poſt, fretus potentia, novo exemplo eſt aggreſſus. Metis concilium inſtituit judicum, quos ipſe ex ſum-

1679. Itidem ſequenti anno Germani.

Gallorum opera, utiles condiciones pacis impetrat rex Sveciæ.

In pace multa adimit Hiſpanis, aliiſque, rex Galliæ.

1679. ſummis Galliæ magiſtratibus, Parlamenta vocant, elegerat; ut eorum eſſet de regionibus cognoſcere, quas non alio jure quam beneficiario poſſidendas olim conceſſiſſe ferebantur Epiſcopi Metenſis, Tullenſis, & Verodunenſis. Actores erant Epiſcoporum procuratores; rei vero Cæſar, rex Hiſpaniæ, Palatinus Elector, aliique. Quod fit in cauſis privatorum, rei citabantur per præconem: qui cum minime reſponderent ad tempus præſtitutum, ab judicibus pronunciabatur ſententia: ut autem quæque regio Epiſcopis adjudicaretur, protinus regius miles in id deſtinatus occupabat. Ita media in pace, invalido jure poſſeſſionis antiquæ, vanaque religione ictorum fœderum, cum aliis multa adimuntur, tum Electori Palatino. Is cum per omnem Europam querelas circumferret, ab Venetis patribus in primis petiit ut, quoniam feciſſet rex contra conventa pacis Monaſterienſis, cujus ipſi reconciliatores fuiſſent; interponerent operam ſuam, ut ablata ſibi per injuriam reſtituerentur. Commovebant Senatum adverſæ res ejus. Et datum negotium Sebaſtiano Foſcareno, oratori ad regem Galliæ, ut Electoris cauſam tuendam ſuſciperet. Sed ille, qui ſe armis ſuperiorem expertus eſſet contra tot tamque validos hoſtes, conjunctis viribus gerentes bellum; tunc contemnens ſingulos, nequaquam induxit animum remittere voluntate, quæ cogi armis non poſſet. Annum eundem memorabilem fecit peſtilentia, quæ in Germania, maxime in Auſtria deſæviit; ut Cæſar metuens ſibi in alias atque alias urbes Vienna migraret. Veritus Senatus, ne vulgata contagione labes Italiam inficeret, IIIviros ex Senatorio ordine creavit valetudini curandæ, Bernardum Gradonicum, Nicolaum Cornelium, & Andream Valerium. Gradonico Hiſtri, Cornelio Carni, Veronenſes Valerio, cui deinde ſucceſſit Hieronymus Juſtinianus, provincia demandata. Ii cum populos Germaniæ finitimos ad cuſtodiæ curam intendiſſent, defuiſſentque nuſquam ipſi conſilio & vigilantia;

Querelæ El. Palatini; qui opem expoſcit Senatus Veneti.

Peſtilentia Auſtria populatur.

Venetiis creantur IIIviri valetudini curandæ.

tia;

tia; incolumem Italiam præſtiterunt. Timore hoc vixdum compreſſo, exortus repente alius ab Turcis. Petrus Civranus legatus ad regem Turcarum ſuffectus Joanni Mauroceno equiti, Conſtantinopolin advenerat navibus duabus, quas regebat Alexander Bonus. In eas naves, dum Maurocenus diſceſſum parat, captivos non paucos Chriſtianos variarum gentium nocte receperant navarchi, pietate religionis & hominum inducti; ut, quod non raro evenerat alias, miſeros ſervituti ſubtraherent. Sed cum tempeſtas retardaſſet abitum: ſuſpicati id, quod erat, domini captivorum, apud Vicarium Viſſirii acriter conqueſti ſunt; petentes, ut fugitivi perquirerentur in Venetis navibus, inventique redderentur. Ad domum quoque legatorum Venetorum coeuntes, plurimum tumultus, minis etiam additis, fecerunt. Legatis ab miſericordia captivorum, ne retracti ſubirent ſervitutem duriorem, dolum inficiantibus; res defertur ad Viſſirium: is autem apparitorum mittit manum, ut naves ſcrutarentur. Nec abnuerunt legati: affirmabant enim navarchi, ſic occultatos captivos, ut diligentiam eluſuri omnem eſſent. Veruntamen, ne fraus ſuccederet, obſtitit Neapolitanus captivus unus inter rudentes deprehenſus; qui abductus, latere alios indicavit. Forte contigit, ut, navigiis aliquot Turcarum in Euxino Ponto per ventum ſubitum ac procelloſum paulo ante demerſis, cadavera naufragorum ſecundo mari devecta, prope naves ipſas Venetorum fluitarent. Cauſa novi criminis fingendi præbita hinc. Corpora eſſe, dictitabant, captivorum, quos ne redderent, Veneti ſuffocaſſent. Quare miſſi denuo apparitores ad abditos receſſus omnes navium, præmonſtrante Neapolitano, perluſtrandos: quod dum aggrediuntur, in eo res fuit, ut Veneti milites probris ac maledictis laceſſiti, armis jam arreptis, in illos impetum darent. Supervenientes legati nutu ſedaverunt tumultum. Apte inde tentati Turcæ donis: quibus acceptis, fruſtrari ſe facile paſſi ſunt ab nautis; ita-

1680.

Diſſidium cum Turcis propter captivos Chriſtianos acceptos in naves Jo: Mauroceni.

Turcæ ſemel atque iterū ſcrutantur naves.

Digitized by Google

1680. que neutra in navi captivus ullus repertus. Perſuaderi tamen nequiit Viſſirio. Is, ſeu vera ſeu ſimulata ira, ludificari ſe ſuoſque clamitans, minatur quæſtiones habendas per tormenta de navarchis nautiſque Venetis; tum naves ipſas in navalia juſſurum ſubduci diſſolvique, ut ita appareret flagitium. Ventum in ſummum diſcrimen eſſe cum cernerent legati, nec ſpes reſiſtendi ulla oſtenderetur; nam & ab terra multis ſimul partibus naves peti tormentis Turcarum poterant, & quinquaginta fere triremes eorum ad urbem tunc ſtabant: decreverunt demum vel cum periculo ſuo naves ſervare. Ergo imperant navarchis, occulte omnia inſtruant ad profectionem: ubi ſignum accepiſſent, tum ut noctis ſilentio fugam arriperent. Nondum executi erant conſilium, cum venit clandeſtino ad legatos homo familiaris Viſſirii, qui rei componendæ paciſceretur mercedem. Immanem vim pecuniæ poſtulare hic primo. Deinde paulatim de ſumma detrahendo, perpulit tandem ut conſentirent in octo & triginta millia Regalium nummum. Injecta ſuſpicio eſt dominis captivorum, ab Viſſirio utilitatem ſuam ex alieno incommodo quæri. Quamobrem ad regem contendunt, urbe per dies eos egreſſum. Fugam captivorum exponunt: Venetos accuſant; culpamque augent: accepiſſe in naves ſuas fugitivos cum magna pecunia ſibi ablata; poſtmodum, ut potirentur ipſi, necatos projeciſſe in mare: ſimul arguunt, Viſſirium privati lucri cauſa prævaricatum. Et audebant nonnulli accuſatoribus adeſſe, aliunde ei infenſi. Ad hæc exarſit indignatione rex & in Venetos, & in miniſtrum. Sed hujus amici Baſſæ ac perneceſſarii occurrentes ſedulo, cum, falſis criminibus depulſis, veris etiam ademiſſent fidem; ſedata ira, tenuerunt, ut Conſtantinopolitani maris præfectus ordine juris de re tota cognoſceret. Stabat is ab partibus Viſſirii. Atque judicium ita moderatus, ut illi expediebat; diligenti in ſpeciem inquiſitione, regem eluſit. Hinc, qua agebatur inſatu-

Viſſirii minæ:

qui mittit clam ad legatos Venetos, qui pretium rei componendæ paciſcatur.

Domini captivorum apud regem conqueruntur de Venetis, & Viſſirio.

Sed eludit Viſſirius.

rabili

1680.

rabili aviditate Viſſirius, anſam arripuit vanis commentis augendi quæſtus. Coacti legati ad ſummam, quæ convenerat, duodecim millia nummum adjicere. His quoque pernumeratis, abeundi facultas facta Mauroceno; Civranus ut legatus exceptus.

Inde pecuniam aliam extorquet ab legatis.

Venetiis cum primum ex legatorum literis de periculo navium auditum eſt; legati ab pleriſque ipſi culpabantur, qui initio ſtatim cauſam tumultus non ſuſtuliſſent. Indignum videbatur, Turcas eo contemptus proceſſiſſe, ut Venetas naves perſcrutarentur. Angebat etiam metus ne eaſdem egregie ornatas interciperent. Ubi intellexere patres exitum rei; viſum, quod præter morem feciſſent legati, id legatorum ipſorum damno eſſe. Igitur Senatus decernit, *quam pecuniam ſolviſſent Turcis, non reddi*.

Improbat Senatus.

Continuo, quia verebantur ne Civranus minus ibi gratus foret; ſucceſſorem deſtinant Jo. Baptiſtam Donatum: qui tamen cum aliquandiu profectionem diſtuliſſet, ille interea cum acceptus Viſſirio ac miniſtris cæteris fuit, tum reip. apprime utilis. Eodem tempore, quæ eſſe cura ſolet per bellorum intervalla, continentis maxime arces nova forma munimentorum inſtruebantur; Piſcherium inter alias, Lemniacum, Novi Urcei, Crema quoque, oppidum muro circumdatum antiquæ fabricæ genere. Præſidebat operi Grimaldus, primo loco inter duces externos copiarum.

Piſcheriū, arceſque alia nova forma muniuntur.

Sed quod erant qui inceptas molitiones reprehenderent; miſſi deinde in rem præſentem ſenatores tres, Andreas Cornelius procurator, Andreas Valerius, & Franciſcus Maurocenus eques ac procurator. Poſteaquam hi, ut non improbarent artem, impenſas quidem certe futuras longe majores, quam a principio viderentur, retulerant: placuit uti conſilio etiam Philippi Vernedæ, excellentis in militari architectura; qui, præclara opera navata Cretico bello, tum Corcyram urbem muniebat. Accitus in Italiam, dum inſpicit arces ſingulas; dum, quæ in mutata temporibus ratione oppugnationum cenſebantur utilia cum primis, exponit;

dum

1680. dum de ſingulis conſulitur Senatus, ſententiis plerunque variantibus: ſuſceptum prius eſt cum Turca bel-
1681. lum, quam inchoata perficerentur. Anno proximo materiam ſermonibus præbuit Caſale Gallis conceſſum ab Ferdinando Carolo Mantuæ Duce, qui ſexdecim ante annis Carolo patri ſucceſſerat. Cauſa fuerat non una, quæ hunc abduceret ab Auſtriis. Ferebat perindigne, turbari ab Hiſpanis poſſeſſionem Ducatus Guardiſtallenſis; quam, mortuo Ferdinando Gonzaga, cujus filiam junxerat ſibi matrimonio, auctore Cæſare adierat: pecuniæ quoque pro Caſale pactæ debebatur non parum. Solicitudo tamen gravior multo ab Cæſare urgebat. Cum enim, vix ulla ſpe prolis, futurus ipſe eſſet ultimus ſtirpis virilis Federici Gonzagæ, ad quem per Margaritam, poſtremam gentis Palæologæ, Marchionatus Montis Ferrati pervenerat: apparebat, ſucceſſuram in eam hæreditatem Eleonoram Mariam, Eleonoræ Gonzagæ & Ferdinandi Cæſaris filiam, quæ Duci Lotharingio nupſerat. Ac æquum quidem eſſe putabat, ſe mortuo, ab Duce Lotharingio hæreditatem cerni. Veruntamen poſtquam minime dubiis indiciis comperit, Viennæ, inſtigante præſertim matre Eleonoræ Mariæ, id agitari, ut ille ſe vivo in poſſeſſionem Montis Ferrati induceretur: vehementer commotus, in arcanis ſermonibus a querelis non temperabat; minitatus non ſemel, ſi pergerent Auſtrii moleſti eſſe, res ſe ſuas in tutelam Galliæ regis commiſſurum. Erat ei intimus Hercules Matthiolus, honeſtis parentibus Bononiæ ortus; homo ſolers, quique immineret in occaſionem omnem enitendi, amplificandæque fortunæ. Hic primum Abbati Eſtradio, Galliæ regis legato apud Venetos, animum Ducis aperit: qui nihil cunctatus certiorem regem facere, ſpem potiundi Caſalis accendit. Paulo poſt ab Duce mittitur Lutetiam; ſi meliores audimus, non alia mente, niſi ut ſuſpicione injecta Hiſpanis & Cæſari, ne quidpiam cum Galliæ re-

Mantuanus Dux abalienatus ab Hiſpanis & Cæſare.

Querela ejus.

Mittit Lutetiam Herculem Matthiolum:

ge

ge paciſceretur, contemni ab illis deſineret. Ibi cum 1681. Matthiolus eſſe ſibi facultatem aſſeveraret de Caſale agendi, & charta faceret fidem, affirmata Ducis litera, in qua condiciones deſcriberentur (auctores quidam ſunt, chartam eam ſpectaſſe alio) mandatorum egreſſus fines; quam poſtea audaciam conqueſtus ſæpe Dux eſt; cum Abbate de Pompona a ſecretis regis de tradendo oppido tranſegit. Ubi revertit in Italiam: Dux, ſeu quod fraus ab illo facta utique eſſet; ſeu quod pœniteret capti conſilii: omni ſtudio fruſtrari conventa ſtatuit, alia atque alia cauſatus apud eos, qui ab rege ventitarent compoſituri ordinem præſidii in oppidum intromittendi. Interea clandeſtina hæc emanarunt. Ferunt, Matthiolum ipſum prodidiſſe Mediolani magiſtratui, accepta mercede, aureis quadringentis: additur vero inde fides, quod ab Eſtradio, qui Auguſtam Taurinorum tunc venerat, orator ut eſſet apud Ducem Sabaudiæ, accitus eo per ſimulationem neceſſarii colloquii, datus repente in cuſtodiam eſt, inde Pinarolium miſſus, conditusque in carcerem; ubi obiit. Poſteaquam Mantuanus Dux aperte jam negabat teneri ſe illis, quæ abuſus facultate Matthiolus, ſe ignaro, pepigiſſet: rex graviter paſſus intercidere occaſionem obtinendæ denuo arcis ad fines provinciæ Mediolanenſis; quique Lotharingio implacabilis videret, habentem ſe Caſale in poteſtate obſtiturum facile quominus ad eum Montis Ferrati hæreditas perveniret: Mantuam deſtinat acri ingenio virum, Gaumontium, ut ſerio ac vero Ducem moneat ne fidem infringeret pactionum. Reſtitit is diu. Quando autem quotidie vehementius urgebat Gaumontius: miſſum Lutetiam Abbatem D. Barbaræ oſtendere jubet, quam & iniquum ſibi, & regi indecorum eſſet, rata velle pacta inita ab homine nequam, qui utrumque decepiſſet. Sed rege perſtante in propoſito, qui ludificationem eam eſſe argueret; re infecta Mantuam revertit Abbas. Advenit paulo poſt ſuffectus Gaumontio Abbas Morellus; ſedatior

Qui mercedem paciſcitur tradendi Caſalis.

Renuit Dux.

Matthiolus ab Eſtradio conditur in carcerem, ubi moritur.

Rex per legatos inſtat Duci, ut conventa impleat.

1681. tior homo, viſuſque propterea ad permovendum Ducem aptior. Per ſe conſtanter abnuentem, quantum duntaxat poterat animus ejus apparere, magis confirmabant in ſententia Hiſpani, parte pecuniæ, quæ deberetur, perſoluta; tum Franciſcus Turrianus, legatus Cæſaris apud Venetos, qui, ſi vis ab Gallis forte adhiberetur, paratas fore ſpondebat copias Hiſpanorum & Germanorum ad vindicandum. At hinc Morello magnis præmiis, promiſſiſque multo majoribus oppugnante; hinc conſiliariis, quos idem donis conciliarat, cohortantibus ne utiles condiciones, quæ ferrentur, repudiaret: victus tandem eſt; reſque compoſita in has leges: *ut irrita haberentur, quæ pepigiſſet Lutetiæ Matthiolus: peditum Gallorum millia duo ut reciperentur in arcem Caſalis; equitum vero quantum ſatis videretur: urbis libera poſſeſſio uti eſſet Mantuano Duci, idemque præficeret quem ipſe mallet: uti qua die Gallorum copiæ arcem intrarent, quinquaginta millia aureorum nummum ei numerarentur: quotannis præterea quinque & viginti millia argenteorum; quibus belli tempore inſuper adjicerentur alia viginti: ut, ſi quando opus eſſet, armis rex obſiſteret ne Ducatus Guardiſtallenſis poſſeſſione pelleretur: ſi autem cauſa belli mitteret rex exercitum in Italiam, ut diceret eundem imperatorem.* Cavebatur inde: *ſi Dux prolem ſuſciperet virilem, ut rex arcem ei redderet fide bona; ac, ſi quid impenſarum muniendo factum fuiſſet, ne præſtaretur: ſi fœminas gigneret, curaret rex, jus hereditarium in provinciam Montis Ferrati ſalvum & integrum iis ut eſſet.* Interim copiarum aliquantum circa Pinarolium cogi juſſerat rex. Et, matre Sabaudiæ Ducis iter concedente per Pedemontium; ut acceſſere ad Caſale, arx eis traditur. Statim Ferdinandus Carolus apud Senatum Venetum excuſat: *feciſſe neceſſitate compulſum, ne irritaret Galliæ regem; neve diutius recuſando præberet occaſionem turbandi armis Italiam.* Rex quoque, amicitiæ mutuæ cauſa, per legatum ſuum patribus indicat, Caſale ſibi pactione permiſſum. Viſi improbare Principes & Civitates pleræque. Quando enim ab

Nova conditiones perſcribuntur.

Galli milites Caſale intrant.

Digitized by Google

ab Hiſpanis, quorum elanguerant opes, nullus ferme ti- 1681.
mor impenderet; feciſſe cenſebant parum prudenter,
permiſſa Gallis Pinarolium jam obtinentibus arce alia
munitiſſima: quid enim obſtiturum quominus inde, ubi
vellent, irrumperent penitus in Italiam? Annum, qui 1682.
ſuccedit, una & altera res ſolicitum haud leviter ha-
buit. Metus multo quam ante gravior fuit peſtilentiæ, *Peſtilentia graſſatur*
quæ non Germaniam ſolum, qua finitima eſt Italiæ, *ultra Sontium.*
corripuit; ſed etiam in Italiam ipſam propagata, in Car-
nis, ultra Sontium flumen, præſertim Goritiæ graſſaba-
tur. Prohibere confeſtim aggreſſus, ne citra id flumen
ſerperet labes, Joannes Cornelius, Utini magiſtratus.
Tum ab Senatu creati IVviri arcendæ peſtilentiæ, Do- *Obviã eunt Veneti, creatis IVviris*
minicus Mocenicus, Franciſcus Grittus, Jo. Baptiſta Gra-
donicus, & Joannes Juſtinianus. Mocenico & Gradoni-
co commiſſa cuſtodia regionis ad Sontium: Grittus præ-
eſſe juſſus ad Tilaventum flumen: Juſtinianus in Hiſtros
miſſus. Quacunque etiam adiri æſtuarium Venetiarum
poterat, ſtationes diſpoſitæ, quibus patricii viri, ſeptem
ſinguli dierum ſpatio, in orbem præſiderent. Verſæ eo- *& ſupplicationibus.*
dem tempore Senatus populique ad Deum preces. Et
præſenti ejus numine: nam vix removeri humanis au-
xiliis poterat morbus, qui late ſæviret in finibus, ac pa- *Peſtilentia extinguitur.*
gos nonnullos Venetorum jam infeciſſet: liberata poſt
aliquanto Italia eſt. Haud dum poſitam curam hanc ex- *Novũ diſſidium cum*
cepit alia ab Turcis, quæ ſequenti ſolum anno ad finem *Turcis, cauſa Jadertinorum.*
venit. Ortum principium ab Illyriis, qui Jadertinum
colunt agrum. Coacti regione anguſta, conduxerant ter-
ras Turcarum circa Zemonicum, oppidulum everſum
proximo bello, octo ab Jadera millibus paſſuum; pro
iis certam pecuniam pendentes quotannis præfecto ærarii
in Boſna. In id oppidum ſubjectaſque terras jus anti-
quum ſibi eſſe ferebat Durachus Ragovichus, homo ibi
loco primario, protervus & contentioſus, præterea in
Venetos male animatus. Dudum hic decrerat Zemonici
muros & tecta reſtituere, ut avitam ſedem denuo tene-

ret

1682. ret cum ſuis. Quod autem profectus ipſe in Pannoniam non potuerat, aggreſſus tunc erat Caſſanes frater ejus. Collectis armatis centum quinquaginta, principio autumni eo deſcendit: mapalibuſque aliquot incenſis, atque evulſis ſepibus, quæ ab Illyriis de induſtria conſitæ paſcua diſterminabant, oppidi ruinas intrat; ibidemque vexilla Ottomanica conſtituit, ſtrepitu incondito alioque tumultu barbarico, ut mos eſt gentis, lætitiam ſignificante. Exciti Illyrii ad quadringentos raptim illuc contendunt, viſuri quid eſſet novæ rei. Veruntamen ſuperbe ac contemptim ab Turcis habiti: & quamvis amice diſceptando verbis defenderent jus ſuum, quod pecunia jam ærario perſoluta tribueret ſibi ſtabile uſque in exeuntem Aprilem venientis anni; illi tamen auribus ad æqua ſurdis, converſi mox ad vim, unum eorum interfecerunt. Injuriam injuriæ additam non tulere inulti Illyrii. Ab dolore atque ira impetum in Turcas faciunt, conſertoque certamine, occidunt omnes cum duce ipſo; quatuor ſuorum amiſſis, & quindecim vulneratis.

Jadertini occidunt Turcas CL.

Paſſus Senatus graviter, veritus ne inde Turcæ arriperent cauſam belli. Confeſtim juſſus præfectus Illyrici Laurentius Donatus ſimul ferocem populum coercere, & aliquorum etiam pœna, qui præcipue haberentur auctores cædis, oſtendere nullo publico conſilio factum; ſimul apud Baſſam Boſnæ ſolertiam adhibere ne forte falſa permiſta veris ad regem deferrentur. Legato autem Jo. Baptiſtæ Donato, qui pridem Conſtantinopolin pervenerat, ſcriptum eſt, ut ſine mora purgaret: *ſtetiſſe primo culpam ab Turcis, qui locatos agros, & pro quibus quaeſtor Boſnenſis accepiſſet pecuniam, infeſti intraſſent: Illyrios nihil ultra quam queſtos fuiſſe atque expoſtulaſſe: hoſtiliter illos coortos initium feciſſe cædis: quod tamen patratum poſtea per iram eſſet, moleſte ferre ſenatum: curæ patribus fore ne Illyrii impune abirent.* Peteret inde ab rege, *ut pro mutua amicitia ipſe quoque contineret ſuos, ne in poſterum hujuſmodi certamina exiſterent.* Adjectum quoque, *ſi neceſſe videretur,*

Ab ſenatu jubentur factum excuſare Donatus legatus in Illyrico, & Donatus orator Conſtantinopoli.

ne

ne prætermitteret capere donis miniſtros. At jam fama rei 1682.
præcucurrerat Hadrianopolin, ubi rex tunc erat: atque
ad augendam invidiam acerbiora multa affinxerant con-
ſanguinei interfectorum, ut plena cuncta minarum eſ-
ſent. Ire juſſus a Donato ad principem Viſſiriorum Ja-
cobus Tarſia, interpres Venetus, accipitur truculenter:
& factum exponendo cum fide, aliquandiu conatus ne-
quicquam animum concitatum flectere; ægre impetravit
demum, ne quid triſtius ante ſtatueret, quam novus Boſ-
næ Baſſa, ad id in Illyricum mittendus, quod actum
eſſet, cognoſceret. Ubi reverſus illinc Baſſa, quamvis 1683.
pluribus, & certis eiſdem argumentis vera edoctus ab
Donato, tamen crimina falſo illata a Turcis agri Jader-
tini tanquam comperta afferebat: adeo accenſa eſt indi-
gnatio, ut, niſi obſtitiſſet expeditio in Pannoniam, quæ
eo ipſo tempore ſumma vi approperabatur, eruptura
protinus in bellum fuerit. Ad pœnas repetendas adhibe-
ri placuit Vicarium Viſſirii. Is accito ad ſe legato Ve-
neto atrociter indicit, *quot Turcæ ad Zemonicum cecidiſſent,
ut extemplo dederentur Veneti totidem, quibus necatis, ſanguis
ſanguine lueretur: ut propinquis interemptorum Turcarum tan-
tum numeraretur pecuniæ, quanti damna æſtimarentur, quæ quiſ-
que feciſſet*. Cauſam ſuorum tuenti legato vincula mi-
nitatur, direptionemque gentis Venetæ, quæ in terris Tur-
carum eſſet: tum denunciat, *die poſtero adſit in concilio
Viſſiriorum, judicium auditurus de ſumma pecuniæ, cujus damna-
retur*. Ars legato ſuppeditavit, ne ſe in concilio ſiſteret.
Inde ſpecie amicitiæ eum convenit Cuſſeimus, qui vecti-
galibus exigendis præerat, Viſſirio perfamiliaris, quo
homo auri appetentiſſimus ad talia miniſteria bene peri-
to corradendi utebatur. Operam pollicitus is ſuam, ut
pecunia iræ ſedarentur, non dubitavit pretium dicere,
ſepties centena & quinquaginta millia nummum argen-
teorum. Detrectante legato ſummam iſtiuſmodi pende-
re, quintam detraxit nebulo partem. Ac quando ne
tum quidem legatus aſſentiebatur, nihil actum ea die
eſt.

Iram accendunt Turcis delata a conſanguineis interfectorum primo,

deinde a Baſſa Boſnæ.

Denunciatio Vicarii principis Viſſiriorum.

Submittit Viſſirius Cuſſeimum, qui mercede paciſcatur rei pecuniæ componendæ.

De ſumma haudquaquam convenit.

1683. eſt. Poſtridie accitur denuo legatus ad Vicarium. In venientem probra ingerere Turca, quod rem tranſigere cum Cuſſeimo recuſaſſet; & tum indignis aliis inhibendis territare, tum intentanda præſenti pœna carceris. Purganti implorantique gentium jus quod violaretur, exigui temporis ſpatium ægre concedit ad deliberandum. Tum redit ad eum Cuſſeimus. Pro immoderata pecunia tendente Turca, legato autem trahente ad ſummam æquam; diu multumque certatum inter utrumque eſt. Convenit tandem: *ut Venetus centies & quinquagies mille nummos argenteos penderet regi Turcarum; Viſirio vicies & quinquies; itemque vicies & quinquies, quos miniſtri alii inter ſe partirentur.* Ita ducenties mille nummis redempta amicitia: quo quidem non tam minis terroribuſque perductus Donatus; quam quia cernebat certum atque obſtinatum eſſe Cuſſeimo ſummam omnino non imminuere; committendum vero neutiquam putabat, ut vim immanem copiarum jam jam inducturi Turcæ in Pannoniam, uterentur ea cauſa ad Illyricum invadendum.

Mina alia Vicarii.

Redit ad legatum Cuſſeimus.

Conſentiunt demum in argẽteorum millia ducenta.

Hæc cum perſcripſiſſet ad Senatum: recitatis literis, magna pars ſtatim reprehendere: *in id enim facultatem illi datam, ut, quos videretur, occulte tentaret donis; non ut paciſceretur pecuniam grandem, quæ civitatis nomine ſolveretur ærario regis. Rem peſſimi exempli eſſe: nam quidquid audeant in poſterum populi finitimi Turcis, etiamſi nullo publico conſilio, tamen pariter poſtulaturos, ut ſatis publice fiat.* Ergo irritatis inde animis, Donatus ex legatione Venetias redire juſſus ad purgandum ex vinculis. Miſſus Conſtantinopolin Joannes Capellius ab ſecretis Xvirum, qui pactam pecuniam perferret; ibique negotia reip. procuraret interim, dum legatus alius decerneretur. Non defuerant in Senatu, qui auctores eſſent pecuniæ nequaquam perſolvendæ: cumque poſt diſceſſum Capellii accepta a Turcis clades ad Viennam Auſtriæ nunciata fuiſſet; cenſebant Quinqueviri duo continentis, Joannes Grimanus, & Aloyſius Maurocenus, mittendos illico, qui revocarent.

Res improbatur patribus.

Revocatur Donatus ad dicendam cauſam.

Mittitur Jo: Capellius Conſtantinopolin cum pecunia.

Duo

Duo fecere ne Senatus quidquam mutaret. Ratio fidei 1683.
publicæ, quæ data utcunque Turcis, attamen fallenda non eſſet; & periculum Venetorum, qui Conſtantinopoli, aliiſque Turcarum regionibus degerent, in quos effuſuri iram Turcæ viderentur. Reverſus in patriam Donatus, cauſa dicta, magno conſenſu dimiſſus eſt; priſtinæque dignitati (Sexvir fuerat Senatu regundo) reſtitutus. *Donatus, dicta cauſa, abſolvitur.*

FINIS LIBRI DECIMISEXTI.

Digitized by Google

HISTORIARUM
VENETARUM
LIBER DECIMUSSEPTIMUS.

1683. *Turcicum bellum octavum.* BEllum excipit octavum, quod Veneti cum Turcis geſſerunt; illatum ultro, non, ut cætera, propulſatum. Geſſere autem fœdere juncti cum Leopoldo Cæſare, adverſus quem Turcæ arma moverant in Pannonia. Cauſas leviter attingimus, fuſe narratas iis, qui Auſtriorum bella perſcribenda ſuſceperunt. *Status Pannoniæ.* Inclytum olim Pannoniæ regnum, protentum late pollenſque viribus, ex quo ab regibus ſuæ gentis pervenit ad externos, cum a fortunæ culmine declinaſſet, lapſum deinde ſemper in deterius eſt. Miſerum tunc duo faciebant: & quod pars major ejus, eademque melior, Turcarum tyrannide premebatur; & quod eam ipſam, quæ Cæſari pareret, motus aſſidui perturbabant, ſuſtinere conantibus Pannoniis jura, quæ plurima atque inſolita, ab antiquis regibus conceſſa, imminui maxime inſidendis arcibus Germano milite, querebantur. *Pannonii aversi ab Cæsare.* Animos prorſus abalienarant, quæ undeviginti ante annos pepigerat ille cum Turcis, devictis pugna ingenti ad Arrabonem fluvium. *Cauſa.* *Jam ſpretos ſe, ludibrioque eſſe res ſuas*, fremebant: *quod enim non liceret per leges, privata ſententia inducias cum hoſte feciſſe viginti annorum; nec dubitaſſe, quamvis armis ſuperiorem, cedere arcibus non unis, & tractu magno terrarum, regni ordinibus inconſultis. Nimirum huc ſpectare, ut barbaris uſque pateret Pannonia, vexareturque; neve ullo unquam tempore recuperarentur, quæ oppreſſis populis antiquos ſpiritus exſuſcitarent.* Proprius dolor Serinios angebat, potentes opibus, propter Serinuarienſem arcem, quam arguerent eo bello pene Turcis proditam: id autem velut

ab

ab odio in ſe præcipuo quodam profectum accipiebant, 1683.
unam ob noxiam, quod eminerent ipſi inter alios; metuſque eſſet ne quando exiſteret e ſanguine ſuo, qui regnum vindicaret in libertatem. Veluti de induſtria aliæ atque aliæ cauſæ exiguo tempore intervenerunt, quæ male animatos ad arma demum impellerent. Nam primo Nicolaum Serinium, virum bello inſignem, principem familiæ, etiamſi diceretur ab apro inter venandum occiſus, rumor tamen non abfuit, necatum juſſu Cæſaris, quod paſſim liberis ſermonibus inducias cum Turca vituperaret, ſtudereque præter cæteros crederetur rebus novis: inde Petrus frater ejus, homo ferox & turbidus, qui præfecturam Caroloſtadii magnopere petebat, repulſam tulit: tum, mortuo Veſelenio Palatino regni, non ſolum habita ratio non eſt Franciſci Nadaſti, unius ex primoribus, qui dignitatem eam ſibi depoſcebat; ſed etiam vulgavit fama, agitari de abolendo magiſtratu, qui propter potentiam nimiam ſuſpectus eſſet. Itaque inſtincti furore ac rabie conjurant inter ſe de moliendo bello contra Cæſarem. Quanquam familiæ ex propinquitate aut affinitate contingebant primos quoſque Pannoniorum, facturos etiam una ſecum putabant Tranſylvanos: Serinius nanque filiam in matrimonium collocarat Franciſco Ragotzio, præcellenti ibi opibus, magnaque inter proceres auctoritate: tamen copiis ſe haudquaquam pares fore cernentes, impium ab ira mutuantur conſilium. Per occultos nuncios agunt cum Turca, ut exercitum in Pannoniam inducat; adjuturos polliciti, ut regni parte reliqua potiretur. Ita enim ſtatuebant: vel ſi futuri non eſſent in meliore fortuna exinde vectigales & ſtipendiarii Turcarum; id duntaxat habituros ſolatii, quod injurias ſibi illatas Cæſar non ferret impune. Satis conſtat, huc inſuper exceſſiſſe odium, ut vitæ ejus inſidiarentur, ferro primum in itinere, poſtea veneno Viennæ. Spes oblata Turcas nihil movit. Nam præterquamquod vires univerſas intenderant in Creticum bellum;

Bellum cogitât contra Cæſarem,

Turcam in eum concitant fruſtra.

gen-

1683. gentem quoque ſpernebant ut levem & infidam. Poſt aliquanto cum conjurationis ejus, in quam ſocii aſſumpti plures fuerant, indicia facta Cæſari eſſent: comprehenſi Serinius, Nadaſtus, & Franciſcus Chriſtophorus Fregepanes ante alios, manifeſtoque crimine convicti, ſecuri percuſſi ſunt, & bona eorum publicata. Publicata etiam multorum, qui ejuſdem culpæ affines aufugerant in Tranſylvaniam. Tum Cæſar, ſublatis principibus, tempus eſſe credidit frangendi contumaciam Pannoniorum acribus remediis, quibus antea pepercifſet. Nec mora, Palatinatum extinguit in perpetuum; & in Palatini locum adminiſtratorem regni creat Magnum Magiſtrum Ordinis Teutonici, virum ſolertem expertæque fidei; Germanis itidem aliquot attributis, quos conſiliarios adhiberet. Continuo quæ arces minus videbantur munimento tutæ, curat reficiendas firmandaſque operibus novis. In id auget populis tributum: copias ſimul alias deſtinat Germanorum militum; ut, ſi ab turbulentis moveretur aliquid, e veſtigio opprimerent. Præterea vim exercuit in Heterodoxos, qui magna ibi multitudine ſectam Lutheri aut Calvini ſequerentur. Gravibus edictis propoſitis, non ſolum licentiam coercuit creſcentem in dies, ſed complura etiam, quæ conceſſerat cauſa temporum, ademit; reluctanteſque mulctavit, & bona eorum juſſit publica eſſe. Aſt quibus perpacaturum ſe regnum putarat, iis pravum ingenium ad majora audenda irritavit. Actum de libertate vulgo arbitrati, niſi, qua via daretur, obviam irent; ſumptis armis, alii alibi tumultus cient. Quod tamen duces præeſſent fere ignobiles rudeſque militarium artium, Germano pares militi nuſquam erant: ſæpe deprehenſi locis iniquis, ut ne fugæ quidem pateret iter, in medio cædebantur. Edocti igitur damno, quod ſuaſerat a primo Princeps Tranſylvaniæ Abaffius, contrahunt in unum vires: communicatique conſilia inter ſe, ſummam imperii deferunt ad Paulum Veſelenium, clara quidem nobilitate, at eundem

Conjuratio detegitur.

Principes capite mulctantur.

Severa Cæſaris in Pannonios conſilia.

At illi nihilominus ad vim conſurgunt;

duce Paulo

dem oppido juvenem, reique bellicæ uſu pene nullo. 1683.
Hic millibus aliquot Polonorum militum, ducibus Gallis, copias cum auxiſſet; ut incœpto forti ſtatim clareret, Eperias ducit oppugnatum, urbem validam Pannoniæ Superioris ad Poloniæ fines. Ac initio magna in ſpe fuit, compelli obſeſſos commeatuum inopia ad deditionem poſſe. Verum poſtea, delectis cohortibus Germanorum ſupervenientibus, fœda cum cæde repulſus inde, in Tranſylvaniam trepide recepit ſe ſe, ob calamitatem acceptam contemptus ab ſuis. In ejus locum Emericus Tekelius ſufficitur, ortus genere illuſtri, quique magis quam pro ætate prudens haberetur peritusſque belli. Fuerat pater ejus inter conjuratos, evaſeratque ſupplicium fuga in Tranſylvaniam: propterea bonis illum cunctis ſpoliarat Cæſar. Et cœptis Emerici adſpiravit fortuna. Nam præter numerum haud exiguum peditum, coactis equitum millibus ſeptem, Pannoniæ Superioris urbes montanas adortus, ſubegit incluſos, metu ne diriperentur, ad vim pecuniæ pendendam. Haud ita multo poſt fuſus fugatuſque a Germanis, rem tamen aſtuto conſilio ſuſtinuit. Cum enim Cæſari ſpeciem feciſſet quærentis pacem; inducias & commoda militibus ſuis hyberna impetravit. Vix ſperare auſi eſſent Pannonii, fore ut ſecundum pugnam adverſam, cum Cæſare rege ſuo, velut ex pari dignitate, paciſcerentur. Quod opera Emerici ſe aſſecutos videntes, undique ad ſigna alacres confluebant; ut ille modicum jam nihil prædeſtinaret animo. Opportune ad auctoritatem vireſque augendas evenit, uxorem ſibi ut adjungeret Petri Serinii filiam, cujus in tutela liberos reliquerat Ragotzius vir nuper mortuus: ut per eas nuptias frueretur tanquam ſuis, bonis ferme omnibus Ragotziæ gentis; interque alia teneret præſidio Mungatſchium, arcem munitiſſimam haud procul Poloniæ finibus. His crevit plurimum & apud Turcas. Ut clandeſtinis legationibus Conſtantinopolin miſſis, verſa in ſe ſenſit ſtudia; jamque Kara Muſtapha princeps Viſſirio-

Veſſelenio primum, *mox Emerico Tekelio.* *Tekelii artes & vires.*

1683. ſiriorum pollicebatur auxilia magna: callide inſerendo moras, poſtulandoque iniqua, id curabat, ut, dum ſibi cum illis conveniret de condicionibus, Cæſarem interea vana ſpe detineret. Regi tamen Mahumeti perſuadere haudquaquam erat facile. Inducere ipſe in animum non poterat fidem frangere, nondum exacto tempore induciarum: antiſtites quoque ſacrorum multi enixe dehortabantur, objecto metu cœleſtium irarum, ſi Deum conventorum teſtem atque arbitrum falleret. At Viſſirius, qui, Pannoniis una connitentibus, habere ſe in manibus victoriam putaret, præciperetque aviditate prædam ingentem; aliis atque aliis eum aggreditur. Quidquid ad fines moveretur ab Germanis, perverſe interpretando affingendoque falſa, ſpeciem imponebat injuriæ gravis factique hoſtiliter. Subinde ex Pannonia literæ afferebantur Baſſarum, qui cupientes bellum, ſeu ſponte ſua ſeu ut aſſentarentur Viſſirio, complura mentiebantur, quæ regis iram accenderent in Germanos. Ubi hæc proficiebant minus; periculum proponebat, quod maximum impenderet ab ſuis: *Janiſſaros diutino otio luxuriantes, ni bello occuparentur, non longius quieturos. Quæ ſuperbe ferociterque flagitaſſent, non ſemel illis conceſſa, ne fierent procaciores. Extuliſſe autem ex eo magis animos: & ſeditioſas jam voces audiri querentium deſidem regem, & indignantium, ecquid ita cunctaretur uti oblata opportunitate proferendi regni in Pannonia? Inde vero quid metuendum eſſet, documento fuiſſe Heibrahimum patrem ejus, tumultuantium Janiſſarorum conjuratione repentina ſublatum. Nihilo timendos minus Effendos. Ad vim religionis, cui præſunt, & judiciorum, quæ adminiſtrent, acceſſiſſe divitias immodicas; quibus inflati nihil ſibi putent non licere. Credere poteſtatis ſuæ eſſe vel regem ipſum dejicere dignitate. Nec, ſi ſcelus audeant, videre ſe ſe qui reſiſti queat. Etenim cum multitudinem aliam tanquam divino inſtinctu ſecuturam; tum Janiſſaros, quibus auctor modo apertæ ſeditionis deeſſet, velut ſigno dato, in facinus conſurrecturos. Hac mala uno conſilio averti, ſi exercitus immitte-*

Rex Turcarum a bello alienus.

Viſſirius belli cupidus,

regem incitat ad arma movenda.

Digitized by Google

mitteretur in Pannoniam. Nam Janiſſaros protinus ablegari 1683. *quorum numerum magnum, ut proſpere omnino gereretur res, oppugnandis tamen arcibus, exercitibus cædendis, difficultatibus itinerum, incommodiſque belli aliis abſumi neceſſe ſit. Amplificandi imperii ſpem haud ambiguam facere validas vires ipſius, infirmas Cæſaris, eodem tempore habituri Pannonios infeſtos armis, & parte copiarum obſervaturi Gallos, ne occaſionem arriperent turbandæ Germaniæ. Terminato autem bello, quid obſtiturum victori ne Effendos quoque ſibi obnoxios redderet, ſineretque tantum eos pollere auctoritate atque opibus, quantum ſibi tutum exiſtimaret?* Inſita erat regi cupiditas auri inexplebilis: itaque inde quoque ſtimulos ille admovere: *ſtatim atque indixiſſet Cæſari bellum, liberum ei fore grave tributum imperare populis omnibus regni ſui: & mox exacturum tantum pecuniarum, ut, impenſis neceſſariis in bellum ſuperfuturum eſſet unde ipſe ditiſſimus fieret.* Cum hæc *Perſuadet.* hariolans ſubjiceret identidem Viſſirius; regina mater etiam conferret operam, ab Tekelio muneribus egregie culta: perpulere tandem, ut Cæſarem bello peteret. Illico cum legatis Tekelii pactiones occulte conficiuntur: *ut is, pulſis Germanis, rex eſſet Superioris Pannoniæ; annuumque tributum regi Turcarum penderet.* Scriptæ ſimul literæ ad Baſſam Budæ, quibus præcipiebatur, ut, quantum liceret ex tuto, conanti auxiliaretur. Tum Tekelius, *Tekelius Caſſoviam capit,* poſita mentione pacis, cujus oſtentando ſtudium fruſtratus Cæſarem fuerat; collecto celeriter exercitu, ab Caſſoviæ oppugnatione rurſus orditur bellum. Urbem firmam munimento idoneum tuebatur præſidium Germanorum; ut nonniſi longo tempore ac labore capi poſſet. Sed partim quod incluſos terrebant mala obſidionis; partim quod principes Civitatis Tekelio clam favebant: expectatione citius facta deditio eſt. Ab Caſſovia Eperias, *Eperias, Leventium, & Filletum.* inde Leventium ductus exercitus. Utrobique portas cum aperuiſſent oppidani; ad Filletum tentandum procedit. Poſtquam hoc quoque oppido paucorum oppugnatione dierum potitus erat, jamque Baſſa Buden-

1683. ſis, accito ex Tranſylvania Abaffio cum copiis ſuis, ad triginta millia armatorum contraxerat circa Budam; ut, quamvis nihil illinc aperte moveret contra Cæſarem, vulgo haud ambigeretur quin apparatus ille pro Tekelio eſſet: brevi Superior Pannonia fere omnis ad hunc defecit. Ibi Baſſa, quod imperatum noviſſime fuerat ab rege, convocatis Civitatum legatis, Tekelium Superioris Pannoniæ regem ſolemni ritu appellat: quo tamen ipſe nomine abſtinuit, contentus Principis titulo; eoque inſcripta edicta promulgavit, quibus ſibi ut uni poſthac obedirent, populis denunciabat. Nummos quoque juſſit cudendos, ſignandoſque: *Emericus Tekelius Princeps Hungariæ: pro Deo, pro Patria, pro Libertate*. Senſerat antea Cæſar, nihil neque agere aliud illum, neque cogitare, quam ut incitaret Turcas ad bellum. Attamen hos vix crediderat violaturos fidem induciarum; opinionem alentibus Hiſpanis, quibus expediret, Germanos incumbere in id unice, ut, ubi opus foret, vires univerſas opponerent Gallis, unde inſtare denuo bellum videretur. Quocirca non deſtiterat tentare, ſi multis concedendis traducere ad bonam mentem Tekelium, ipſum, pacareque Pannoniam poſſet. Verum cum & fama in dies gravior de Turcis, & cura creſceret; quo certius exploraret animum, legarat Conſtantinopolin Albertum Capraram, ut induciæ, exituræ biennio poſt, prorogarentur. Non abnuebat primo Viſſirius, perſtans in ſimulatione amicitiæ, ut inſtructiſſimus ipſe milite atque armis adoriretur Cæſarem imparatum. Pacto autem induciarum nonnulla minus æqua adjiciendo, de quibus aſſentiri nequiret Caprara, rem trahebat. Ubi proſpere cadebant Tekelio cuncta; jamque bellum, quod mole magna apparabatur, tegi ultra non poterat: tum denique expromit, *haudquaquam placere proferri inducias: regi ſuo deſtinatum eſſe Superioris Pannoniæ regem Tekelium conſtituere, qui annuum ei tributum penderet*. Ita dubitatione exempta quin dimicandum propediem cum Turcis eſ-

[Margin:] rex Pannoniæ appellatur.

[Margin:] Caprara mittitur a Cæſare Conſtantinopolin.

[Margin:] Viſſirius animum aperit.

ſet;

ſet; ſimul undique ex Germania militem cogit Cæſar, 1683.
ſimul jungendos ſibi fœdere Polonos curat. Non deerant, quæ hos advocarent in ſocietatem. Angebant Camenecia & pars Podoliæ ab Turcis retentæ. Et recipi eas intererat cum privatorum, qui ibi poſſederant agros, tum reip. quod illac nudum apertumque eſſet regnum incurſionibus Tartarorum. Timor quoque objiciebatur ne, ſi barbaris e ſententia res eveniret in Pannonia, e veſtigio ad ſe proximos bellum tranſmitteret. Ad arma accendebat Joannes rex, percupidus militaris gloriæ; itemuxor Ludovica Maria Caſimira, excelſo mulier animo, eximiaque religionis pietate. Studium erat ſingulare Innocentii etiam Pontificis, ad quem miſerat in id Cæſar Georgium Adamum Martinitzium; ſimulque opera ejus præclara. Nam per Opicium Pallavicinum legatum ſuum ad regem remque publicam Polonorum, conciliando principes donis, & auxilia ad bellum pollicendo, concitabat in hoſtem communem. Attamen in conventu gentis cum de fœdere actum magno certamine eſſet; parum abſuit quin nihil decerneretur. Obtinet ibi mos, ut niſi, quibus jus eſt ſuffragii, conſentiant ad unum omnes, ſcitum fieri nullum queat: nec raro contingit, ut ubi de rebus pluribus incidit deliberatio, quamvis concors de cæteris ſententia fuerit, unus quivis tamen poſtremam improbando, etiam quidquid de aliis ſancitum ſit, irritum faciat: atque in eo libertatem, cujus ſunt præter modum diligentes, poſitam putant. Itaque, quod eſſent, qui odio belli cauſando ærarii inopiam & metum a Moſchis, quibuſcum non certa pax, induciæ modo erant, acriter adverſarentur: propemodum vano incœpto diſceſſum inde eſt. Evidenti tunc ope divina ſubventum Cæſari: etenim præter ſpem mutatis repente voluntatibus, bellum juſſerunt univerſi. Scriptum continuo fœdus: neque ita multo poſt Romæ per Cardinalem Pium Cæſar, rex Poloniæ per Cardinalem Barbarinum, coram Pontifice condiciones

Cæſar parat ſe ad bellum:

Polonos in ſocietatem vocat.

Rex & regina libenter aſſentiuntur.

Poloni primo recusāt.

Deinde conſentiunt de fœdere faciendo.

Digitized by Google

1683. jurejurando confirmarunt : *ut communibus conſiliis bellum*

Condiciones.

gererent contra Turcas : Cæſar ne minus ſexaginta millia militum , neve minus quadraginta rex haberet ; quibus ille Pannoniæ urbes , hic Cameneciam cum primis recuperare niteretur : ſi Viennam aut Cracoviam oppugnatum iret Turca , ut alter alteri cum omni exercitu ferret opem : neutri jus uti eſſet cum hoſte ſeparatim paciſcendi : confecto autem condicionibus bello , quocunque tempore Turca alterutri eorum inferret arma , ut ne cunctaretur alter copias conjungere ad vim repellendam : ut quivis Chriſtianus rex Princepſve , nominatim reges Moſchorum in communionem ejus fœderis volentes reciperentur . Inter hæc Cæſar diem ad conveniendum edixerat militi ſuo circa Poſonium : ubi cum exercitum ipſe luſtraſſet, quadraginta ferme millia armatorum ; Carolum Lotharingiæ Ducem ſummo cum imperio præficit . Optimum vero viſum conari extemplo aliquid ad Turcas demorandos ; quo ſpatium interim eſſet augendi vires . Ducturos per Superiorem Pannoniam , erat pro haud dubio . Quocirca Lotharingius aggredi Neoſelium conſtituit ; qua capta urbe , velut propugnaculo objecto , primos impetus retardaret. Sed oppugnare adortum revocat ex improviſo Cæſar . Datis Tauruno literis nunciabat Caprara , *regem Turcarum eo veniſſe , coactumque exercitum centum quinquaginta millium tradidiſſe Viſſirio : hunc autem , tranſmiſſo Savo , Murſam magnis itineribus contendere .* Apparebat Pannonia Inferiore hoſtes adventare . Lotharingius ergo , relicta confeſtim oppugnatione , Comariam properat : Iſtrum inde ad Jaurinum trajiciens , cis Arrabonem caſtra locat , flumen ab fronte pro vallo habiturus. Qua tranſitum dabant pontes , S. Gotthardi appellant , præponit cuſtodiæ Chriſtophorum Budianum cum valida manu Germanorum & ſex Pannoniorum millibus , qui Cæſari fideles in primis viderentur : imperatque , ſi acrius ea parte urgeat hoſtis , reſcindat illico pontes . Vixdum caſtra permunierant , cum opinione celerius aderat jam Viſſirius . Et modico ab Arrabone intervallo conſti-

Lotharingius præfectus copiarum Cæſaris:

Neoſelium oppugnat.

Relicta oppugnatione, ad Arrabonem conſiſtit.

Adventus Viſſirii.

tuens

tuens ſigna; triginta millia armatorum, Tartaros ac Turcas permixtos, rege ipſo Tartarorum duce, quibus ſe Tekelius cum millibus aliquot ſuorum adjunxerat, ad tentandum tranſitum S. Gotthardi mittit. Proditur ibi Budiani ſcelere nefario res. Homo inſignite perfidus, qui ſe tamen ad eam diem fidiſſimum Cæſari ſimulaſſet, occaſionem nactus effundendi odii, non modo pontes non reſcidit; ſed etiam facta hoſtibus facultate libera tranſgrediendi, ſimul cum Pannoniis ſuis ad eos defecit, ſimul Germanos, quos attribuerat Lotharingius, deſtituit ad certam cædem. Tunc a barbaris quidquid inter Arrabonem, & Leitham flumina interjacet, ferro vaſtatum ignique. Lotharingium, inopinata proditione perculſum, grave aliud tempore eodem valde turbabat. Partem exercitus in vicinas arces diſtribuerat, aucturus præſidia contra vim ſubitam; ut millia militum quatuor & viginti tantum in caſtris eſſent: hos autem ipſos, ubi audiere ſuperatum ab hoſte Arrabonem fluvium, tantus invaſit terror, ut equites præſertim ſpectarent unum, qua ſe referrent in tutum; deſerto peditatu, qui curſum aſſequi equorum non poſſet. Dum tribuni centurioneſque retentant cedentes; aggreſſi Turcæ agmen poſtremum, cohortibus quatuor cæſis, impedimenta legatorum, quæ ibidem erant, ceperunt. Ac deletus foret peditatus omnis, niſi, equitibus jam revocatis confirmatiſque, cum parte eorum vectus ad ultimos Lotharingius impetum repreſſiſſet. E veſtigio, quod unice in tanto diſcrimine cenſebatur ſalutare, copias dividit. Leslæum legatum cum peditibus concedere protinus jubet in proximam inſulam Cituorum, ut ibi ſe munimento fluminis defenderet: ipſe cum equitatu Leopolſtadium inſulam ad urbem Viennam, contendit. Inter hæc Viſſirius Jaurinum circumſederat: placuerat nanque in concilio non relinqui ab tergo id oppidum, metu ne a Germanis intercluderentur commeatibus. Sed fecit Tekelius, ut paulo poſt abſiſteretur incœpto. Admonens, ni tempus

1683.

Budiani proditio.

Pavor Germanorum,

& cædes.

Viſſirius adoritur Jaurinum.

1683. tempus muniendi haberet Cæſar, occupari parvo certamine caput ipſum rerum Viennam poſſe, Viſſirium impulit ut recta illuc duceret ad oppugnandum. Exigua nihilominus ad Jaurinum mora prorſus creditur Cæſari atque urbi ſaluti fuiſſe. Etenim Cæſar obſidionem prævertere potuit fuga: quæ tamen cum difficilis fuit trahenti parvos liberos & prægnantem uxorem, tum plena periculi. Lentium primo ſe receperat. Verum mox afferentibus trepidis nunciis, ſequi citato agmine ad viginti millia Tartarorum, principibus aliquot Pannoniorum ducibus: proripuit ſe inde; ac deviis fere itineribus, ut hoſtes declinaret, multo labore Pataviam, in Auſtriæ & Bavariæ finibus, pervenit. Viennam autem, ubi plurimus pavor, immunita prope omnia, militum vero paulo plus millia duo erant in præſidio, haud ambigitur quin primo adventu redacturi in poteſtatem Turcæ fuerint. Dum hi ad Jaurinum copias admovent: & Lotharingius accedens erexit nonnihil oppidanos, compluraque imperavit, quæ ad tolerandam oppugnationem magno uſui fuerunt; & Leslæus, cum anguſtiæ temporis non ſinerent imperatorem conſuli, judicio ſuo uſus, eductum peditatum ex inſula Cituorum, diem noctemque itinere continuato, induxit in urbem. Jamque amplius ſex & viginti millia armatorum intus recenſebantur: parati nanque aderant ad militaria obeunda munera opifices omnis generis; juventus quoque, quæ ſtudiorum cauſa eo ſe contulerat: ex vicis inſuper extra mœnia, quos, ne auxilio forent oppugnantibus, dirui incendique voluerat Lotharingius, acceſſit hominum multitudo; quorum qui apti bello viderentur, ordinati centuriatique multum in obſidione profuere. Curam militarium rerum demandarat Cæſar Herneſto Rogerio Starembergio, additis legatis duobus, Gulielmo Daun, & Carolo Serenio, quique loco proximo his eſſet, Ferdinando Obitio: civilium autem Jo. Gaſpari Oderkio, qui lapſi deinde in morbum Starembergii functus

Relicto incepto, Viennam properat.

Cæſar fugit.

Vienna paratur defenſio.

Præſidium urbis:

præfecti & duces.

ctus vicem eſt. Ne ſileantur hic fraudenturve laude ſua viri generis nobilitate, at magis animi virtute illuſtres, Princeps Antonius Vvirtembergenſis, Guidus Starembergius, Federicus Sigiſmundus Scharffembergius, Princeps Ferdinandus Schuvartzembergius, Leopoldus Kolonitſchius Epiſcopus Novoſtadienſis, creatus poſtea Cardinalis: qui inter alios periculi, quod impenderet, magnitudine nihil retardati, ſubire incluſi quencunque caſum ſtatuere. Lotharingius, proviſis pro tempore neceſſariis ad defenſionem urbis, ne modicum equitatum trucidandum objiceret exercitui tanto hoſtium, qui jam approquinquantes incendiis paſſim ſæviebant; pontibus Iſtro raptim injectis transgreſſus, locum petit ab præſenti impetu tutum ad Monaſterium Neoburgium, ut ibi auxilia, quæ a Cæſare mitterentur, exciperet. Opportunum id fuit conſilium, quod differri ſine pernicie equitatus ejus ne minimum quidem momentum poterat: vix nanque iter ingreſſum adepti ſunt præcurſores Turcarum. Atque hos quidem ſe ſe acriter invehentes repulit per Sultzium legatum: quod ſi copiæ aliæ ſuperveniſſent, quæ haud multum aberant, ipſa multitudine obrui neceſſe erat. 111. Id. Quint. ad Viennam cum ſucceſſiſſet Viſſirius, circumdat illico armatos; atque unde proxime licebat per hoſtem, mœnia ſitumque equo vectus ſpeculatur. Operæ non viſum vallo cingere; quod pro vallo eſſet exercitus, quacunque ferres oculos, immenſum obtinens loci. Fuiſſe tradunt millia hominum amplius ducenta, præter calones lixaſque. Partem autem urbis, quæ fere ad occidentem & meridiem vergit, pronam aggredientibus arbitratus, ea potiſſimum oppugnare conſtituit. Excitatis celeriter aggeribus, diſpoſitiſque tormentis, quorum vim ſecum advexerat ingentem, tertio poſt die propugnaculorum duorum munimenta externa diverberari cœpta ſunt; mox parmula, quæ propugnacula interjacet: ſic vocant militares architecti genus munitionis trianguli forma, præſtructum portæ, paulumque prominens,

1683.

Lotharingius concedit Cloſterneoburgum.

Vienna oppugnatur a Turcis.

1683. nens, qua muri arcium extrinſecus foſſa firmantur. Quos ex omni numero Baſſarum apprime peritos oppugnandi habebat, Mahumetem & Achomatem, præfectos Meſopotamiæ & Temeſvariæ, læva hunc, illum dextra præponit: ipſe medium locum ſumit ſibi, ut virtutis cujuſque & ignaviæ ſpectator ac judex eſſet, utque petentibus parmulam aſſiduus inſtaret: hac enim capta, quod credebatur fore haud difficile, ſatis fidebat brevi ſe ſtraturum adverſam loricam muri, atque illac agmine ſuorum in urbem irrupturum. Primis ſtatim diebus ventum intus prope ultimum diſcrimen. Cœnobium nobile Monachorum, haud ſatis compertum fraude ne domeſtica, anne caſu igniferæ ollæ, abſumptum incendio eſt: lateque fuſa inde flamma tecta corripuit vicina armamentario, & turri, qua pulvis ſulphureus aſſervabatur; ut ne huc ſerperet, diruentes obſeſſi continua ædificia, vix prohibuerint. Auxit ea res animum Turcis: juſſique ab Viſſirio libratores quantam maximam poſſent ignium procellam in urbem conjicere. Cæterum quando tormentis ſpe tardius procedebat oppugnatio, cuniculos ſimul agere inſtituit. Multitudine abundabat foſſorum. Quare exiguo tempore ſubter propugnaculorum munitiones cuniculis perfectis ſuccenſiſque, fit utrinque impetus per ſtragem ruinarum. Incitabant duces, plurimum momenti ad reliquam obſidionem in eo eſſe rati, quod primum tentarent. Et audacter ſubibant milites, in tela ac vulnera ruentes: ſubmiſſi inde plures in locum occiſorum, non ſemel inſtauraverunt certamen. Poſtquam uſque reſiſtentibus Germanis, alii ſuper aliorum capita devoluti, vivi mortuis incidentes cumulabantur, nemo unus ſcandebat: fracta ad extremum cædis magnitudine ferocia eſt. Irrito ibi conatu, paulo poſt Viſſirius, parte parmulæ cuniculo itidem eversa, promptiſſimum quemque jubet invadere. Sed cum hic quoque ruinis ſuperſtantes Germani impigre vim arcerent; nec hortando ipſe atque urgendo quicquam

Incendium in urbe.

Turcæ aggrediuntur munimenta fruſtra:

ut & parmulam.

quam

quam proficeret: revocat ſuos, cautaque conſilia fortibus præferens, injungere munimentis vineas parat aggereſque, cuniculis quoque latius viam patefacere ad perrumpendum. Ac molitio quidem ſucceſſit; lente tamen adeo, prope ut pœniteret cœpti. Obſeſſi enim ad omnia obeunda parati inſtructique, qua plus periculi oſtendebatur, ea pertinacius obſiſtebant: nec eminus ſolum majoribus balliſtis repugnando nihil tutum eſſe patiebantur munientibus; ſed etiam nunc in opera, nunc in ſtationes erumpentes, plerunque iis ſuperabant prœliis. Labor hæſit præſertim circa parmulam. Undecies nanque ferro atque armis aggreſſus Viſirius, ſenſim progrediendo, undequinquageſimo ſolum poſt die, jactura magna ſuorum, potitur. Nihilo interea ſegnius oppugnabant Uſſeimus Baſſa Damaſci, Mahumeti ſaucio ſuffectus, atque Achomates. Et, promotis aggeribus, foſſæ partem mœnibus adverſam diu multumque connixi ceperant; tantumque non jam urbi continuarant opera. Muri quoque propugnaculorum prociderat aliquantum; ut ea tranſcendere armati in urbem ipſam ſæpe conarentur. Primo, haud admodum patente intervallo, facile pellebantur. Verum cum acti cuniculi alii atque alii continentibus ruinis propugnacula deinde nudaſſent; ferme juſtæ acies in ſtrage lapidum concurrebant: ut lata fronte irruentes Turcas ægre ſuſtinerent Germani. Propterea introrſus duci placuerat vallum, quod, propugnaculis amiſſis, principium velut integri laboris oppugnantibus eſſet. Sed non una faciebant, cur nequaquam viderentur diu reſtituri. Nam, ut Turcarum quotidie caderent plurimi aut vulnerarentur: tamen & crebris ab Dacia, Mœſiaque, ac Thracia auxiliis exercitus ſupplebatur; & prædæ cupiditate multitudo alia affluebat undique. Incluſi vero in dies pauciores, iique fatigati prœliis, opere, ac vigiliis, minus prompti ad ſingula erant. Super bellum premebat annona: morbi quoque ingruerant vulgo; ac præfectus ipſe

[Margin: 1683.]

[Margin: *Obſeſſorum virtus.*]

[Margin: *Turcæ parmulam capiunt:*]

[Margin: *Proruunt propugnaculorum muros.*]

[Margin: *Labor obſeſſorum.*]

1683\. Starembergius æger decumbebat. Quamobrem unica eademque longior, quam res poſtularet, ſalutis relinquebatur ſpes, ſi Lotharingius cum exercitu venire ad opem ferendam maturaret. Nec mittere ad eum poterant nuncios per cuncta ſtationibus, cuſtodiiſque, atque omni providentia militari tuta & firma. Inventus tandem eſt præſenti animo Polonus juvenis, qui acceptis literis, Turcica indutus veſte, per media hoſtium caſtra pervaderet. Haud diſcrepat, ſi tunc Viſſirius tribus ſimul ab partibus adortus urbem eſſet, quin vi atque impetu expugnaturus fuerit. Sed quominus uteretur fortuna, ipſius avaritia effecit. Compelli ad deditionem obſeſſos volebat, ut præda urbis opulentiſſimæ potiretur: obtendebat autem aviditati cauſam, malle ſe labore, quam ſanguine militum ſuorum, incœptum peragere. Hæc ad Viennam cum gererentur: in Germania, Poloniaque cura ingens ſtimulabat ſubveniendi. Ex quo Cæſar fugerat Vienna, per legatos circa Principes & Civitates Germaniæ rogarat auxilia; petieratque ex fœdere ab Poloniæ rege. Ac fama gravior in dies de obſidione ita incitabat, ut in quo quiſque ceſſaret, prodi ab ſe crederet Chriſtianam rem. Germanis anteverterunt Poloni, millia novem militum, quæ primo ad edictum convenerant, extemplo miſſa ab rege: quod ſubſidium approperatum non levem ſtatim commutationem attulit. Lotharingius enim, qui ad hanc diem diffiſus viribus, paſſus fuerat per Auſtriam Inferiorem vagari licenter barbaros, ſubinde flumen tranſmittentes ad prædandum; tunc manum validam eorum, quos Huſſehimus Baſſa & Tekelius ductabant, de improviſo adortus, fudit ac fugavit, ſexcentis cæſis, prædaque, quam abigebant, recepta. Eodem tempore Polonus, qui literas ad illum pertulerat, arte ſimili eludere denuo Turcas potuit: traditæque viciſſim literæ ad Starembergium id in urbe addiderunt animorum, ut perinde atque haberent jam auxilia, quæ expectabant, fiducia ipſa

Miſſus auxilia petitū ab Lotharingio.

Viſſirius deeſt occaſioni ſuæ.

Adventus auxilii ab rege Poloniæ.

Prædatores Turcas Lotharingius cædit.

atque

atque audendo non modo inferentem ſe hoſtem repellerent, ſed etiam multo quam ante infeſtius erumpentes, opera diſturbarent disjicerentque. Interim Lotharingius facturus tantum ab Turca intervalli, ut ad ſe tutus ſubſidiorum adventus eſſet, ab Monaſterio Neoburgio Cremſam retro moverat caſtra. Huc opinione omnium celerius Joannes rex cum Jacobo filio natu majore, & quinque millibus equitum venit; copiis aliis Polonicis, quam citatiſſimo poterant agmine, ſequentibus. Mox undique ex Civitatibus Germaniæ concurrentibus eodem armatis, in quibus decem millia erant Bavarorum, totidemque millia Saxonum, Electoribus ipſis ducibus; tum magno numero Principum aliorum Germaniæ, quos ſalutis communis ſtudium, ſpeſque gloriæ domo exciverat, ducentes multos militem ſuum; advenientibus poſtremo Polonis reliquis: exercitus nonaginta ferme millium effectus eſt. Numerum ſi ſpectares, haudquaquam erat Turcicis copiis par. Cæterum robore, ac virtute militum putantes præſtare ſe ſe rex & Lotharingius, nihil cunctati ſunt ad hoſtem contendere. Contra Caſtra Catulina, quod oppidum abeſt Vienna viginti circiter millibus paſſuum, Iſtrum trajiciunt. Duæ inde ad urbem ferebant viæ: altera præter ripam fluminis patens apertaque; altera per Cetium montem, ſylveſtris fere atque aſpera. Hac ire maluerunt, quia loca plana & porrecta pro Turcis ſuperantibus multitudine videbant fore. Trifariam dividi exercitum placuit. Præerat rex ab cornu dextro cum omnibus ſuæ gentis, adjectis turmis aliquot Germanorum equitum: lævum tenebat Lotharingius cum Cæſaris milite: mediam aciem, quæ tuenda data Bavaris & Saxonibus, copiiſque quas miſerant Germaniæ Civitates, regebant Electores ambo ac Princeps Valdevenſis. Hoc maxime modo inſtructi ad hoſtem procedunt. Duo tunc peccaſſe Viſſirium ſatis conſtat. Nam & partem exercitus trans Iſtrum mittere, ut opprimeret in itinere Polonos, aut certe ne cum Lo-

1683.

Cremſam petit.

Adventus Poloniæ regis.

Ducum Bavariæ & Saxoniæ.

Iſtrum trajiciunt fœderati Chriſtiani.

Ordo exercitus:

1683. tharingio conjungerentur, obſiſteret, cum affatim ad id haberet militum, neglexit: & poſteaquam moviſſe Cremſa cognovit conjunctis viribus Germanos ac Polonos, conſilium reſpuit ſalutare, quod Budenſis Baſſa afferebat, *ut, paulum laxata oppugnatione, ſaltus qua venturos audiebant hoſtes, alibi caſis arboribus, alibi vallo foſſaque aut lapidum congerie, quæ pro muro eſſet, ſuperimpoſitis balliſtis, permuniret: neque enim per omnia opere ac præſidiis obſepta inventuros illos tranſitum: interea obſeſſos, præciſa ſpe auxilii, deditionem facturos.* Inſita ſuperbia ingenio Chriſtianos contemnens, cum ad minas eorum mutare ordinem belli, flagitioſum dictitaret; non ante ſumma vi deſtitit oppugnare, quam juſtum adventare exercitum, ac ſubire jam Cetium montem nunciaretur. Tum vero duces advocat in concilium. Cenſebant pars maxima, *impeditis tantæ molis oppugnatione faciundum periculum univerſi certaminis non eſſe.* Itaque graviter ſuadebant Viſſirio, *ut, omiſſo ſtatim incœpto, tranſductoque Iſtrum exercitu, Neoſelium ſe reciperet. Non defuturam poſtmodo occaſionem bene gerendæ rei adverſus multitudinem longe imparem. Idem conſilium ſalva fama ſua ſecutum olim*, memorabant, *Suleimannum regem, ne urbis ejuſdem obſidione implicitus æquam pugnam Germano faceret.* Sed nihil hæc moverunt viribus præfidentem. Ad utrumque ſatis ſibi eſſe arbitratus copiarum, amplius viginti millibus militum in oppugnatione relictis, ipſe cum reliquo exercitu ad radices montis tripartito hoſtibus occurrit. Jamque Germani & Poloni erexerant in clivos agmen. Exiguus primum labor in imis collibus fuit: nam pleraque molliſſimum aſcenſum præbebant. Deinde quantum egrediebantur in altitudinem, magis magiſque arrecta loca inibant & confragoſa. Præterea ictibus crebris urgebant deſuper Turcæ, quorum præſidiis cacumina tenebantur. Verum difficultatum immemor miles non ante remiſit impetum, quam enitendo, exſuperata iniquitate montis, in ſummum evaderet, hoſtemque deturbaret. Jam inveſperaſce-

Cōſilia ſuorum aſpernatur Viſſirius.

Occurrit Chriſtianis ad Cetium montem.

ſcebat: ergo ibi eo die, is dies fuit a. d. III. Id. Se- 1683.
ptembr. conſiſtunt. Poſtridie, vixdum certa luce, canen- *Chriſtiani conſiſtunt in monte.*
te claſſico, ſimul ferreis pilis peti cœptus eſt exercitus Turcarum, ſimul agmina demitti, quantum inæquabiles viæ patiebantur, ad pugnam compoſita. Ac facilis quidem ſecundis collibus decurſus erat. Cæterum, quod Turcæ ex ſubjectis tumulis vim ingentem glandium & ſagittarum ſupino jactu in locum ſuperiorem mitterent, ægre Chriſtiani deſcendere, nec niſi quantum illos ictibus ſubmoverent tormentorum; *Ægre degrediuntur.* quæ ipſa devehi per declivia & abſciſſa, qua oportebat celeritate, non poterant. Appetebat meridies; cum undique e tumulis hoſte depulſo, in planitiem devenerunt. Inſtruxerat jam Viſſirius ſuos. Quare nulla mora concurrendi facta; *Prœlium committitur.* prœliumque accenſum illico ingens eſt: quod duas amplius horas ita tenuit, ut diſcrimen non faceret fortuna, qua datura victoriam eſſet. Inde parvo momento ſuperare Chriſtiani; loco non uno turbatis Turcarum ordinibus. Submiſſus in tempore miles recens nutantes confirmavit; eoque pauliſper adhuc par contentio fuit. Sed vehementius ab læva illatus poſtea Lotharingius, fronte acieque denſa perculſum hoſtem gradu demovit: ita dextrum Turcarum inclinatur cornu. *Vincuntur Turcæ.* Interim media acies Chriſtianorum valde premebatur, quod agmina barbarorum alia atque alia ſine tumultu ſuccederent ad pugnam. Ubi difficulter ſuſtinere dimicationem ſuos ſenſerunt Bavariæ Saxoniæque Duces, ac Princeps Valdevenſis, alicubi etiam cedere: partem ipſi periculi capeſſunt. Diviſis ſpatiis, cum ſubſidiariis cohortibus ad prima provolant ſigna. Ac brevi non ſolum redintegrarunt prœlium, ſed etiam paulum adverſam aciem pepulerunt. Tum pro ſe quiſque adhortati militem, ut dum hoſtes perturbatos ac trepidantes viderent inſtarent, neve reſtitui ordines ſinerent; renovata impreſſione, Turcam haud dubie avertunt. Et jam terror erat alibi paſſim fugaque: ſiniſtro in cornu fervebat certamen pertinax.

Digitized by Google

1683. nax.. Veruntamen rex, multis conatibus captis, ad ultimum immixtus ipſe mediis, ut vix utrius partis eſſet noſci poſſet, adeo ſuorum incendit animos, ut non telis non vulneribus retardati inferrent ultro ſigna; mox torrentis modo funderent hoſtem, ſternerentque. Fugientes plures, quam pugnantes occiſi: delerique exercitus potuit, ſi inſecuti uſque eſſent victores. Feſſi via & dimicando, eoque magis, quod per dies aliquot commeatibus anguſtis, ut in cura magna feſtinandi, uſi fuerant; non diu victis inſtiterunt: qui præter caſtra ſua pavore prælati, pars variis diſſipati itineribus proximos colles ſaltuſque petiere; cætera multitudo fere omnis non ante ab præcipiti conſtiterunt curſu, quam ad Arrabonem fluvium, quo jampridem Viſſirius fugam intenderat, pervenirent.

Regis Polo. ni virtus.

Viſſirius fugit ad Arrabonem fl.

Sub pugnam extremam Princeps Ludovicus Badenſis, unaque tribunus Heiſlerus cum millibus aliquot Germanorum contenderant Viennam, ibique ad vallum ſuccedebant, acturi cum obſeſſis, quo tempore ſtationes oppugnantium invaderent ipſi, ut eodem & illi parati inſtructique portis ſe effunderent. Impetum tamen non expectaverunt Turcæ. Simul enim ſuos acie victos intellexerunt, ab formidine deſertis operibus, atque abjectis armis; qua cuique fuit proximum, erumpentes ſe ſe caſtris, veſtigia dilapſi exercitus ſecuti ſunt.

Turcæ opera deſerunt.

Cædes eorũ: Supra triginta millia militum inter oppugnandum amiſiſſe Viſſirium conſtat: in urbe ad viginti millia militum aut oppidanorum deſiderati. Numerus Turcarum ea die interfectorum haud facile æſtimari potuit, quia inter anfractus collium ſaltuſque non parva cædes fuit: poſtridie quoque multi in latebris circa opera, in ſylvis ac vepribus occiſi: vivi capti millia amplius tria: Chriſtianique captivi complures vindicati in libertatem. Fœderatorum ceciderunt in prœlio tria ſummum millia & quadringenti. Præda opima parta eſt armis, plauſtris, commeatibus, jumentis, atque generis omnis militarium rerum copia: vis etiam pecuniæ in tabernaculis inventa, plurimum veſtis barba-

Chriſtianorum.

Præda dives.

ricæ,

ricæ, argentea atque aurea vaſa, pretioſaque ſupellex 1683. alia. Qui habitus animorum Viennæ ab ea victoria fuerit, facile exiſtimaveris ex depulſi periculi magnitudine. Tres poſt dies revertit illuc Cæſar, effuſa lætitia civium ac militum: ſupplicationibuſque confeſtim indictis, rite caſteque in templis gratiæ actæ Deo Propugnanti & Vincenti. Mox urbe egreſſus Joannem regem in caſtris adiit: ubi mutua gratulatione perfuncti ſunt; Cæſar impenſius, cujus res opera præſertim illius ſalvæ eſſent. Et cum in aliis paſſim gentibus, vulgata fama victoriæ, gaudium incredibile fuit, tum Venetiis, allatis ad Senatum literis regis ab Thoma Talento a ſecretis ejus, qui cum vexillo Viſirii Romam pertendebat. Momento temporis tota urbe diſpenſato nuncio; patres primum in Æde D. Marci honorem Deo habuere. Deinde privatis quoque ſtudiis celebrata res tanta, plauſibus, clamoribuſque, ac ſpectaculis nocturnorum ignium, & quæ alia populi eſſe ſolent voluptate geſtientis immodica. Romæ etiam, adveniente Talento, gaviſi ita homines, ut vix eſſent compotes ſui: diſcurſumque protinus circa ſacras ædes ad Superos ſalutandos. Innocentius autem, ordinum omnium frequentia ingenti, vexillo Turcarum in templum D. Petri illato, ibi pietate inſigni veneratus Deum eſt: cumque ſecundum Deum Deiparæ Virgini, protegenti ſoſpitantique Chriſtianum populum, victoriam acceptam referret; edixit, ut quotannis, ſtata die, Sanctiſſimo Mariæ Nomini religione tributa, memoria beneficio ejus liberatæ Viennæ ubivis terrarum Chriſtianarum recoleretur. Lætum eventum fecerunt lætiorem geſta ab Germanis ac Polonis ante tempus hybernorum. Quiete dierum paucorum data militi, atque poſt abitum Saxonum in fines ſuos, aucto exercitu cohortibus aliquot Cæſaris, & decem armatorum millibus, quos præfectus copiarum Lithuaniæ ad regem adduxerat: Strigonium aggredi ſtatuunt. Arx oppido jungitur ponte, in adverſa Iſtri ripa, Parkan vocant; eamque viſum

Cæſar in urbem redit.

Venetiis lætitia ingens;

& Romæ.

ſum

1633. ſum eſt prius oppugnare. Dum pontes fiunt infra Poſonium, hinc ab præſidiis arcium ultra flumen cohortes nonnullæ funduntur rebellantium Pannoniorum, ad Vagum amnem, ſupra Leopoldſtadium; hinc quinque Janiſſarorum millia, qui ad Altemburgum loco opportuno ad muniendum ex fuga ſubſtiterant, poſt non leve certamen, quia nullam in partem circumcluſis patebat effugium, juſta cæde confecti ſunt. Exercitu Iſtrum trajecto, partiti inter ſe copias rex, Dux Bavarorum, & Lotharingius Parkan petunt. Primum agmen ducebat rex: Poloni maxime equites erant. Is tranſgreſſus Vagum, non multum ab arce aberat, cum magnum periculum ſubiit. Partem militum, quos ad Arrabonem fuga conglobaverat, jam miſerat Viſſirius, præſidium regioni trans Iſtrum. Rex manum modicam eſſe opinatus, agreſtibus ſeu fraude ſeu quod ita crederent, id affirmantibus; præfeſtinans, ſimul in illorum conſpectum venit, prœlium committit. Senſit mox eſſe numerum ac putarat majorem. At quando neque receptum ab incœpto habebat, & valde premi cernebat ſuos: audacter ipſe cum Jacobo filio, & turmarum robore, permiſſis in hoſtem equis, ſe in mediam dimicationem infert. Ibi dum hortando pariter ac pugnando extendit certamen, parum abfuit quin Jacobus undique circumventus ab Turcis caperetur. Intercurſu patris, manu illum ſua eripientis, ſervatus eſt. Sed cum ferme intolerabilis a fronte vis urgeret: novus repente hoſtis ab latere incurrit, ſeptem millia equitum, quos prominens in propinquo collis texerat. Tum vero, turbatis ordinibus, timor incuſſus Polonis. Itaque primo ſegnius repugnare; deinde, nequicquam revocante atque obſiſtente rege, fuga fieri cœpta eſt. Interfecti ad mille: ac hærentibus in terga barbaris, cæſi forent multo plures, ni Lotharingius, audita pugna, citatum agmen rapiens, in tempore ſuperveniſſet. Tranſiit tunc in victores a victis terror. Vix enim primo impetu excepto Germanorum, in fugam aver-

Secunda acia Chriſtianorum.

Rex Poloniæ ad Vagum fl. pugnat cũ Turcis.

Periculum filii eius.

Fuga Polonorum.

Adventus Lotharingii fortunam mutat.

Digitized by Google

1683.

averſi, Parkan verſus contendunt. Intervallum inde exiguum novo certamini fuit. Irritatis animis, progreſſi eodem inſtruunt in vicina planitie Chriſtiani aciem, ad pugnam laceſſentes. Nec detrectaverunt Turcæ, quibus & cohortes quæ recens venerant ab Viſſirio, & excita confeſtim e circumjectis arcibus præſidia ſpem accenderent. Dimicatum eſt duas horas marte incerto. Pelli inde paulum ſiniſtrum Polonorum cornu. At cum ala equitum advolans Lotharingius ſuſtinuit rem labantem. Interim egregie vincentibus in dextro cornu Germanis, ad æmulandum decus Poloni incitati, rege ipſo inter primos ciente prœlium, eo ſe ardore in Turcas immiſerunt, ut hi nihil jam ordinum memores, qua quemque tulit pavor, fugam caperent. Pertinaciter Chriſtiani inſecuti amplius quatuor millia occiderunt: haud pauci, dum per arcem in ripam alteram conferti tranſgrediuntur, multitudine degravante fracto ponte, vi fluminis oppreſſi ſunt. Nec auſi reſiſtere qui cuſtodiebant arcem. Simul nanque erigi viderunt machinas, cœcati formidine dediderunt ſe ſe. Protinus tunc victores ratibus jungunt flumen, trajicienteſque admovent ad urbem opera. Et haud paulo minus, quam opinabantur, laboris ibi fuit. Tribus uno tempore locis rex, Lotharingius, & Bavariæ Dux biduum cum oppugnaſſent, decuſſaque parte muri pararent impreſſionem: diffiſi viribus Turcæ in arcem confugerunt. Tria millia militum erant. Muniebat murus cum propugnaculis crebris, altus idem, & ſaxo undique abſciſſo impoſitus. Sed diem noctemque continuata oppugnatio, globorumque igniferorum perpetua velut grando ſic conterruit, ut triduo poſt arcem traderent per pactionem. Captum Strigonium magna ſtatim converſio rerum in utraque Pannonia ſecuta eſt. Cum arces complures ac parva caſtella, quæ ab Turcis tenebantur, partim vi, partim voluntate venerunt in ditionem: tum urbes arceſque prope omnes, quæ defecerant ad Tekelium, data ab

Denuo Chriſtiani pugnant cum Turcis ad Parkan.

Turcæ vincuntur.

Parkan deditur.

Strigonii oppugnatio.

Urbs capitur:

inde arx.

1683. Cæſare venia, recipiuntur. Hyems jam appropinquabat: itaque conceſſere Germani in hyberna. Rex, expugnatis in itinere arcibus aliis aliquot inter Vagum ac Tibiſcum flumina, & ipſe rediit in regnum: inde autem ſub tempus brumæ Kunikio legato cum Coſaccorum copiis immiſſo in regionem Tartarorum Budziacenſium, ibi etiam ſecunda fortuna eſt uſus. Nam multitudinem Tartarorum ac Turcarum ſubito adorti Coſacci, fuderunt eos, cædendoque terga perſecuti diu ſunt; quacunque ibant, dum reverterentur in fines ſuos, agros tectaque ferro atque igni vaſtantes. Hæc initia moti ab Turca contra fœdus & fidem belli fuere. Viſſirius alia ſuper aliam accepta clade ictus, metum ceperat ne capite ſuo pœnam dependeret belli, quod, ſe concitante exarſiſſet. Quocirca ſimul venit Taurunum, datis ad Mahumetem regem literis, extenuare calamitatis famam eſt conatus: tum plures Baſſarum tribunorumque e vivis ſuſtulit per ſpeciem ſumendi ſupplicii ob operam ignavam aut infidelem, re, ne extarent auctores ſalubrium conſiliorum quæ aſpernatus ad Viennam eſſet; in primis Budenſem Baſſam: hunc enim, præter cæteros expertum militiæ, accuſatorem maxime timebat. Rex primo quidem ſeu ratus vera ab eo ſcribi, ſeu quia uti præſtabat diſſimulatione, haud magnopere commoveri eſt viſus. Elevare & ipſe verbis cladem; jactareque, *exercitum multo majorem ſe mox confecturum, unde brevis lætitia, qua exultent Germani Polonique, fieret*. Dilucere deinde in dies magis res: *periiſſe quod floris, quod roboris in exercitu fuiſſet: impedimentorum ac machinarum vim fere incredibilem amiſſam: Viſſirii avaritia oppugnationem Viennæ longius extractam; propterea latum a Chriſtianis per tempus auxilium*. Aderant propinqui necatorum Tauruni, crudelitatem hominis conquerentes & flagitium, qui reus unus culpam vertiſſet in capita innoxia. Graviſſima erant hæc, minimeque jam dubia. Benevolus tamen miniſtro rex adduci non poterat, ut triſtius quid-

Rex rediit in regnum:

Coſacci Tartaros fundunt.

Viſſirius timet ſibi: cladem conatur tegere.

Accuſatur:

quam

quam in eum ſtatueret. Veruntamen ut audiit, execrari multitudinem violati fœderis ſcelus, & belli adminiſtrationem palam reprehendere; jamque cuncta ſpectare ad ſeditionem: ſolicitus vicem ſuam, prætorianorum præſidem mittit Taurunum cum mandatis ad præfectum Janiſſarorum de illo interficiendo. Ita, ut imperaverat, factum; perlatumque Hadrianopolin caput tumultum ſedavit. Publicantur continuo bona, quæ pene immenſa per ſeptem annos malis plerunque artibus congeſſerat: mulctantur quoque omnes carcere aut pecunia, quotquot præcipue addicti ei conſiliorumque participes fuiſſent. Suffectus Heibrahimus Baſſa invitus, legatus regis Conſtantinopoli; pacati homo ingenii, qui vulgo in eo motu rerum tantæ moli non videretur par. Bellum tamen ſedulitate magna apparavit, delectibus in Europa atque Aſia extemplo indictis. Ac fore ſperabat, ut principio veris ſatis collectum copiarum ad quoſvis conatus hoſtium haberet. Cæterum ſubibat interdum timor ne totis viribus incumbere in unius belli, quod adverſus Germanos & Polonos eſſet, curam non poſſet. Quieturos Venetos tali tempore vix putabat, quos angi non ignoraret cum injuriis aliis, tum pecuniis ſemel atque iterum ab Muſtapha extortis. Nec deerant, qui hoc anno occulte adjutum ab eis Cæſarem ferrent. Suſpicionem acuebant, quæ ſub idem tempus hoſtiliter commiſerant Illyrii. Jadertini nanque ægerrime paſſi, coactos ſe decedere terris, quas ad Zemonicum conduxerant; ſimul atque vulgata eſt fama cædis Turcarum ad urbem Viennam, eſſe arbitrati occaſionem ulciſcendi, nulla publica auctoritate, arreptis armis, fines infeſti intrarant. Secuti exemplum populi finitimi Jadertinis. Et, ut in nullo belli metu, præſidia adorti imparata, Blandonam primum, oppidum medium inter Jaderam & Sicum, Ouporum deinde ad Tedanium amnem, tum Scardonam aliaque, in finibus deſcribendis fraude intercepta, occuparant parvo certamine. Continuo frequens tunc

1683.

Taurunine-catur.

Surrogatur Heibrahimus:

qui vires reparat.

Metuit a Venetis.

Jadertini conſurgunt in Turcas:

oppida aliquot capiunt:

Digitized by Google

1683. emporium inter Neſtum & Titium flumina, Derniſium, cum concremaſſent, vaſtitatem circa fecerunt ingentem; nihil incolume relinquentes, cui ferro noceri aut igni poſſet. Hæc in ſe auderi adeo Turcis viſum eſt indignum, ut, ni inchoatum in Pannonia bellum avertiſſet, concitaturus impetus iræ ad arma ſtatim fuerit.

agros vaſtant.

Querelæ Turcarum: Viſſirii mina.

Præfectus Boſnæ primo cum Laurentio Donato, inde Viſſirius, inde proceres alii cum Joanne Capellio hoſtile factum vehementer expoſtulare: *haud credere ſe ſe, non publico conſilio eo licentiæ progreſſos Illyrios: errare ſenatum, ſi Turcam ullo tempore opportunum injuriæ duceret: ni e veſtigio ſatisfieret, bellum, quod quæreret, propediem inventurum*.

Donatus & Capellius excuſant factum.

Purgabant ubique Donatus & Capellius: *nullam culpam ſenatus in eo eſſe, quod acti rabie Jadertini aliique auſi repente fuiſſent: rem permoleſtam accidiſſe patribus; jamque exerceri ſevere quæſtiones, ut quas quiſque meritus foret, pœnas perſolveret: curaturos, ut ablata reſtituerentur; quæ non comparerent abſumptave eſſent, ut juſto æſtimarentur pretio, proque his pecunia ab Jadertinis cæteriſque ſontibus redderetur*. Ea dicebantur, quæ, ſi animum æquum adhiberes, nullum relinquerent querimoniæ locum. Attamen ita accipiebant Turcæ, ut appareret dilatam potius, ita temporibus poſtulantibus, ultionem, quam ulciſcendi voluntatem depoſitam. Viſſirio, conſiliis omnibus in Pannoniam verſis, erat firmum novo bello regem utique non implicare. Quamobrem ſatis profici in præſens arbitrabatur, ſi Venetus non occuparet arma capere.

Senatus de bello deliberat.

Patres interea agitare cura anceps: nolle laceſſere Turcas, quorum viribus, ut reſtitum diu animo ac virtute eſſet, ſemper tamen ſuccubuiſſent: nolle oblatam occaſionem elabi movendi belli, quod illos aliquando illaturos haud temere ſuſpicabantur. Ac ſi plurimorum cerneres ſtudia, qualis tunc opportunitas præberetur recuperandi quæ amiſiſſent, nullam deinde ſe exiſtimabant inventuros.

Vocant eũ in ſocietatem Cæſar, & Pol. rex:

Incitabant inſuper Cæſar & Poloniæ rex, in communionem fœderis vocantes; auctores eo tunc graviores,

quod

quod Venetum non afflictis aut trepidis rebus auxilium, 1683.
ſed ſecundis ac florentibus ſocium adjuncturi ſibi viderentur. Pontifex etiam, qui, ſi mari ſimul premerentur Turcæ, proſperos quoſque ſucceſſus augurаretur animo, ad ſuſcipiendum bellum valde hortabatur. *ut & Pontifex.* Huc inclinatis mentibus, unum fere injiciebat moram, quod non ſatis conſtabat, eſſet ne ſententia Cæſari diu bellum continuare: neque enim operæ putabant rem tantam movere, uno aut altero poſt anno omittendam. Poſteaquam per Dominicum Contarenum equitem, oratorem Venetum Viennæ, deinde per Franciſcum Turrianum oratorem Cæſaris Venetiis comperiebant, decreſſe eum non ante abſiſtere bello, quam Pannonia tota exegiſſet Turcas: tum demum diſceptantibus in concilio Sexviris, pars major cenſuerunt bellum indici. Ad Senatum cum retuliſſent; proceſſit ad diſſuadendum gravi oratione Michael Foſcarenus, unus ex Sexviris. *Mich. Foſcarenus a bello dehortatur.*
Etſi ſcio, inquit, *quam ſit invidioſum, in communi omnium gaudio ob liberatam obſidione Viennam, ea loqui, quæ minus conſentanea ſint rebus lætis præſentibus: tamen cum prope abſit, ut hac lætitia luxuriet vobis, vertatque etiam in malum ingens reip., vincat patria caritas; cui prævertiſſe quicquam, non turpe ſolum, ſed etiam nefas duco. Jam de bello Turcis indicendo perinde agitur, ac ſi nobis quidem cuncta eſſent plena cumulataque ad inferendum; illi autem accepto ad Viennam vulnere ſic concidiſſent, nulla ut ſe ope poſſent extollere. Veruntamen videte ne in utroque decipiamus ipſi nos. Minimum illud fuerit, ab navalibus ac terreſtribus copiis, ut in media pace, fere imparatis pecuniam non ſuppeditare, quantam inſtruendi ſumptus depoſcunt. Ac dicere ſi quis habet, unde ſine labore maximo hæc ſtatim paremus exhauſti Cretico bello, quod magna quidem cum gloria, cæterum impendio immani quinque & viginti perpetuos annos toleravimus; age, ſenatum edoceat. Fallimur vero, ſi Turcas uno aut altero prælio adverſo attritos credimus. An ex mortalibus omnibus ſoli ignoramus opes eorum, quas regna vel unis nobis adempta terribiles faciunt? Regiones*

pene

Digitized by Google

1683. *pene immenſo ſpatio amplexi reparando bello aptiſſimas, celerrime quantum libuerit militum conficient: nec dubium eſt, vere primo objecturos novum exercitum Cæſari ac Polonis bellumque inſtauraturos, quod ipſi nimium fidentes initiis ſecundis profligatum remur. Dum ibi ſumma utrinque vi geritur res, offeramus ultro in diſcrimen remp. Eſt ne, qui nobis illiſque eventus ſpondeat ſpei pares? Simul atque ſenſerint Turcæ agitari Venetiis conſilia ſolvendæ pacis, conſcribent exercitum quo arma noſtra excipiant; habendaque erit fortuna, quam mars communis dabit. Cæſar autem hoc anno victor, ita tamen ut propior periculo fuerit, quam qui victi ſunt, denuo congreſſurus acie eſt, integra ſpe, integro metu, velut tunc primum commiſſo bello. Quantum ad Polonos, quam timeo ne vires ferme omnes uno certamine effuderint! Regem quidem, ſat ſcio, parvum inſtar eorum, quæ magnitudine animi conceperit, pulſos Auſtria Turcas putare. At populorum eorum ingenium novimus. Gens inſtabilis, inteſtinis diſcordiis ſerendis alendiſque nata, cui regum ſuorum non virtus minus, quam potentia ſuſpecta ſit, diuturnam militiam nequaquam patitur; libertatemque agi arbitratur ſuam, vel ſalutaria imperantibus non parere. Hoſne ego ſancte culturos fœdus ullum cenſeam, iiſdemque, quibus cœperint, animis bellum uſque geſturos? Quanquam quid ego hæc commemoro, tanquam dubius de unis Polonis? Semel atque iterum pœnituit majores noſtros ſocietatem cum Auſtriis pepigiſſe; cum Carolo V. primum, deinde cum Philippo II. Nam, ut incommoda acerbaque alia ſileantur, is ad ultimum exitus fœderis utriuſque fuit, ut pacem ab Turcis magno redimere cogerentur. Nimirum modus plerunque fœderum eſt arbitrio illorum, qui potentiores ſocii ſunt. Ac ſi forte Cæſar aut ſecutus utilitatem privatam ſuam, aut compulſus metu Gallorum, qui non credantur diu quieturi, de improviſo cum Turcis paciſcatur: qualem tum pacem inventuros nos exiſtimamus, cum deprehenſi temporis anguſtiis neceſſarias magis, quam honeſtas condiciones accipiemus? Horret animus prædicere, quid de nobis futurum ſit, ſi deſtitutos omni mole virium adoriatur iratus hoſtis; ne hoc quidem ſolatii in ſummis malis habituros, ut indignis ea acci-*

diſſe

Digitized by Google

diſſe videantur, qui nos velut ex tranquillo in tempeſtatem tantam ſponte conjecerimus. At ne nos moreantur diſcrimina armorum aut fœderis incerta. Superiores etiam bello pacem denique faciamus. Quid? occaſionem vindicandi tardius ocyus non Turca arripiet? Alte hærebit memoria belli, quo ſe non provocantem, bello diſtrictum inſuper alio, ex nec opinato ac veluti furto appetiverimus. Itaque imminens temporibus iniquis noſtris, cum fortaſſe nihil timebimus minus, ſubitis armis mari terraque irruet in nos. Implorabimus tunc opem fœderatorum; quam nemo certo ſciat impetraturos; aut ſi impetraverimus, polliceri tamen audeas nemo, laturos uſque eo mature, ut non interim ſolis nobis ſuſtinendus impetus omnis ſit. Hanc aleam, dum cogit nullus, ſpe vana evecti, obſecro, ne ſubeamus. Nam illud quidem nihil eſt, ob commiſſa ab Jaderſinis abalienatos jam a nobis Turcas eſſe; coercitumque in præſens dolorem, cum dabitur opportunitas, in nos erupturum. Quin propitiis civitati noſtræ Superis factum putemus, ut Pannonico occupati bello non veniant protinus ad ulciſcendum. Arte interea auroque, ſi ſit opus, aggrediamur. Fore placabiles ſpondet res ipſa, a qua abfuit publica fraus. Ut autem hæc ad irritum cadat ſpes: quæ iſta, malum, ratio fuerit, indicto bello novam præterea iram infenſis jam ante hoſtibus adjicere? Imitamini, p. c. majores noſtros, qui cum gente barbara ac pravalida, ſi quæ orirentur querimoniæ, diſceptando molliendoque donis, redire in gratiam ſemper maluerunt; bella, niſi quatenus armis laceſſitos neceſſitas ſubigeret, geſſere nunquam. Ego neutiquam bellum movendum Turcis cenſeo: vos quod jubebitis D. O. M. fortunare velim. 1683.

Valde intentis animis auditus eſt: neque enim de re majore, quam quanta agebatur, incidere conſultatio poterat. Tum Petrus Valerius & ipſe Sexvir. *Si aut bellum, aut pacem arbitratu habituri noſtro eſſemus, princeps ego,* inquit, *hortarer vos, ut pacem bello anteferretis. Cum autem id liberum non ſit Turca permiſſurus; atque adeo hoc unice in deliberationem veniat, utrum, quod nobis illaturus eſt tempore ſuo bellum accipiamus, an noſtro ipſi occupemus inferre: næ ego parum diligens fuerim communis patriæ, niſi admoneam, non tanti facien-*

Petrus Valerius bellū ſuadet.

dam

1683. *dam præſentem pacem, ut non major futuri periculi teneat cura. Erramus, ſi irritatum priore anno Jadertinorum facto ad Zemonicum pecuniis noſtris placaſſe credimus. Expeditionem coquebat adverſus Cæſarem: eo ſe reſtituiſſe nos in gratiam ſimulavit. Nunc auſi Jadertini Illyriique alii, quæ in juſtos hoſtes ſolent, novam materiam velut incendio ſubjecerunt. Ac cœptum quidem in Pannonia bellum, idque inſigni ſtatim nobilitatum clade, quaſi frenos impotenti ira imponit. Cæterum, quidquid interea conemur purgandi cauſa reconciliandique, ita deflagrare eam poſſe ut ſincera fide mittat finiatque odium, quæ ſpes eſt nobis; qui nec divini apud illum quicquam nec humani inviolatum eſſe, toties experti ſumus, & contra quos nullum unquam niſi ab ſcelere orſus eſt bellum? Igitur expectabimus, dum, compoſitis Pannoniæ rebus, ſumptoque ad reſpirandum ſpatio, indicat ut arma capiamus? Quin, ſi bellare cum eo aliquando neceſſe eſt, efficimus ut quamminimum virium ad nocendum habeat? Occaſionem vero, quæ nunc eſt, haud ſcio an reperturi in poſterum unquam ſimus. Fera gens & crudelis, quæ ſua omnia ſuique juris facit, ſpe animoque complexa imperium Occidentis, regiam ipſam Cæſaris ire oppugnatum non dubitavit. Et ut dabant ſe ſe initia, nec tempore longinqua nec præceps periculo futura victoria erat. Intervenit ultio divina; verſuſque repente in eos, qui fœdus ruperant, terror, fugaque, & cædes. Semel ad Viennam, iterum ad Strigonium victi ſunt atque exuti caſtris: ademptum continuo Strigonium ipſum: rebellanteſque Pannonii, queis præſertim inſtigantibus arma moverant, ad fidem plerique redierunt. Inſtabunt perculſis vere novo Germani Polonique; quibus illi, quantuncunque connitantur, nihil aliud tandem, quam bis fuſi exercitus reliquias, & multitudinem tyronum raptim ad arma conſcriptorum objecturi ſunt: itaque iis animis geretur bellum, qui eſſe victoribus, & victis ſolent. In tali inclinatione rerum, quid ſi uno tempore nos in Illyrico, in Græcia, terra marique terrorem admoveamus? At paratam voluntatem ad hæc audenda vires minime æquant? Quid? num minus ſuppetit navium, quam ut celeriter egregia effici claſſis queat? Militum quoque haud parum eſt: quidquid autem de-*

Digitized by Google

deerit, dubitamus, quin ſupplere confeſtim, populis ſic accenſis, ut quidam etiam injuſſu ſenatus arma ceperint, poſſimus? Cauſa eadem faciet, ne egeamus pecunia. In magna opportunitate conterendi hoſtis tam infeſti, quidquid impoſuerimus oneris, leve erit; interque civitates exiſtet certamen adjuvandæ reip. privata impenſa. Vix illi videbimur, qui vim pene incredibilem auri in Creticum bellum effudimus: cujus quidem recordatio belli tantum abeſt, ut ab novo ſuſcipiendo deterreat; etiam vehementer incitat ſpemque affirmat, qualem cupimus, exitum fore. Ex improviſo petiti armis, Turcarum impetum univerſum quinque & viginti annos ſuſtinuimus: claſſibus noſtris mare illis omne reddidimus infeſtum: ferme quotannis navali prælio congreſſi, abſit verbo invidia, invictum mari praſtitimus Venetum nomen: circumferenteſque late terrorem armorum, nihil in Illyrico, nihil in ora Graciæ, ac Minoris Aſiæ intactum belli cladibus reliquimus: quod autem ad memoriam maxime inſigne eſt, Viſſirio, mole immenſa copiarum hyeme juxta atque æſtate Candiam oppugnanti, tres perpetuos annos imperator militeſque noſtri reſtiterunt; deſperata vero defenſione urbis, non ante tamen deditionem fecere, quam hoſtem ad accipiendam, quibus fere voluerunt legibus, pacem ſubigerent. Solis nobis cum virium tantum animique fuerit, quid ſperandum erat, ſi adjunctus Cæſar, uſuſque victoria ad Arrabonem, premendis porro Turcis inſtitiſſet? Nunc ſociatos fœdere Cæſarem & Polonum cum hoſtes habeant, ſitque jam mala in ſpe bellum; incertum ne eſt, quo eventu decertaturi ſimus? Vanum autem ſubjicimus nobis metum ne, ubi in cauſam deſcenderimus, fœderati deſtituant. Ne fuerit vinculum aliud ſocietatis, quam ſua cuique utilitatis cura. Cum modicum nihil inhians Turca, Viennam ipſam illico aggreſſus, ſummam rerum Cæſaris in caſum valde ancipitem adduxerit; an facile putem, hunc bellum ante depoſiturum, quam debilitatum fractumque redegerit eo, unde talia tentare in reliquum non audeat? Polonis vero, quantumvis ob privata principum inter ſe diſſidia in partes divulſis, nihil eſſe prius potiuſque poteſt, quam ut ab timore externo eodemque graviſſimo liberent regnum; ut qui intelligant, ſi quando 1683.

1683. *do nutet fortuna Cæſaris, Turcicum bellum ad ſe proximos pervaſurum. Quid ſi hac condicione jungimus fœdus, ut, perfecto bello quod eſt in manibus, ubi deinde Turca uni fœderatorum vim admoveat, tum reliqui e veſtigio pro hoſte ducant eum, ac pro ſe quiſque armis adoriantur? Hac tutum cum præſent belli diſcrimen; equidem non video, quid a conſilio ſuſcipiendi abducat. Ecquid fugit vos, ad dignitatem quoque imperii pertinere, non ad veſtra ſolum tuenda contra invadentes Turcas, ſed ad inferenda etiam illis bella videri vobis robur ſuperare? Veniat porro in mentem, quam magna merces nullo aut certe minimo periculo petatur. Spem non forte temere, ſed ex re utique conceptam habeo, quæ regna hoſtis ſuperbiſſimus, juriſque omnis contemptor, bella ſerendo ex bellis ademit, vos minore contentione recuperaturos. Quin omen inſidet animo, præmium belli Conſtantinopolin ipſam fore. Illuc Poloni terra, quod Joannes rex, at qui rex? ad Turcarum interitum & exitium prope natus; ſe ex compoſito facturum ſcriptis ad ſenatum literis prolixe pollicetur: nos mari contendemus; unde olim Gallis ſociis Græcos, inde nunc conjuncti cum Germanis ac Polonis Turcas detracturi. Itaque, p. c. gerite ſpiritus tempori atque expectationi pares: & quod vobis, claſſibus, exercitibuſque veſtris bene ac feliciter eveniat, bellum jubete.* Hæc cum ab

Valerii ſententia vincit. Valerio dicta eſſent; non defuere Sexviri alii, qui ſimilia iis in utramque ſententiam acriter diſſererent. Miſſo demum in ſuffragium Senatu, numerus major bellum decreverunt. Lætum Cæſari fuit & Poloniæ regi. Magno momento rerum in Pannonia & Polonia gerendarum, magnaque ſpe auctos ſe videbant, adjunctis Venetis, eas vires afferentibus, quæ non acceſſio ſolum ad Turcicum eſſe bellum, ſed per ſe ipſæ reſiſtere Turcis

1684. potuiſſent. Haud ita multo poſt cum Contareno oratore Veneto de condicionibus convenit: *quod fœdus inter ſe junxiſſent Cæſar & Poloniæ rex, id commune uti eſſet cum Veneto; communibuſque conſiliis pro parte quiſque ſua bello Turcam perſequerentur: ut fœdus in tutela haberet Innocentius Pontifex, apud quem in id obſervandum jurarent Cardinales,*

Condiciones fœderis cum Caſ. & Polonis.

Pius

1684.

Pius pro Cæſare, Barbarinus pro rege Poloniæ, pro Venctis Ottobonus: ne cui fœderatorum proprie ſibi cum hoſte quicquam paciſcendi jus foret: uti Cæſar expellere utraque Pannonia hoſtes conaretur, rex Cameneciam urbem ante alia recipere; Venetus terreſtribus copiis in Illyrico, in Græcia claſſe rem gereret: quæ oppida, arces, caſtella, agros cepiſſent, ea ut quiſque retineret; extra quam ſi quid cuipiam fœderatorum ereptum antea ab Turcis fuiſſet; id enim reddi antiquis dominis placere: ſi cui fœderatorum grave periculum ab hoſte immineret, tum ut fœderati reliqui conjunctis copiis ſine mora opem ferrent: facultas uti eſſet adſcribendi in eandem ſocietatem cum Chriſtianos reges alios, tum reges Moſchorum. Priuſquam condiciones hæ componerentur, viſum eſt patribus Romam legare Joannem Landum oratum a Pontifice auxilia ad bellum, quod animo agitarent.

Jo: Landus Romam mittitur.

Nemo ibi tunc erat Venetus orator: id vero ob diſſenſionem inter Pontificem atque oratores regum cauſa Immunitatis.

Diſſidium regum cum Pontifice cauſa Immunitatis.

Pontificatus nanque initio ipſo edixerat Innocentius, novos oratores regum non admiſſurum, niſi jus abdicarent Immunitatis, unde plus nimio noceretur vectigalibus publicis; ſubtractiſque fontibus meritæ pœnæ, peccandi licentia gliſceret in dies. Jus hoc vetuſtum cum reges negarent dimittere: Galliæ quidem rex in locum Eſtræi, jamdiu ibi oratoris, oratorem alium non ſufficiebat; ab rege autem Hiſpaniæ, qui oratorem nullum habebat, nullus etiam mittebatur. Interim Antonio Barbaro oratori Veneto ſucceſſor datus Hieronymus Zenus eques, legatione jam functus ad regem Hiſpaniæ, vix advenerat ad urbem, cum præbita eſt occaſio certamini propter Immunitatem. Juſſi enim lictores a præfecto urbis ire ad prehendendum criminis reum intra fines loci, qui crederetur immunis, ab familiaribus Zeni male accepti ſunt: quæ res adeo iram Pontifici accendit, ut adiri ſe ab Zeno neutiquam pateretur. Quapropter Senatus non ratus e dignitate, oratorem fruſtra illic eſſe, paucos poſt menſes Venetias revocarat. Revocarat itidem Pontifex, aliud ob-

1684. obtendens, Carolum Franciſcum Airoldum Edeſſæ Archiepiſcopum, internuncium ſuum ad Venetos. Profectus Landus, vir conſilio gravis, ex ordine Quinquevirum Continentis, in privati civis ſpeciem, ubi Romam venit; audire quidem ille impenſo gaudio, non abhorrere a bello Senatum: cæterum inopiam excuſare, ob adjutum nuper grandi pecunia Cæſarem. Itaque miſſurum ad claſſem Venetam triremes Romanas una cum Melitenſibus pollicitus, curaturumque ut & M. Dux Hetruriæ mitteret ſuas: quanquam Cardinales multi Lando aderant roganti majora; non ultra tamen eſt permotus, quam ut inſuper faceret poteſtatem exigendi ab Clericis Venetæ ditionis tributum, Subſidii nomine, percipiendique reditus vacantium ſacerdotiorum, qui perexigui erant. Interea patres impigre mari terraque parabant bellum. Factum ſ. c. ut extemplo veteres naves reficerentur, novæ ex navalibus deducerentur atque ornarentur; omninoque ſex & viginti celſioris formæ navium, octo & viginti triremium, ſex quinqueremium expleretur claſſis: ut in Italia extraque Italiam ſcriberentur milites, nominatim in Græciæ inſulis, Corcyra, Cephalenia & Zacyntho. Quem ſummo cum imperio præficerent, minime anceps deliberatio fuit. Converterat omnium in ſe ſtudia Franciſcus Maurocenus eques & procurator Marcius, quem memoria recens Cretici belli longe ſupra duces alios commendaret. Viſus eſt etiam forte quadam huc reſervari. Cum enim, quo tempore de movendo bello agebatur, obiiſſet Aloyſius Contarenus; jam creabatur ipſe Princeps. Verum qui ad ſuffragium convenerant, pene divinantes imperatorem eum fatalem huic bello fore, mutatis repente voluntatibus, M. Antonium Juſtinianum equitem, clarum magiſtratibus domi foriſque adminiſtratis, creavere. Inde auctoribus patribus Civitas in comitiis majoribus uno conſenſu Maurocenum imperatorem juſſit. Præfectura navium celſiorum extra ordinem Alexandro Molino, quin-

Auxilia ſpe minora impetrat Landus.

Veneti apparant bellum.

Contareno mortuo Princeps ſufficitur M. Ant. Juſtinianus.

Frãc. Maurocenus imperator creatur.

que-

queremium Jacobo Cornelio demandata. Terreſtribus copiis præponitur Carolus Straſoldus, ex illuſtri familia in Carnis, vir fortis & experiens, qui tunc pro Cæſare in Pannonia militabat. Aloyſio Paſchalico, quem in Illyrici præfectura Laurentio Donato ſurrogarant, additur extra ordinem cum majore imperio Dominicus Mocenicus: itidemque, ut Aſcrivio extra ordinem præſideret, legitur Antonius Zenus. Intenta Civitate in apparatum curamque belli, placuit Angelum Maurocenum procuratorem Marcium ad Joannem Poloniæ regem mittere; qui, quod dilatum adhuc fuerat, regnum gratularetur; tum conſilia communicaret gerendarum rerum: quod idem facere apud Cæſarem Contarenus juſſus fuerat. Ut autem jus gentium vel adverſus hoſtem, jura quævis contemnentem, ſervaretur; Joanni Capellio dant negotium, ut Senatus nomine renunciaret amicitiam Turcis, clarigandoque argueret *toties ludificatam pacis fidem; multa in terminandis Illyrici finibus fraude ablata; receptos portubus adjutoſque omni genere auxilii piratas; mercatorum Venetorum naves captas; vim magnam pecuniæ non ſemel extortam, præſertim ob Jadertinorum factum ad Zemonicum; a quo tametſi auctoritas publica abfuiſſet, condiciones vero pacis diſerte & regem Turcarum & Venetam civitatem liberarent noxa, ſi quid populi extremos utrinque colentes fines privata ſententia delinquerent; tamen non dubitaſſe Viſirium, tum indignis modis tractare legatum Venetum, tum minitari bellum; quod ſatis conſtaret fuiſſe etiam illaturum, niſi avertiſſent arma in Pannoniam deſtinata*. Imminere vim ab Venetis præmonuerant Turcæ, qui mercaturæ cauſa Venetiis morabantur. Neque Capellius denunciare, ita ut fuerat imperatum, eſt auſus; ut qui non ſalvum ſe ibi fore cerneret legati nomine, quod apud nationes cæteras ſanctum, nihil penſi eſſet Turcis violare. Quare mentitus veſtem, clam ſe Conſtantinopoli cum ſubduxiſſet, Smyrnam petit; inde revertitur Venetias. Fuga ejus inſtar belli jam indicti fuit. Et cum permoleſtum accidebat tam arduis re-

[Margin: 1684.]

[Margin: *Angelus Maurocenus mittitur in Poloniam.*]

[Margin: *Indicere bellū Turcis jubetur Capellius:*]

[Margin: *qui clam ſubducit ſe Conſtantinopoli.*]

[Margin: *Graviter*]

1684. rebus multiplicari hoſtes; tum ea angebat cura, quod *ferunt Turcæ.* mari maxime venturum Venetum providebant. Vix quidquam ſuppeditabat navium, quod ſtatim objicerent: novæ autem ædificari armarique nonniſi longo tempore poterant, & ſumptu ingenti. Numero quoque magno militum opus erat ad maritimas arces tuendas, quæ plurimæ repentinis aggreſſionibus expoſitæ eſſent. Ad hæc Græcos, fallacem gentem, habebant ſuſpectos ne, cum timore ſimul fide decreſcente, ut ſe ſe dediſſet occaſio, ad Venetos deficerent. Has ſolicitudines metuſque recordatio augebat acceptarum Cretico bello cladium; ferme ut inopes conſilii, quid agerent, quave potiſſimum parte occurrerent, non ſatis expedirent. Ac Viſſirius quidem, *Viſſirius ſiduciã oſtentat.* accito Thoma Tarſia Interprete Veneto, nihil ſe belli denunciatione territum ſimulans; *quid meriti eſſent ob commiſſa in Illyrico ut timerent, Venetos ipſos declaraſſe,* ait: *magis illis fuiſſe profuturam confeſſionem culpæ: quando incerta armorum præoptaſſent, accipere ſe bellum geſturumque pro dignitate regis: vires utrinque æſtimanti ſpem eſſe minime dubiam, brevi fore ut temere incœpti pœniteret.* At Suleimannus *Suleimannus leniter agit cum Interprete Veneto.* Baſſa, homo ſolers ac prudens, qui anno poſt princeps Viſſiriorum eſt creatus, Interpretem eundem mollius aggreditur: *agre ferre ſe ſe, interveniſſe quæ regi ſuo amicitiam dijungerent ab Venetis: factum crudelitate atque avaritia unius Muſtaphæ, qui ut cupiditatem expleret, multis modis gravem ſe illis præbuiſſet: confidere, in nulla publica injuria reconciliari denuo concordiam poſſe.* Poſtquam hæc fruſtra adhibebantur apud Interpretem, qui nulla in id mandata haberet; *Paratur a Turcis defenſio.* fama vero Veneti belli creſcebat in dies: converterunt eo curas, ut copias ad reſiſtendum compararent. Placuit naves celſiores ſex, quæ utiles etiamnum eſſent, refici protinus inſtruique; ſimul carinas poni decem aliarum ejuſdem formæ, totidemque roſtratarum. Quod autem, ut hæc in tempore perficerentur, haudquaquam tamen par Venetæ futura erat claſſis; dimiſſæ regis literæ circa civitates Africæ, ut quamplurimum quæque poſſet na-

navium veris initio in auxilium darent. Cretam petituros 1684 hoſtes putabant: itaque primum omnium firmandam validio præſidio inſulam cenſuere. *Cretam muniunt,* Deſtinata eo confeſtim millia aliquot militum: juſſique præfecti valde intentas in cuſtodiam arcium diurnas ſtationes, ac vigilias nocturnas ſervare. Haud aberat metus ne freti viribus tentarent Helleſponti clauſtra. Quapropter edictum propoſitum, *& Helleſpontum.* ut ſtipendiarii, qui Conſtantinopoli quique in circumjectis urbibus eſſent, quamprimum armati convenirent circa Seſtum atque Abydum. Aſſignati duces bello experti qui, ubi uſus foret, præſidia diſponerent. Cum hæc agerentur Conſtantinopoli; jam Venetiis, quæ imperaverat Senatus, præparatis inſtructiſque prope cunctis, proficiſcendi inſtabat tempus. Obſecratione in triduum indicta in Æde D. Marci patres pacem Dei O. M. *Supplicationes Venetiis indictæ.* adoravere cum precatione ea, quod bellum incœpturi eſſent, ut id caderet exitu proſpero. Inſolita etiam frequentia populi celebrata ſupplicatio eſt: ineratque paſſim fiducia tanta, quanta ſi non ad bellum, ſed ad certam victoriam mitteretur claſſis. Ambigua conſultatio pauliſper tenuit Senatum, unde potiſſimum bellum ordirentur. *Deliberant patres unde bellum incipiant.* Inclinabant animi in ſententiam Georgii Cornelii Sexviri. Hic procul poſita haud appetenda ratus, quæ tueri difficile eſſet, ante alia Caſtrum Novum oppugnandum cenſebat, arcem ad Rhyzonicum ſinum non procul Aſcrivio; ut jungendis quæ in Illyrico poſſiderent, in proxima Albaniæ, atque illinc rerum ſerie in Epirum copias inducerent. Quoniam tamen non ſatis conſtabat, tam facilem, quam Cornelio videbatur, ejus arcis expugnationem fore; plurimum autem intererat ad famam belli, bene ſuccedere quod primum ſuſciperent: re ultro citroque agitata, poſtremo permiſſum Mauroceno, *Arbitrio Mauroceni res permittitur.* faceret quod e rep. duceret: neminem enim unum omnium verius quam ipſum peritiſſimum belli, & in conſpectu locorum conſultantem, quid maxime aggredi præſtaret, exiſtimaturum. Non ultra tunc dilata pro-

fectio

1684. fectio eſt. Prior movit Molinus; claſſe navium majorum invehi juſſus Ægæum mare ad terrorem hoſtibus incutiendum. Mox Maurocenus imperator triremem conſcendit ad D. Georgii inſulam, multitudine affuſa lætis clamoribus proſequentium. Cum inde ſolviſſet IV Id. Jun. tribus triremibus, quinque quinqueremibus, ſex & viginti variæ formæ navibus aliis, milite onuſtis, commeatu atque inſtrumento oppugnandi: præter littora Illyrici ſecundo mari navigans, celeriter pervenit ad Onæum contra Corcyram Melænam. Ibi jactis anchoris, militare habitum concilium, utrum adoriretur Caſtrum Novum, an alio bellum intenderet. Non longa fuit deliberatio. Nam prætérquamquod arx eſt permunita natura & arte; validum quoque intus præſidium eſſe afferebatur: ut adhibitus etiam in conſilium Philippus Verneda, rei tormentariæ præfectus, magni moliminis oppugnationem affirmaret futuram. Ad id non ſatis ſecum habebant armatorum, quod pars major vecti cætera claſſe Corcyram jam petiiſſent. Ut autem ex regione circa numerus haud exiguus cogi poſſet Illyriorum: tamen non admodum fidebant huic generi militum, qui vix ulla juſta diſciplina inſtituti eſſent. Ergo cum abſtinendum cenſuiſſent ad unum omnes; velis datis, Corcyram tranſmittunt. Illuc paucis ante diebus ſeptem Melitenſes triremes appulerant ductu Jo. Baptiſtæ Brancaccii, quinque Romanæ, quas regebat eques Malaſpina; neque ita multo poſt, duce Camillo Guido advenerunt Hetruſcæ quatuor. Imperator tantiſper ad inſulam moratus, dum exercitum recenſeret, de concilii ſententia ducere ſtatuit ad Leucadem invadendam. Et cum erat copiarum affatim: tum illud incitabat, quod paulo ante Hieronymus Cornelius eques, præfectus roſtratarum, ab accolis Græcis facta ſpe arcis parvo conatu potiundæ, eo progreſſus, omnia præparata cum inveniſſet ad repugnandum; ne expoſito quidem milite, abſceſſerat. Arbitratus eſt Maurocenus agi famam armorum,

Profectio Molini, & Mauroceni.

Corcyram pervenit Maurocenus.

rum, non fruſtra eſſe quod Cornelius aggredi viſus fuiſ- 1684.
ſet. Quare armatis in naves acceptis, claſſe inſtructa contendit Leucadem. Triremes utrinque in altum extendebant cornua; quinqueremes in fronte locatæ. Latera imperatoriæ triremis ſubiere prætoriæ Pontificis & Melitenſium: Hetruſci, ne Melitenſibus loco concederent, præceſſerunt. Abeſt Leucas Corcyra millia paſſuum ferme ſexaginta. Poſita eſt in anguſtiis, qua Leucadiam inſulam, & littora Acarnaniæ interluit fretum: quondam iſthmus jungebat, a Corinthiis perfoſſus. Utrinque arctæ ſemitæ aditum pontes præbent: eo terra marique expugnabilis arx eſt, fere quadrata forma, ſtructuræ antiquæ genere, turribuſque per intervalla objectis. Non auſi Turcæ Venetum prohibere acceſſu littorum. Igitur ſine tumultu egreſſus in terram miles vicos adjacentes mœnibus confeſtim occupat. Dum paratur oppugnatio, viſum imperatori pertentare animum præfecti, ſi voluntate tradere arcem, quam experiri obſidionem mallet. Ubi nihil pacati reſpondebatur, diviſis locis machinationes admovet. Ab continente Acarnaniæ Straſoldus cum parte Venetarum copiarum, mille & centum Melitenſibus, interque eos equitibus centum Ordinis illius ac trecentis Romanis; ab Leucadia inſula Franciſcus Sylvaticus ordinum ductor cum reliquo milite Veneto & ſexcentis Hetruſcis oppugnabant. Decem fere millia militum erant, præter auxilia ſocium & voluntarios. Acceſſere Cephalenii, quorum ante alios intererat Leucadem capi, receptaculum latronum, unde piraticis lembis perpetuo infeſta fieret navigatio per Jonium mare: mille & quingenti advenerant ducibus indidem Jo. Baptiſta Metaxa & Anaſtaſio Anino. Initio haud parum laboris fuit propter loca circa paluſtria & arenoſa; ut vix comportandi graviores balliſtas, conſtituendique ratio iniretur. Perfectum id tamen cura ſtrenui viri, Hieronymi Garzonii præfecti alterius roſtratarum; itidemque Laurentii Venerii & Hieronymi Michaelii, quibus

Leucadem trajicit.

Leucadis deſcriptio.

Arx oppugnatur.

1684. voluntariam militiam ſequentibus partes eas dederat imperator. Ac dies aliquot quatiendo decuſſum nonnihil utrinque muri eſt; ædificiaque multa conjectis in arcem incendiariis ollis arſerunt: quæ res tantum intus fecerat pavoris, ut trepida multitudo deditionem haud ambigue ſpectaret. Aſt Bichirus Baſſa qui præerat, caſtigando ignaviam oſtentandoque ſpem propinqui auxilii, confirmavit. Tum adeundo ipſe periculoſa quæque ita accendit milites, ut non die, non nocte contentione intermiſſa, minimum jam fiduciæ in mœnibus, plurimum in armis ponerent. Injici inde ſolicitudo Mauroceno, qui metueret ne uſque extraheretur oppugnatio, dum exciti Ambracia Turcæ venirent auxilio obſeſſis. Et manum nequaquam modicam circa Actium viſam nunciabatur. Quare omnino maturandum ratus, ſimul triremes quatuor Melitenſium ad eos abſterrendos mittit; ſimul, ut diſtenderet incluſos, qua latus alterum arcis vergit ad mare, juſſa propius ſuccedere triremium claſſe, oppugnationem maritimam intentat. Ipſe ſtationes aſſiduus obire, addere animos, urgereque opera: quæ militum magno certamine ſic approperata ſunt, ut intra biduum aggeres vineæque prope mœnia contingerent. Dum foſſæ completur reliquum, ſatis jam patente intervallo diruti muri ad invadendum; diffiſus viribus Bichirus, non ultra diſtulit deditionem. Pactus, ut Turcæ omnes, elatis quibus quiſque poſſet corpore ſuo, ſine fraude emitterentur, Veneto arcem tradit ſextodecimo poſt die quam oppugnari cœpta fuerat. Exceſſere militum aut incolarum tria millia & ſeptingenti. Tormenta in muris atque in armamentario inventa amplius centum viginti, aliudque inſtrumentum militare: cujuſvis quoque generis prædæ aliquantum fuit, hominum præſertim; in quibus Æthiopes mares fœminæque non parvo numero, quos Leucadii emptos ex Africa habebant mercaturæ cauſa: Chriſtiani inſuper captivi centum quinquaginta, plerique ex Calabria, quo illi ſæpe

Deditur.

traji-

Digitized by Google

trajiciebant prædatum, in libertatem reſtituti. Qua die 1684
facta eſt deditio, feſtum recurrebat Transfigurationis Chriſti Domini: propterea Maurocenus Meſchitam majorem, rite purgatam luſtratamque, dicat Chriſto Servatori. Patricios inde duos præponit arci cum militibus mille, Laurentium Venerium & Philippum Parutam: negotio dato, ut muros reficerent, & qua res poſtulabat, permunirent opere. Continuo Leucadia venit in ditionem;

Veneti Leucadia potiuntur,

inſula ſeptuaginta ferme millium ambitu, frumenti ac pecoris dives: receptis in fidem populis, qui ſe ſub imperio Venetorum fideliter atque obedienter futuros ultro ſpoponderant. Horum in agris cum Cephalenii prædas egiſſent; edicto imperatoris conquiſitæ cum cura res, redditæque prioribus dominis. Defecere poſtea ad eum Acarnanes, ex antiqua formula Leucadiis contriburi.

& Acarnania.

Ex pagis ſingulis inter Acheloum amnem & Ambracium ſinum, aderant primores gentis, ſe ſuaque Veneti ducis commendantes fidei. Timor ab Turcis moram afferebat ne incolentes ultra Acheloum in deditionem concederent itidem. Mittitur ergo Straſoldus cum quinque ferme millibus militum ad regionem ab hoſtibus vindicandam: quos ut interea diſtineret imperator, ſimul Hetruſcas triremes, & Venetas ſex, invehi jubet littoribus Nicopolis; ſimul ipſe parte alia claſſis, Melitenſium etiam triremibus aſſumptis, in Naupacti conſpectum procedit. Objectum periculum rerum ſuarum alio repente avocavit armatos, qui plurimi feſtinabant ad Acheloum. Itaque adortus illos Straſoldus, qui ad flumen caſtra jam permunierant, parvo certamine vallum ſuperavit.

Straſoldus Turcas vallo expellit:

Effuſi Turcæ ſine duce, qui ceciderat inter primos, Naupactum, unde venerant, trepidi repetunt. Venetus autem occaſione uſus, penitus in fines eorum incurſionem facit. Peruſti paſſim, populatique agri: prædæ cum rerum aliarum, tum pecudum hominumque abactæ.

agros eorũ vaſtat.

Haud tum cunctanter Græci, præſertim ex Natolico & Miſſolongis, nomina ſunt locorum ad

Græci ex Natolico & Miſſolongis

1684. ad mare, quæ frequentia inhabitantium cæteris oræ ejus longe præſtant; pro ſuis quique copiis polliciti vectigal annuum, imperium accepere. Jam autumnus appetebat: intolerandaque vi æſtus ſerpebant morbi pariter & in remiges militeſque. Maurocenus tamen Leucadi timens, quandiu in poteſtate hoſtium eſſet Nicopolis, arx maritima, in propinquo poſita; nihil prolatandum arbitratus, illuc claſſem advertit. Fruſtrandi erant Turcæ: qui minime ignari, quid ſibi, amiſſa Leucade, metuendum foret, concitis ad arma finitimis, inſtructi paratique littus extra Ambracium ſinum, vallo etiam excitato, inſederant; ſatis fidentes exſcenſionem non facturum Venetum intra ſinum, quem facile haudquaquam eſſet ingredi, fauces anguſtas arce ipſa tutante. Ibi a Mauroceno conſilium fallendi tale initum. Ægros impoſitos in quinqueremes & triremes ſex dat Cornelio Corcyram tranſportandos; præcipitque, ut ſatis magno intervallo Nicopolin prætervectus, paulum ſubſiſtat, ſimuletque deſcenſionem. Tum Straſoldum parvis navigiis, quæ compleat tribus millibus militum, noctis ſilentio penetrare jubet in ſinum Ambracium; modicoque ab arce ſpatio egredi in terram, & locum caſtris capere. Ipſe antelucanis horis explicatam in frontem claſſem triremium extremo littori admovens, quam maximum poteſt tumultum ciet. Atque adeo Cornelius procul primo, inde propius Maurocenus a ſenſu rei, quæ agebatur, averterunt hoſtes; ut non ante appareret fraus, quam Straſoldus vicum ſubjectum arci occuparet. Improviſum id pavorem illis incuſſerat. Hortatu poſtea ducis retro converſi, in munientes impetum dedere. At vix tantiſper aliqua pugnæ forma fuit. Ubi enim ultro inferebat Venetus ſigna; impreſſionem non ſuſtinentes, ſolutis ordinibus, fugam arripiunt. Pars magna alii alio dilapſi: in arcem reliqui ſe receperunt. Nullo tunc prohibente, copias cæteras exponit imperator; quibus Acarnanes ad mille voluntate acceſſerant: captoque tumulo,

Dedunt ſe Veneto.

Maurocenus Nicopolin petit.

Turcas appulſu prohibentes fallit.

mulo, qui arci impendet, ex proximo tormentis majoribus quatere adoritur. Sed præter ſpem ſic reſiſtebant muri, ut iis prope intactis pilæ grandiores frangerentur. Ergo ne caſſe tereret tempus, operibus & cuniculis oppugnare inſtituit; juſſis interea libratoribus vim igniferarum glandium intro conjicere. Ac brevi quidem, quanquam crebra ex turribus micabant tela, in effectu vineæ fuerunt, foſſoreſque admoti. Veruntamen ferro vix penetrabilis erat murus: ut, ſi incluſi ſtetiſſent animis, extrahi oppugnatio in hyemem potuerit. Aſt conterriti incendio pluribus ſimul locis intus orto; ut inſuper fodientium ſonitum audivere, veriti ne, aperto muro, agmina armatorum mox irrumperent in arcem, ad deditionem inclinarunt. Paciſcebantur autem, ut abirent inde ſua efferentes. Hoc non impetrato; convenit poſtea, ut, traditis Chriſtianis captivis, omnique inſtrumento militari, triginta cum rebus ſuis; reliqui, mille & ſeptingenti, cum ſingulis veſtimentis excederent. Ita intra octo dies, exiguo labore arx adempta hoſtibus, parva illa quidem, quippe pars ſolum Nicopolis, quam Cæſar Auguſtus monumentum condidit victoriæ Actiacæ, minuſque paſſus quadringentos in circuitu patet; ſed eadem valida muris ſituque: cui hinc tutæ circa ſtationes, ac fertilis ager, hinc ſinus Ambracius, quinquaginta millia paſſuum introrſum retractus, opportunitatem omnem præbent maritimam terreſtremque. Venere in poteſtatem æneæ baliſtæ ad quinquaginta: prædæ cæteræ haud paulo plus quam pro loco ceſſit victori. In diem, quo dedita eſt, Michaelis Archangeli ſolemnia inciderant: eo Maurocenus Meſchitam Turcarum, Chriſtianis ceremoniis expiatam, Michaeli Archangelo ſacravit. Continuo cum Nicolaum Leonium & Petrum Zagurium præfeciſſet; quatuor triremibus oram adverſam Ambracii ſinus petit ad juvandos Acarnanes quorum fines Turca incurſabat; ubi deſertum fuga cuſtodum Anactorium invenit, Vonitiam appellant, parvum caſtellum, quinque ferme ab Actio milli-

1684.

Arcem oppugnat:

& redigit in poteſtatem.

Sinus Ambracius.

Anactorium occupat Maurocenus:

1684. millibus, dextra parte ſinum intrantibus. Primo centuriis aliquot Venetorum militum acceptis, ſuperiores Acarnanes fuere; levi certamine pulſis fugatiſque hoſtibus. Hi deinde numero majore redeuntes in prœlium fuderunt Acarnanes, ac pene uſque ad ſtationem triremium perſecuti ſunt: non auſi tamen ibi conſiſtere recipiunt ſe celeriter in fines. Maurocenus, locis, ut quiſque expoſitus præcipue Turcis eſſet, cum deduxiſſet familias complures, quibus in inſula Leucadia ſedem attribuit: ſaltus anguſtos, qua illi ingreſſi fuerant regionem, præſidiis firmat; præponitque Angelum Decimam, hominem genti gratum, ut ad militaria formaret. Non tanti ratus Anactorium, quod paucos modo milites caperet, tenere præſidio; avehit inde tormenta, Nicopolinque redit. Nihil erat per tempeſtatem anni, quod ultra aggrederetur. Quare dimiſſis domum ſociis, Corcyram proficiſcitur in hyberna. His initiis bello commiſſo in Græcia; in Illyrico haudquaquam ad ſententiam eventus reſpondit. Principio animos expectatione erexerant populi, qui fere ad Tragurium & Spalatum colunt. Antequam enim provincia decederet Donatus, ſumptis armis, duce Joanne Marinovichio, hoſtium agros late populati, hominum atque pecudum prædas inulti fecerant. Inde periti viarum ex improviſo ſupervenientes Turcis, qui Duare tuebantur; priuſquam ad arma conclamaretur clauderenturque portæ, arcem occuparant. Ex eo quod auſi eſſent per ſe Illyrii, pro explorato fuerat, ubi juſtus exercitus induceretur, nuſquam reſtituros Turcas: jamque Caſtri Novi expugnationem ea ipſa æſtate deſtinabant ſpe. At veniens in provinciam Mocenicus, quod crederet non id ſibi eſſe virium ut oppidum tam validum tentaret, Jaderæ ſubſtitit, augendis copiis exercendoque maxime militi intentus. Segnius agere viſus eſt patribus: itaque ſcriptis literis ſtimulos admovebant. Poſtquam paratam quidem voluntatem profitebatur; cæterum aliis atque aliis difficultatibus commemorandis tem-

adjuvat Acarnanes.

Corcyram redit in hyberna.

Initium belli in Illyrico.

Duare capitur.

Provinciæ præfectus Mocenicus conſiſtit Jaderæ.

pus

pus extrahebat; ut interea æſtas pene circumageretur: 1684
non dubitavit Petrus Valerius, qui Illyrici præfecturam aliquot ante annis adminiſtrarat, frequenti Senatu, acri oratione eum carpere: *ſedentem Jaderæ, nihil conando, nimis diu opinionem fruſtratum: quid ultra ſeneſcere vires militum, quos multos haberet, & impetum elangueſcere ſineret Illyriorum, qui tam proſpere inchoaſſent bellum? ut anni tempus eſſet, poſſe ante hyemem Caſtrum Novum utique expugnari: noſſe ſe arcis ejus ſitum, noſſe munimenta prompta oppugnanti: id uno animo, & voce una poſcere omnes: obſtare legatum unum, cui obſtinatum ſit non videre hoſtem, nec bellicæ quicquam rei gerere.* Hæc atque talia jactando, objurgandoque, commovit vehementer Senatum. Quamobrem cum poſtridie ejus diei in comitiis majoribus præfectus creandus eſſet arcis D. Felicis Veronæ urbis, magiſtratus juvenibus patriciis demandari ſolitus; auctoribus patribus lectus eſt Mocenicus: eique imperium in Illyrico abrogatum. Valerium inde, qui, in quo alter cunctando offenderat, ibi ipſe tantum præ ſe tuliſſet fiduciæ, ſuffici placuit atque extemplo proficiſci. Data tum auxilia alia, tum milites octingenti Italici generis: ſimul juſſus Ambroſius Bembus navibus duabus celſioris formæ ex faucibus Adriatici ſinus, quas cuſtodiebat, in Illyricum actutum contendere. Mauroceno etiam ſcriptum eſt, ſi commodo reip. poſſet, claſſe tota trajiceret eodem: ſin qua gravior eum in Græcia detineret res; mitteret ſaltem aliquid triremium, quibus Valerius ad propoſita exequenda uteretur. Nicopolin tunc Maurocenus oppugnabat. Etſi autem tutum prorſus non erat tali tempore vires minuere; triremes tamen quatuor illico miſſæ. Sed majorem in verbis, ut pleraque alia, quam experiendo, vim habuit, quod Valerius animo conceperat. Conventu copiarum in Phariam inſulam indicto; ne ſentiret hoſtis quid moliretur, imperat Aloyſio Marcello, voluntario militi, cum ſex Illyriorum millibus & manu modica militum Italorum eat protinus ad Singum ado-

Carpitur cunctatio ejus.

Summittitur Valerius.

Marcellus Singum petit.

1684. adoriendum, arcem haud procul Neſto flumine. Satis putabat, quod idem factum fuerat ad Duare, ſubito adventu opprimi præſidium poſſe; eamque rem excituram undique Turcas ad fines regione illa muniendos. At præterquamquod omnia in muris parata ad defenſionem Marcellus invenit, machinæque deerant ad oppugnandum; partem quoque Illyriorum, qui prædatum vagabantur licentius, ex nec opinato aggreſſi Turcæ non paucos occiderunt. Itaque paulo poſt vano incœpto abiens illinc, copias Cliſſam reducit. Valerius interim Phariam tranſmiſerat, Caſtrum novum nihilominus petiturus. Verum ad inſulam eam duos ipſos menſes venti adverſi tenuerunt. Et quando, adventante jam hyeme, durari extra tecta non poterat præ ſævitia tempeſtatum; vis quoque magna morbi incidens in militem, exiguo tempore abſumpſerat ad quingentos: ſpe depulſus, Jaderam conceſſit in hyberna. Hæc terra in Illyrico atque in Græcia cum agerentur, Molinus claſſe navium celſiorum venerat in Ægæum. Ibi & terrorem paſſim circumtulit; & tributum inſulis pleriſque imperavit exegitque; & Conſtantinopoli annonam fecit anguſtiorem, mercatoribus, qui ex Minore Aſia aut Ægypto antea commeabant ad Helleſpontum, committere naves ſuas mari non audentibus. Cæterum arte eludentem præfectum Turcicæ claſſis, qui triginta fere triremibus Helleſponto egreſſus numerum ſibi adjunxerat haud parvum navium Afrarum, pertrahere ad certamen diu conatus fruſtra eſt. Poſtremo pene adeptus fuerat non longe ab Leſbo. Fugienti pertinaciter inſtitit: neque declinaſſet ille neceſſitatem pugnæ, niſi in Chii portum e medio curſu claſſem avertiſſet. Ceſſum mari videbatur. Quam ignominiam ut minueret Turca, poſt aliquanto trajicit ad inſulam Tenon tentandam. Sed irritus cum fuiſſet conatus; Aurelius nanque Marcellus, qui præſidebat, convocatis ad arma inſulanis, impetum ſtrenue repulit: vitabundus claſſem Venetam recepit ſe intra Hel-

ſed, re irrita, abſcedit.

Valerius retentus ventis contrariis ad Phariam, Jaderam repetit.

Expeditio Molini in Ægæum.

Turcæ pugnam detrectant.

Fruſtra tentant inſ. Tenum.

Digitized by Google

Helleſpontum. Tum Molinus quoque Corcyram redit 1684. hybernatum: quæ navigatio tamen cum difficilis ei aſpero mari, tum vero jactura gravi triſtis fuit. Ante diem quartum Nonas Oct. ad Scopelum inſulam procella ſubita naves aliquot, paulum ab cætera abjunctas claſſe, quibus Petrus Grimanus imperabat, in Pagaſarum intulit ſcopulos. Fractæ ibi duæ; magnaque pars hominum qui vehebantur, fœde periere. Grimanum prope attritum excepit Conſul Gallorum, qui Pagaſis erat; & habitus ab illo eſt omni humanitate ac cura: at, nequicquam admotis medicamentis, mox interiit. Hæc Veneti eo anno; qui præter opinionem parum felix Cæſari fuit. Arcem ipſam regni Budam placuerat oppugnari, qua capta, futura hoſtibus facultas conſiſtendi in Pannonia non videretur. Ergo Lotharingius, luſtrato ad Vagum amnem quadraginta ferme millium exercitu, impoſitiſque in naves commeatibus & machinis, Strigonium petens, copias Iſtrum ponte tranſducit. Pergit inde ad Viccegradum, id oppido eſt nomen inter Budam & Strigonium: quod ſic Iſtro imminet, ut invitis cuſtodibus flumine deferri naves tuto non poſſint. Oppidum expugnatur primo impetu: triduo poſt arx in deditionem accepta. Interim Budæ Baſſa, comperto per exploratores, impedimenta pleraque exercitus, ne iter morarentur, ab Lotharingio relicta ad Strigonium cum modico præſidio; eo mittit, velut ad certam prædam, quinque millia militum, Turcas Tartaroſque permixtos. Sed præſentientes Germani, occurrere ipſi non dubitarunt. Initio quidem hoſtem ſuperantem numero non ſuſtinebant; ibique Hallevilio duci eorum pectus lancea transfigitur. Deinde cum cohors una atque altera ab Strigonio veniſſet auxilio, integratur pugna; nec ante vim remiſerunt, quam multa illum cum cæde conjicerent in fugam. Paulo poſt Lotharingius reverſus Strigonium, Iſtro rurſus trajecto, præter ripam fluminis Peſtum ducit. Nondum Vacciam pervenerat, abeſt oppidum Peſto quindecim

Veneti naves duas per tempeſtatem amittunt.

Petrus Grimanus interit.

Res Cæſaris parum proſpera in Pannonia.

Lotharingius potitur Viccegrado.

Germani in fugam conjiciunt V. millia hoſtium.

1684. decim millibus paſſuum; cum ex præcurſoribus cognoſcit, tumulum non procul inde impendentem viæ ab armatis inſeſſum, agroſque circa paluſtri limo pene invios eſſe. Quindecim millia Turcarum erant, quos ibi opportune ad tranſitum prohibendum objecerat Budenſis Baſſa. Apparebat, ſi progrederetur, ſimul cum iis, ſimul

Lotharingius ad Vacciā pugnat cum Turcis. cum locorum difficultate certandum fore. Utendum tamen ratus ardore militum, quem plurimum præ ſe ferrent; diviſo bifariam exercitu, dextra Principem Ludovicum Neoburgenſem, læva Principem Ludovicum Badenſem præficit. Tum, præire peditibus juſſis cum faſcibus ſarmentorum ad paludes ſuperandas, tumulo ſuccedit. Ut videre barbari non undique tutos ſe præſidio regionis, quam haud intraturum hoſtem crediderant; ultro audendum arbitrati, ingenti clamore atque impetu in ſubeuntem decurrunt. Prœlium obſtinatum fuit variumque. Ter impulſus Turca, reſtitutis ter ordinibus, certamen inſtauravit. Ad ultimum non tulit acrius pre-

Vincit: mentem parte utraque Germanum. Et fuga a paucis cœpta, illico averſi omnes: hærens autem in terga victor multos occidit. Equites Peſtum perfugerunt: pedi-

Vacciam capit; tes late diſſipati. Mille modo & quingenti Vacciæ ſe incluſerant muris; at qui ad terrorem primum oppugnationis dedita urbe, permiſerunt ſe in arbitratum Lotharingio. Potitus hic magna præda, æneiſque tormentis

& Peſtum. aliquot, Peſtum procedit. Turcæ eo in tumultu defendere ſe poſſe diffiſi, priuſquam Budam ſe reciperent, pluribus locis ignes ſubjecerant. Sed miſſi ab Lotharingio confeſtim, qui reſtinguerent incendium; præſidiumque impoſitum: expediebat enim Budam oppugnanti, quæ in adverſa fluminis ripa ſita eſt, habere oppidulum illud in poteſtate. Paulum poſtea regreſſus, ad Vacciam ratibus jungit flumen, ut exercitum tranſmittat in inſulam D. Andreæ, quam Iſter efficit, modico ſupra Budam intervallo diviſis aquis. Tum ponte alio injecto, ex inſula in ripam alteram tranſgreditur. Nuper cum octodecim

Digitized by Google

decim millibus armatorum Budam advenerat imperator exercitus Turcici: &, ſi maturaſſet occurrere, haud difficile tranſitu fluminis prohibuiſſet Germanos. Jam tranſductus erat exercitus omnis; cum ille partem modo opinatus trajeciſſe, citatum agmen ad opprimendum rapit. Conſerta pugna eſt non procul aditu pontis. Haud magna tamen vis certaminis fuit: nam primus ferme concurſus rem decrevit. Fuſi Turcæ; pluresſque fugientes quam pugnantes interfecti: ſigna quoque militaria nonnulla amiſere. Budam tunc accedens Lotharingius, inferiorem partem urbis, quam ab ſuperiore ſic diſterminat murus, ut urbes duæ eſſe videantur, oppugnare aggreditur. Et brevi munitionum proruit aliquantum; repulitque Turcas inferre conantes auxilium. Continuo, facta impreſſione, penetrat in oppidum, cæſis propugnatoribus ad mille & ducentos. Inde, vixdum ad partem alteram erexerat machinas, cum arce potitur D. Gerardi, quæ colli inſidet, parvaque valle interpoſita, urbem ſubjectam habet; militibus dilabentibus qui tutabantur. Sed curam poſtmodum afferebat exercitus Turcarum, qui denuo coactus, ſubmiſſis ab Viſſirio militibus augebatur in dies; crebroque ſe oſtendendo ex vicinis montibus, dies noctesſque perſtare ac pervigilare in armis oppugnantes cogebat. Viſum Lotharingio, prius quam plus hoſtium fieret, ad eos ducere. Noctis ſilentio cum equitatu pene omni & millibus aliquot peditum egreſſus vallo; luce prima aciem inſtruit in proximo, copiamque pugnandi facit. Nec abnuerunt Turcæ; locata in fronte multitudine camelorum, quod moleſtum equis animal equitatum adverſum turbaret: quanquam irritum conſilium fuit; offecit etiam: nam procella ignium cameli conſternati præbuerunt aliquid tumultus apud ſuos. Tum ferociter armis congrediuntur: dimicatumque tres horas marte æquo. Ubi nutare prima ſigna hoſtium vidit Lotharingius, renovato ipſe a fronte impetu, ab latere Lubomiſchius cum Polonico equitatu, aciem univerſam impulerunt.

1684.

Novum cũ Turcis prælium.

Victor Lotharingius Budam oppugnat.

Potitur parte urbis inferiore,

& arce D. Gerardi.

Ad hoſtes ducit.

Pugna committitur.

1684. Itaque ſolutis paſſim ordinibus, nihil amplius prœlii me-
Superantur Turcæ. mores Turcæ in fugam effunduntur. Aliquandiu inſecuti
continenti agmine, gravique cum cæde Chriſtiani. Dein
caſtra omnium rerum referta copia diripiunt: capta mi-
litaria ſigna unum & viginti, octo tormenta, ac plus ſex
millia jumentorum. Cæterum ſecundum eam pugnam,
quo nihil minus expectaretur, mala iis in ſpe oppu-
Oppugnatio Budæ difficilis. gnatio eſſe. Cum enim pluribus locis diu verberaſſent
muros, nulla parte aperiebatur ad perrumpendum via;
ut propterea Lotharingius aggeribus maxime & cunicu-
lis oppugnare intenderet. Verum id quoque lentius pro-
cedebat. Et ægre promovebantur aggeres ſolo aſpero ac
lapidoſo: & cuniculos agentibus ingens objiciebatur labor,
fodienda rupes ſubſtrata muris. Eo in opere multis con-
ſumptis diebus, perfecti demum cuniculi duo ſuccenſi-
que; ſed qui vix quidquam damni intulerunt. Haud
diſpari exitu acti poſtmodo cuniculi alii: ut inde potiſ-
ſimum creſceret audacia incluſis, nullusque eruptionum
modus jam eſſet. Ac plerunque ſubitis ſuperabant certa-
minibus: quæque Germani longo molimine pararent,
ipſi ſæpe horæ momento disjiciebant. Acceſſit malum a-
liud, quod faceret oppugnationem ſegniorem. Affecta
corpora vehementi primum æſtu, mox imbribus perpe-
tuis, facile cadebant in morbum; ut haudquaquam exi-
guus numerus eſſet ægrorum. Lotharingium ipſum ab
rebus gerendis adverſa valetudo dies plures abſtinuit. Ita
ſumma contentione nequicquam oppugnando, bellum in
autumnum ducitur: quo tempore nova ſpes novuſque
Augentur utrinque vires. metus oblatus Germanis. Hinc Dux Bavariæ cum octo
millibus ſuæ gentis auxilio venit; ſtatimque admovit ag-
geres ad arcem, quam extremo urbis angulo permuni-
tam obſeſſi habebant: hinc imperatorem Turcarum, ex-
cito undique milite, majores multo quam antea copias
ad Albam Regalem confeciſſe, afferebatur; nec erat du-
bium, ad ſolvendam obſidionem propediem feſtinatu-
rum. Lotharingio haudquaquam id ſuppeditabat virium,
ut

Digitized by Google

ut ſimul oppugnaret urbem, ſimul hoſtium exercitui obviam iret. Itaque in præſens omni vi urgere inſtitit opera, ſi forte invadere, priuſquam illi tentarent auxilium, poſſet. Aſt tunc maxime diſturbabat machinationes præſidium: ac, ſi quid murorum ſubrutum cuniculis aut proſtratum tormentis eſſet; aderat multitudo non militum ſolum, ſed etiam oppidanorum, qui ſedulo obſtruentes, nuſquam patere iter ſinerent ad inſiliendum. Hoc ſtatu oppugnationis moviſſe Alba Regali hoſtes nunciatur. Quamobrem Lotharingius, parte militum ad cuſtodiam operum relicta, robur copiarum inſtruit pro vallo, impetum ibi excepturus. Ut in conſpectu fuerunt, levia per procurſationes prœlia committi cœpta. Huc autem intentis Germanis, qui mox deſcenſuros eos in aciem crederent ad juſtam dimicationem; equites bis mille occulte poſt montem circummittit Turca, qui parte altera niterentur oppidum ingredi. Nec fruſtrata ſpes eſt. Subito terrore perculſi, qui vallum cuſtodiebant, locum dederunt ad primas munitiones ſuperandas. Concurſu deinde ex propinquis ſtationibus facto, contrahitur certamen. Sed erumpentes eodem tempore obſeſſi, dum pugna ancipiti hoſtem diſtinent; uſque connixi equites, quo intenderant, penetrarunt. Modico ſucceſſu contentus dux Turcarum, parvo intervallo refert caſtra, ut, ſi continuaretur oppugnatio, per occaſiones ferret denuo opem. Veruntamen multa jam erant, quæ abſiſtere incœpto Lotharingium cogerent. Nam præterquamquod amiſerat ad decem millia ſuorum, ſæviebantque etiamnum in exercitu morbi; milites quoque qui valerent, ob trium amplius menſium labores tardius obibant munia. Accedebat tum tempus anni incommodum, jam enim Kalendæ Novembr. inſtabant; tum anguſtia commeatuum, qui tam vicino hoſte cum difficultate ſupportabantur. Quocirca nulla tunc expugnandi ſpe, bellicum inſtrumentum in tutum recipit; Peſtumque ac partem urbis, quam occuparat, incendit. Tum agmine non

1684.

Turca ſubſidio venit.

Auxilium in urbem penetrat.

Lotharingius oppugnationem omittit.

ad

1684 ad iter magis, quam ad prœlium inſtructo, redit Strigonium; Turcis inſequi abeuntem non auſis. Inter hæc Poloniæ regi nihilo felicius evenerant cœpta. Multa jam æſtate validum exercitum induxerat in Podoliam, hominum millia plus quadraginta, equites partem magnam, ac eoſdem pleroſque nobiles; præter multitudinem ſervitiorum, quibus armatis pro milite in bello utuntur. In animo habebat, Tyra flumine ſuperato, Principem Moldaviæ, ex occulto faventem Chriſtianis, perpellere, ut aperte deficeret ab Turcis: inde pergere in Beſſarabiam, ac Tartaros Budziacenſes ejicere arcibus, quas ad oſtia Iſtri fluminis tenent; eoque devocatis Coſaccis, infeſtum Turcis reddere Euxinum Pontum. Quod ſi ſucceſſiſſet, adjuvantibus ab Ægæo mari claſſibus Venetorum, ducere protinus decreverat Conſtantinopolin, cujus urbis excidia dudum mente agitabat. Viſa adſpirare primum fortuna. Simul enim ad Tyram flumen pervenit, arcem mœnibus firmam, Zuanietium nominant, impreſſione expugnavit copiarum. Continuo Coſaccos, quorum numerus haud parvus exercitum ſequebatur, additis cohortibus aliquot peditum Polonorum, tranſmittere jubet flumen; ibique Cotzinum, oppidum ejus regionis permunitum, adoriri. Ac non modo, quod minime ſperabatur, adventu fere ipſo potiti Coſacci ſunt; ſed etiam, cum ad recuperandum magna vis Turcarum & Tartarorum Suleimanno duce mox adveniſſet, multos dies nunc repugnando e muris, nunc in opera & ſtationes erumpendo, ſic ſuſtinuerunt obſidionem, ut illi, plurimis ſuorum amiſſis, duce in primis Suleimanno, re infecta abſcederent. Rex interea pontem faciundum, quo exercitus univerſus cum impedimentis traduceretur, curabat. Quod opus artificum inſcitia dum tarde procedit; inflatum flumen aquis pontem tantum non perfectum abſtulit. Pons inde alter conſtrui cœptus. Sed moram afferebant Tartari, qui identidem tranantes, ſtationes incurſando recipiendoque ſe ad Cameneciam,

Poloni Podoliam intrant.

Zuanietium expugnant,

& Cotzinum.

Fruſtra conantur Tyram ponte jungere.

Tartari iis infeſti.

non

non die non nocte quicquam quietum eſſe in caſtris regis paterentur. Pontem denique ipſum, priuſquam perduceretur in ripam alteram, per medias cuſtodias impetu illati Tartari iidem perfregerunt. Jam pons tertius imponebatur infra Cameneciam; cum inopia cibariorum pabulique: etenim duos perpetuos menſes ad flumen ſedendo, commeatibus conſumptis, exhauſtoque circa omni agro, equorum tandem carnibus veſcebantur: ut irrito incœpto illinc abiretur, effecit. Fuit reditus in regnum valde infeſtus. Tartari nanque & Turcæ, qui erant ultra Tyram, inchoatum a Polonis pontem parvo momento perficientes, quod amnis tunc tenui flueret aqua; eo trajecto, abeuntibus inſtiterunt; carpendoque ſubinde agmen poſtremum, iter demorati aliquandiu ſunt. Dici vix poteſt, Joanni regi, imminenti paulo ante in ſpem victoriæ ingentis, quam exitus hic rerum triſtis fuerit. Emanavit vox ejus audita: *dediſſent Superi, ut, liberata obſidione Vienna, mortem inibi pugnando oppeterem.*

1684.

Re infecta, Poloni abeunt.

FINIS LIBRI DECIMISEPTIMI.

H I-

HISTORIARUM
VENETARUM
LIBER DECIMUSOCTAVUS.

1685. *Veneti intenti colligendis pecuniis.*

ANnus, qui inſequitur, lætiora plerunque fœderatis tulit. Venetiis, quo ſumptibus in magnum apparatum ſufficerent, nulla prior patribus potiorque erat cura, quam ut pecuniæ confieret plurimum. Inter alia, quod Cretico bello fuerat factum, procuratoris Marcii dignitas præmium propoſitum patriciis, qui in ſubſidium reip. quinquies & vicies mille argenteos nummos tribuerent: qui autem non patricii centies mille darent, hos placebat in patricios cooptari. Gravi contentione acta res & in Senatu & in majoribus comitiis: quibuſdam, ut ante, querentibus, vulgari dignitatem ſummæ proximam, atque in Civitatem accipi, & juris ſecum æqualitatem homines etiam obſcuro humilique genere ortos, quos repente fortuna locupletaſſet. Legem tulit Michael Foſcarenus Sexvir Senatu regendo; qui cum parte alia orationis, tum vero poſtrema fertur permoviſſe, qua oſtendebat, *intra quinquaginta annos quartam fere partem familiarum patriciarum extinctam; in his non paucas, quas bello Cretico adoptaſſent: multas quoque tunc eſſe, in quibus nulla ſtirps virilis exiſteret. Niſi urbi in æternum condita proſpicerent, fore denique patricii ut deeſſent, quibus mandarentur magiſtratus & adminiſtratio reip.* Perlata lege; hoc & ſequentibus annis quindecim data Civitas cum jure comitiorum familiis triginta ſeptem: Bettonis, Perſicis, Zambellis, Linis, Bonlinis, Sandis, Rottis, Benzonis, Celinis, Sementiis, Bellottis, Arnaldis, Morellis, Brandolinis, Contentis, Rezzonicis, Carminatis, Manzonis, Caſtellis, Rittiis, Curtis, Martinengis, Treviſanis,

Mich. Foſcarenus legem ſuadet de cooptandis patriciis.

Familia 37 cooptantur.

ſanis, Guerris, Romieris, Barſizzis, Noſadinis, Todcri- 1685.
nis, Moris, Gallis, Gheltoff, Recanatis-Zucconis, Redet-
tis, Scrophis, Manfrotis, Cottonis, Pellitiolis. Itidem
complures jam patricii in procuratorum ordinem adſcripti.
Continuo tributum civibus populiſque imperatum pro *Tributum imponitur.*
opibus, proque modo atque ubertate agri, quem quiſ-
que poſſideret. Tum fit ſ. c. de exulibus revocandis: *Revocantur exules.*
ut qui eorum certo temporis ſpatio ſeu in Illyrico ſeu
in Græcia militaſſent privata impenſa, aut pecuniam
pro copiis tribuiſſent ad milites comparandos, reſtitue- *Pecunia ultro conferuntur,*
rentur. Inſignes caritate in patriam voluntaria collatio
fecit duos, Aloyſium Sagredum Patriarcham Venetia-
rum, & Danielem Juſtinianum, Bergomatium Epiſco-
pum, M. Antonii Principis fratrem. Certatim inde ci-
vitates continentis ſecundum facultates quæque ſuas pe-
cuniam militemve ultro præbuerunt; ut nulla re ad bel- *& milites.*
lum reſp. egeret. Operam interea dederant Quinqueviri
rebus bellicis procurandis, ut ſupplementum cum pecu-
nia, & commeatu, alioque apparatu militari in Græ-
ciam mature perveniret. Ad milites, qui in Italia ſcri-
pti quique in Illyrico fuerant, adduntur mercede con-
ducta in Germania armatorum millia quatuor & octin- *Accitis copiis ex Germania vires augentur.*
genti: bis mille & quadringenti Saxones erant; Brunſ-
vicenſes totidem, quos ducebat Princeps Max. Guliel-
mus, Erneſti Aug. Ducis Brunſvicenſis filius. Volunta-
rii acceſſerunt nonnulli: in his adoleſcens indole par ge-
neri, Philippus Princeps Sabaudiæ. Straſoldo demortuo
ſuffectus in præfectura terreſtrium copiarum Claudius
San-Polus, nobilis ante miles quam dux, in Germa-
nia & in Belgio militaribus factis parta gloria. Lecti
ſimul patricii quatuor, Marinus Grittus, Andreas Nau-
gerius, Georgius Benzonus, & Laurentius Venerius;
queis, ubi opus foret, Maurocenus imperator uteretur.
De ratione vero belli adminiſtrandi, liberum ei etiam
in poſterum permiſere ut aggrederetur, quæ e rep. cen-
ſeret eſſe. Per hyemem refecerat Corcyræ naves; dele-

1685. ctibuſque ibi, ut & in Cephalenia, ac Zacyntho habitis, ſuppleverat remigio quinqueremes. Dum autem tempus educendæ claſſis appropinquaret, militem remigemque ſimulata terreſtri ac navali pugna veræ aſſuefaciebat. Interea res incidit a bellicis quidem longe aliena; ſed & gravis tunc, & quam inde alia fecere non reticendam. Indixerat M. Antonius Barbadicus Corcyrenſis Archiepiſcopus ſupplicationem in templo majore, cui imperator quoque intereſſet. Scabellum, unde imperator oraret, tametſi ex more collocatum, atque uti noviſſime etiam inter eos convenerat; tamen viſum eſt Archiepiſcopo poſitum loco digniore, quam ſuum eſſet. Id gravate ferens, cum querendo certandoque nihil profeciſſet; confugit ad illud extremum, ut deſtinatam rem ſacram, jamque præſentem impediret. Stata hora fruſtra adveniens imperator, commotus valde eſt; qui dignitatem ſuam ibi contemptam crederet, & præbitam Græcis inimicis occaſionem irridendi Latinos male diſcordes. Itaque Archiepiſcopum, tanquam de publica injuria poſtulatum, Venetias ire jubet ad cauſam dicendam apud Senatum. Paruit primo cunctanter ille. Deinde Venetiis aliquot moratus dies, repente, inſcio Senatu, Romam abiit; eo eventu, quem exponemus apte ad locum. Imperator, jam tempeſtivo ad navigandum mari, Hieronymum Delphinum, qui ſecundum Molinum claſſi præerat navium celſiorum, cum duodecim earum mittit ad firmandas milite & commeatu arces in Creta inſula, Amphimaliam, Grabuſas, & Spinam Longam; tum ut inter Cretam ac Rhodum eſſet in ſtatione, prohiberetque ne Afrorum naves cum triremibus Turcarum conjungerentur. Augendas poſtmodo vires ratus, quod intellexiſſet imminere ducem Turcicæ claſſis in occaſionem aggrediendi inſulam aliquam Venetorum; trajicere eodem cum ſex navibus Molinum voluit, ut una cum Delphino ad omnes conatus hoſtium occur-

Diſſidium Barbadici Archiep. Corcyr. cum imperatore Mauroceno.

Archiepiſcopus ire juſſus Venetias, deinde Romā abiit.

Maurocenus mittit in Ægæum Delphinum, & Molinū.

occurreret. Haud ita multo poſt triremibus profectus ipſe Corcyra, Nicopolin & Leucadem inviſit. Petit inde Oeniada, Epiri portum in finibus Acarnanum ad oſtium Acheloi amnis, locum opportunum ad auxilia excipienda. Adventus ejus ſaluti fuit Acarnanibus, quorum terras Turcæ, maxime ex Naupacto, populabantur; principes etiam aliquot, quod ad Venetos defeciſſent, damnarant capite. Impetratis militibus quingentis, ulti ſunt accepta damna Acarnanes. Etenim grave præda agmen hoſtium inter anguſtias adorti, fuderunt parvo certamine, numerumque haud exiguum interfecerunt. Parte alia injecta Turcis ſolicitudo non levis. Epiri oram, qua Chimæra eſt, monteſque proximos Ceraunios populi incolunt fortes cupidique bellandi, Chriſtianorum ſervantes ſacra; qui regione freti prope invia ita ſuberant imperio Turcarum, ut tamen libertatem quandam retinerent. Eo & tributum pendere interdum recuſabant; & Corcyram etiam belli tempore commeabant impune commercii cauſa; & militiæ Venetæ ſæpe dabant nomen. His ſubſidia pollicendo perſuaſerat Maurocenus, ut excuterent barbarorum jugum. Ergo captis armis, cum alibi multa hoſtiliter fecerunt; tum in finibus Ambraciis congreſſi cum duobus millibus illorum, quos ducebat præfectus Delvini, ſic vocant arcem ad Abum amnem, prœlio ſuperiores fuere. Inde capita cæſorum ad Venetum imperatorem læti portantes præmiis donati ſunt: tributæ quoque triremes duæ cum armis & commeatu ad majora deinceps audenda. Expediebat motu hoc averti Turcas ab Peloponneſo, quo Maurocenus transferre ſtatuerat bellum. Res ut ibi præmoliretur, clandeſtino miſerat ad populos ſolicitandos Leuctrii tractus, inter Meſſeniacum & Laconicum ſinum. Bellicoſiſſimum genus creditur tota Peloponneſo: & ipſi ſe ferunt veterum Spartanorum progeniem germanam: ad fidem autem virtutis avitæ, in quam ſucceſſerint ſtirps nihil inde degenerans, ſemper incedunt armis, qualiacunque

1685.

Acarnanes juvat;

qui Turcas fundunt.

Chimæra populi

in Turcas conſurgunt.

Maurocenus ſolicitat Leuctrios.

Genus & mores Leuctriorum.

1685. cunque ſuppeditant, induti galeatique; ut ideo non pugnantes videri velint, quod deſit hoſtis. Plaga certe montoſa fere eſt duraque cultu; eo ſunt hominum ingenia ferociora. Muniunt pene undique aſperitates viarum & anguſtiæ ſaltibus crebris; ut Turcæ, quod vi ac metu facile neutiquam eſſet, beneficio putarent continendos, immunitatibus multis datis: itaque ergo liberis ferme ſimiles habentur. Chriſtianorum mores ac ritus ſequuntur utcunque: propterea, ſi optio fiat, ſub Venetis, quam ſub Turcis malunt eſſe. Atque non ſemel Cretico bello, ut eſt narratum, ſi mitterentur auxilia, receperant verſuros ſe contra illos arma. Sed aut mittere nequierant imperatores Veneti, quos cura gravis ejus belli tuto minuere vires non pateretur: aut ipſi accedentibus non præſtiterant promiſſa, propter metum ab præſidiis prævalidis. Occaſionem nunc amplexi libenter ſunt;

Cum iis Venetus paciſcitur.

obſtricta fide utrinque, *militare inſtrumentum & commeatus, quibus maxime indigebant rebus, Maurocenum præbiturum; inviolataſque relicturum priſtinas immunitates: ipſos, ubi primum aliquid ab eo armatorum accepiſſent, conſurrecturos frequentes ad bellum: haud minus undecim millia fore, quibus uteretur non ſecus quam Veneto milite ad Tzaconiam, inde ad finitima occupanda.* Hæc ſpes jam ſponte ſua inclinatum illuc animum imperatoris magis impulit, ut Peloponneſum aggrederetur. Quare ſimul naves tredecim militem portantes & commeatum, quas Ambroſius Bembus regebat, ſociumque Melitenſium, Romanorum, atque Hetruſcorum triremes advenere; militare concilium advocat.

Conſultat de invadēda Peloponneſo.

Haud diſcrepabat, quin Peloponneſum peterent, regionem Epiro proximam. Ambigebatur modo, utrumne Naupactum prius oppugnarent, ut maritimam oram ad ſinum uſque Corinthium haberent in poteſtate; an Peloponneſum ſtatim invaderent. Poſtquam ſatis conſtabat, Turcarum millia plus octo, magnam partem equites, conſediſſe ad Naupactum; itaque exſcenſionem haudquaquam facilem fore: placuit trajici extemplo in Peloponneſum;

neſum; eaque vim primo admoveri, qua ſe Leuctrii ſpo- 1685.
ponderant adjuturos. Ergo ad navigationem maturis jam cunctis, proficiſcuntur; Cephaleniamque ac Zacynthum prætervecti, ad Oenuſas inſulas contra Acritam promontorium Peloponneſi claſſem advertunt. Peninſula Græciæ *Peloponneſi deſcriptio.* eſt Peloponneſus magna admodum, anguſtis Iſthmi faucibus continenti adhærens, aperta opportunaque cum primis navali bello. Non operæ eſt perſequi antiquam formam ejus, opes, gloriam, pro variis populis varios mores, inſtituta, leges, cæteraque ſeu belli ſeu pacis artibus memoranda, luculentis dicta ſcriptoribus Græcis & Latinis. Nunc regnum appellant regionem omnem: dividuntque in partes quatuor. His dedere nomina, Clarentiam, quæ olim Achaja proprie dicta; pertinetque ad Corinthium ſinum & Jonium mare: Belvedere, Calloſcopium Græcis; quæ alias Elis & Meſſenia ad Cypariſſum ac Meſſeniacum ſinum: Saccaniam, ſeu Romaniam minorem; quæ Argiam, Corinthiamque, & Sicyonem continet, hinc ſinu Argolico, hinc Saronico objacentibus: Tzaconiam, ubi Laconia olim & Arcadia, quæ mediterranea magis eſt; quaque in auſtrum & orientem vergit, Meſſeniaco Laconicoque & Argolico mari alluitur. Urbium caput Nauplia ad ſinum Argolicum. *Urbes.* Inde clara oppida ſunt, Epidaurus Limæra in Laconia, non procul Malea promontorio: tum Corone & Methone in Meſſeniæ ora: in Achaja Patræ: Corinthus demum inter maria duo, Jonium & Ægæum, qua Iſthmi clauſtra finiunt. Accedunt arces non paucæ: aliæ ruinis inædificatæ urbium antiquarum; conditæ ab Turcis aliæ ad coercendam gentem. Seu magnitudinem regionis ſpectare libeat, quæ amplius quingenta millia paſſuum ambitu complectitur, ſive ubertatem ſoli ſuppeditantis omnia non neceſſariis ſolum, ſed etiam amœnis fructibus; parvus numerus incolarum eſt: neque enim plus centum viginti millia capitum humanorum cenſentur. Hanc infrequentiam induxerunt inteſtina primum
po-

Digitized by Google

1685. populorum odia, deinde fœdæ bellorum clades, poſtremo mutationes crebræ dominorum; præſertim poſtquam, ducentis ferme ante annis, tyrannidem invaſit Turca, pulſis Venetis, qui, Conſtantinopolitano bello confecto, partem meliorem adjudicatam ſibi obtinebant. Vixdum Maurocenus claſſem appulerat ad Oenuſas, cum ſpe minime exigua rerum in Peloponneſo gerendarum deſtitutum ſe cognoſcit. Literæ ad eum perferuntur Leuctriorum, quibus admonebant, *ne prioribus ſuis promiſſis confiſus in Tzaconiam trajiceret: indicio conjurationis ad Baſſam delato, illico tumultum exortum: ac primo quidem fuſam ab ſe haud parvam manum Turcarum; at poſtmodum, præfectis pluribus excitis, ad novem millia armatorum per ſaltus incuſtoditos irrupiſſe in terras ſuas: graſſatos cædibus atque incendiis, non modicum numerum hominum cepiſſe vivos: tandem, quod vires deeſſent ad reſiſtendum, obſidibus, quos imperaſſent, datis, veniam ſe impetraſſe: ne ad Venetos accederent, obſtare periculum illorum, qui plurimi in barbarorum eſſent poteſtate.*

Claſſis Veneta ad Oenuſas.

Spes ab Leuctris deficit.

Tum Maurocenus ſpem aliam, quando hæc vana evaſerat, ut experiretur; ab Meſſeniæ oppidis, quæ in conſpectu erant, ordiri conſtituit bellum. Methonem initio aggredi placebat. Ubi San-Polus, mœnia ſitumque oppidi contemplatus, multi laboris oppugnationem affirmabat futuram: miſſi Joannes Milhaus Verneda, & Joannes Baſſignanus, militarium operum architecti, ſitum Corones, viginti ferme millia inde paſſuum, qui noſcerent. Ea cum retuliſſent, quæ animos facerent ad oppugnandum: Acritam promontorium circumvectus, non procul oppido, nullo impediente, copias exponit. Objicitur Corone læva Meſſeniacum ſinum ſubeuntibus. Eminet in altum lingua, in qua ſita urbs eſt; undique cincta muro, trianguli forma, in mare devexa. Qua Peloponneſum introrſus ſpectat, coit ex utraque parte in arctiorem velut cuneum: ibi clivus eſt leniter editus: verticem emunierant olim Veneti in arcem, quæ angulo extremo turrim ingentis magnitudinis habet.

Corones ſitus.

Tuc-

Digitized by Google

Tuebatur validum præſidium militum Turcarum. Inſuper, ut in oppido frequenter habitato, ſuppeditabat hominum multitudo, qui ferre poſſent arma, indigenarum præſertim Græcorum & Hebræorum. His certatim operam pollicentibus, quandoquidem rerum, quæ ſunt diuturnæ obſidioni tolerandæ, copia intus erat: plenus fiduciæ præfectus, & ſuperbum reſponſum vocanti ad deditionem Veneto reddidit, & Turcam quendam, de deditione loquentem liberius inter ſuos, ad maxime conſpectas murorum pinnas affici ſupplicio juſſit immani illo, a poſteriore parte corporis pudenda vallo acuto in os traducto. Miſſi confeſtim a Mauroceno Illyrii ad vicum occupandum, frequentem tectis, paulum a muris abjunctum; unde vicani perfugerant in urbem. Inde metatur caſtra in propinquo, præpoſitis Georgio Benzono, & Laurentio Venerio: atque ut in juſtam obſidionem hoſtes cogeret, contra turrim objici munitionem jubet, eamque perpetuam perduci uſque ad mare. Curante San-Polo, intra biduum opere perfecto; duobus locis adoritur. Ab arce Illyrii ac millia tria militum Italici generis; dextra parte, qua latus alterum oppidi deſpectat mare, Melitenſes potiſſimum & Brunſvicenſes oppugnabant. Eodem tempore igniferi globi intro conjiciebantur: neve qua regio periculo vacaret, maritimus ſimul oblatus terror; trierarchis, qua cuique eſſet proximum, mœnia tormento inceſſentibus. Primo ſatis ſuccedebat cœptum. Nam intus incendium ortum tecta complura abſumpſit, murique dejectum eſt aliquid: ut propterea imperator denuo obſeſſos tentaret, ſi tradere oppidum per pactionem vellent. Ut vidit obſtinatos, cuniculis quoque oppugnare intendit. Sed inter conandum rem eſſe comperit haud paulo quam crediderat difficiliorem. Et Turcæ effundendo telorum genus omne e muris, interdum etiam portis erumpendo, vim arcebant; & rupes ferro invia eludebat fere ubique laborem foſſorum: ut cum per dies novem vix proficeret

1685. *Præſidium.* *Oppugnatio.* *Difficilis.*

ret

Digitized by Google

1685. ret quicquam, parum jam in cita expugnatione ſpei collocaret. Inſtantem operibus cura alia repente aggreditur. Simul enim eſt nunciatum, cohortes aliquot Turcarum venire auxilio incluſis; ſigna illorum in vicinis collibus conſpecta ſunt. Supra quatuor millia erant, quos Muſtapha Baſſa raptim acto agmine adduxerat ex Tzaconia. Ac protinus equites quingenti, quantum poterant effuſiſſimis habenis, ſe ſe in munitiones intulere. Excepit ſubmovitque Thomas Anandus tribunus, qui ea parte præſidebat, ad ſexaginta occiſis. Cæterum præterquam deinde incurſionibus crebris, comminandaque locis aliis atque aliis oppugnatione caſtrorum, nihil quietum eſſe ſinebant in ſtationibus: fama etiam afferebatur, undique in Peloponneſo extraque Peloponneſum militem ab præfectis arcium cogi, ut gravi conatu oppidum obſidione eximerent. Apparebat in eorum adventum extracturos bellum obſeſſos. Ea cauſa fuit Mauroceno, quamobrem novo munimento caſtra firmaret. Aberat prope tumulus, caſtris imminens, quem qui cepiſſet primus, iniquiorem eſſet hoſti locum facturus. Eum tumulum opere celeriter permunit, datque Illyriis militibus cuſtodiendum: quod fuit conſilium eventu valde utile; nec deinde res ulla magis Turcas fatigavit. Vires his addiderat Baſſa alter Kalilus, cum armatis bis mille adveniens. Itaque creſcente audacia, contulerant propius caſtra; in id præcipue intenti, ut obſervato tempore vallum adorirentur, atque in oppidum penetrarent. Nec defuerunt occaſioni, quam præbere primum viſa eſt fortuna. Cuniculos duos ſuccendi juſſerat Maurocenus, qua Melitenſes oppugnabant; ſi res ſucceſſiſſet, ea perrupturus. Reſtitit rupes, cui murus impoſitus; ut, parte dumtaxat ſuperiore decuſſa, obſtaret ruinæ altitudo ne admoverentur armati. At Baſſæ, ſimul flammam cuniculi conſpexerunt, rati ſe haud ægre ſuperaturos munimenta, ab eorum cuſtodia avocatis Venetis ad urbem aggrediendam; educto confeſtim exercitu, equitatum præmit-

Ex Tzaconia Turcæ auxilio veniunt.

Maurocenus caſtra munit, & propinquũ tumulum.

Turcæ vallum aggrediuntur;

mittunt, ut vallum, qua infrequens videbatur milite, tentaret: ipſi, quantum accelerare peditatus poterat, ſubſequebantur. Poſtquam Alexander Alceniacus, cui obtigerat ſtatio ea, impavide ſuſtinebat impetum: averſi inde tumulum petunt; magnaque vi connixi, tranſiliunt munitiones, ac trepidos Illyrios per proclive deturbant. Plurimum damni, tumulo amiſſo, erat factum. Sed e veſtigio Melitenſes, alaque levis armaturæ equitum, quos ducebat Grimaldus Corbonius, jam ante inſtructi paratique ad urbem invadendam, eo advolarunt. Illyrii quoque, recepto ex pavore animo, ad recuperandum tumulum ſequuntur. Subiere audacter; nec prius eniti deſtiterunt, quam evadentes in ſummum, ſtrage ac ruina hoſtes funderent. Fuſos longius inſectantur, cæſis plus trecentis: par ferme numerus vulnerati: ſigna militaria octodecim, quæ in tumulo ſtatuerant, adempta. Ab victoribus deſiderati ſauciative ad ducentos: ibi vir fortis Eques la-Tour, Melitenſium ductor, dum hortatur ac dimicat inter primos, cicatricibus multis acceptis, ſub ipſum fugæ hoſtium initium, cado ſulphurei pulveris propter eum forte accenſo, abſumptus eſt. Interfectorum capita pilis infixa, captaque ſigna oſtendentes Veneti, nihil permoverunt obſeſſos. Nec ſolum crebrius erumpebant ad opera diſturbanda, ſed etiam tormentis pluribus vaſti oris in claſſem converſis, infeſtam ſtationem navium faciebant; ut non pauci Venetorum quotidie caderent aut ſauciarentur, occiſo inter alios in quinquereme Marci Piſani, egregiæ indolis patricio, Franciſco Ravagnino qui militabat ſtipendiis ſuis. Dum ſumma contentione urbs oppugnatur ac defenditur, prœlium haud paulo quam ante acrius redintegratum eſt. Deſperantes Baſſæ inferri poſſe auxilium, donec in poteſtate hoſtium tumulus eſſet; ubi adfuere millia fere duo armatorum de exercitu qui conſtiterat ad Naupactum, acie inſtructa illuc rurſus acceſſerunt. Id ipſum fore providerat imperator Venetus: quocirca vallo ac foſſa ſepſe-

1685. — *tumulum capiunt:* — *quem Veneti recuperant.* — *Obſeſſorum pertinacia.* — *Tumulum denuo tentat Turca:*

1685. rat tumulum; auctoque præſidio, certas cohortes haud procul locarat in ſubſidiis. Pugna indicio fuit, quos utrinque animos geſſerint. Nam tres amplius horas dubio dimicatum eventu eſt. Bis per tela, per vulnera ſcandentes Turcæ, bis ab Venetis dejiciuntur. Cum Baſſæ minando terrendoque denuo in hoſtes convertiſſent, tenuit aliquandiu atrox certamen. Ad ultimum victor

ſed repelliuntur.

Venetus non impulit modo, ſed etiam effuſos trepidanteſque cum multa cæde in caſtra redegit. Ea res inciderat ſpem Baſſis tumuli vi atque armis occupandi. Quare aggeres admovent vineaſque: quod tamen opinione difficilius fecerunt propugnatores, diem noctemque opera prohibentes. Cum hæc ad Coronem agerentur: præfectus claſſis Turcarum, triremibus quinque & quadraginta, decemque majoris formæ navibus Helleſponto evectus in Ægæum, Tenedum primo, Mitylenem, & Phocæam firmarat milite. Petierat inde Chium: ubi in-

Molinus & Delphinus perſequuntur claſſem hoſtium:

telligens, non longe abeſſe Molini ac Delphini claſſem; ne prœlio decertaret, Rhodum tranſmiſerat. Secuti abeuntem præfecti Veneti, contra fauces portus explicata in frontem acie ſtetere. Quando nemo adverſus ibat, nec immittere ipſi poterant incendiaria navigia, vento reflante: conſpicati non procul inſula decem naves Afrorum, repente in eas curſum dirigunt. Sed, dum barbaris ſuperantibus agilitate navigiorum fruſtra inſtant, nactus elabendi occaſionem Turca, retro unde venerat Chium celeriter redit; deductis eodem aliquot ex Syria navibus, quæ commeatum Conſtantinopolin portabant:

qui Naupliam trajiciunt.

biduum vero moratus ad inſulam, ventis ſecundis Naupliam trajecit. Illinc novem delectas cohortes, ac millia duo foſſorum mittit Baſſis, qui caſtra habebant ad

Inde miſſa Coronem ſubſidia.

Coronem; monens etiam atque etiam, ne ultra cunctarentur auxilium inducere. Jam Venetis in arduo erat oppugnatio. Nam, ut prœlio non uno ſuperiores fuiſſent; creverant tamen Turcis vires, ut plus millia undecim militum eſſent: ipſi & multos amiſerant pugnando;

do; & nonnulli ex æſtu, laboribus, ac vigiliis morbos contraxerant. Satis autem promovere nequibant opera, repellentibus eo maxime tempore vim incluſis; & ita perſultantibus Baſſis, ut obſeſſis quam obſidentibus ſimiliores viderentur. Propterea gravis cura Maurocenum agitare qui cerneret, ſemper deteriore loco, quo diutius proferretur, rem fore. In his anguſtiis audendum aliquid inopinatum ratus, ultro aggredi hoſtes conſtituit intra vallum. Spes ſuberat, nihil minus timentes opprimi terrore ſubito poſſe. Quod ſi ſucceſſiſſet, ſatis fidebat, obſeſſos deditionem tum denique facturos. Igitur nocte quæ diem præceſſit VII. Id. Sext. modico relicto præſidio ad cuſtodiam aggerum, tacito ſigno educit copias inſtruitque ad pugnam. Claſſicos quoque milites, partemque remigum jubet exſcendere, ac brevi poſt colles circuitu occulta in valle conſidere; ut, ubi ſignum accepiſſent, ſine mora invaderent ab latere. Supra quam ſperarat, obſecundavit fortuna. Paulo ante lucem ſilenti agmine ad vallum cum acceſſiſſent, ſtationem nullam pro portis, raraſque circa cuſtodias invenerunt. Illico, ut fuerat præceptum, ſimul a fronte, ſimul ab latere, magno impetu illati, vallum ſupergrediuntur; Turcaſque, in quos primo incidere, ſomno pleroſque ſtratos obtruncant. Inde tumultus in tota caſtra momento perfertur. Torpidi milites exanimatique pavore nec arma impigre capere, nec obſiſtere, nec voces exaudire formidinem increpantium centurionum. Pauci modo poſt cumulos ſarcinarum pauliſper repugnaverunt. Et jam nuſquam certamen, terror paſſim ac fuga eſt. Nec ea facile explicari, ruentibus aliis ſuper alios, poteſt: eo plures ab Venetis interficiuntur; donec, caſtris effuſi, qua cuique iter fuit, tam præcipites diffugere, ut victor non ſufficeret ſequendo. Ita nullo pene conatu victi hoſtes, caſtraque capta. Multum ibi armorum, commeatuum, ac jumentorum inventum eſt. Sex grandiores balliſtæ, & militaria ſigna viginti, in his vexil-

1685.

Maurocenus adoriri exercitum Turcarum ſtatuit.

Victores Veneti

caſtra capiunt.

1685. lum magnum Baſſæ, caudæque equinæ, imperii militaris inſigne Turcis, venere in poteſtatem. Triſtis res obſeſſis non flexit tamen ad deditionem animos. Mœnibus ſe, quæ præter opinionem prope ubique ſtarent, habere urbem inexpugnabilem credebant. Quare Mauroceno in id unum incumbere, ut aperiret ad irrumpendum viam. Jam dudum ab latere oppugnatio erat ſegnior, quod prope inexſuperabilis ruinæ altitudo vix quidquam loci præberet ad tentandum. Eo advectis tormentis aliis, uſque jaculando mollire aſcenſum nititur. Fiduciam tamen reponebat potiſſimum in cuniculo, qui ſub turris propugnaculum ipſum agebatur, curante Baſſignano. Dum cuniculus perficitur; Hetruſci, tanquam ſi in nullum propinquum expugnandi finem deſudaretur labor, fruſtra retinere conante imperatore, in Italiam reverterunt: quam quidem inconſultam feſtinationem tres poſt dies arguit eventus. IV. nanque Id. Sext. cuniculo perfecto accenſoque, ingens ruina propugnaculum late nudavit. Tum delectæ cohortes per ſtragem lapidum iter invadunt in arcem. Uno tempore fit in urbem impetus ab Melitenſibus & Germanis. A mari quoque multiplex adhibitus terror: nam pars triremium eminus tormentis muros verberare; pars littori applicata exponere claſſiarios, qui alibi impreſſione ſimulanda, hoſtes diſtenderent. Succeſſere magno ardore Melitenſes Germanique. At nequicquam omnia ut ſcanderent experti, quando miſſilium vi jam obruebantur, abſiſtere coacti ſunt incœpto; amiſſis ſuorum plus quadringentis. Ibi Sabaudus Princeps, dum ſe medium in prœlium infert, graviter ictus ſaxo eſt. Parte altera ab hora diei ſecunda ad ſextam certamen hæſit cruentum variumque. Quo plus oſtendebatur periculi, hoc numero majore atque obſtinatioribus animis reſiſtebant obſeſſi. Ter ſupervadentes Veneti, multorum cum cæde repelluntur. Tandem, renovato conatu, rurſus in ſummum conſcendentes, demoveri gradu amplius haud potuere. Recipien-

Acrius oppugnant urbem.

Hetruſci ſocii abeunt.

Veneti impreſſionem tentant.

In ruina muri conſiſtunt.

pientibus ſe inde hoſtibus, ſpatium fuit muniendi: etenim, ne continuo perrumperent in arcem, vallum impediebat, quod illi tumultuario opere introrſus objecerant. Duas horas nec laceſſentes nec laceſſiti ibidem conſtiterunt. Ut autem ſubmiſſus ab imperatore miles recens daturus erat impetum; Baſſa, nulla jam ſpe defendendæ urbis, albo vexillo ſublato, petit colloquium de condicionibus deditionis. Ambigebatur, utrum cum ſingulis veſtimentis milites atque oppidani emitterentur, quod ipſe poſtulabat; an, quæ una condicio contra ferebatur, permitterent ſe arbitrio victoris. Dum tenet diſceptatio, cuſtodes valli ſeu ab deſperatione, ſeu quod, pyxide ſulphurei pulveris apud Venetos caſu accenſa, inſidias metuerent; ignem repente admoventes tormento, eorum aliquot interfecerunt. Fraude agere viſi. Itaque adeo res iram movit militi, ut ſtatim ſine ullius imperio inferentes ſe in adverſam munitionem, prima ferme impreſſione ſupervaderent, penetrarentque in arcem. Continuo contentione modica in urbem agmine irruunt: cumque furor & indignatio immemores prædæ feciſſet, inermes juxta atque armatos obtruncant in viis. Diſcurrunt inde per domos. Clamore cuncta complentur, miſtis vocibus terrentium paventiumque, comploratione fœminarum & puerorum. Fuere qui, priuſquam ſuperveniret hoſtis, ferro tranſverberarent pectus aut ſe ſe e tectis agerent præcipites. Effractis foribus invadentes illi, obvios primum nullo diſcrimine ætatis tollunt; deinde, ut quiſque protraheretur ex abdito, trucidant lacerantque: & occidione occiſi Coronæi forent, ni nox interveniſſet. Tum ad prædam victores verſi: quæ, ut in frequenti quæſtuoſoque emporio, dives fuit generis cujuſvis. Tormenta centum viginti octo inventa, aliarumque bellicarum rerum copia; itidem magnus frumenti numerus. Ex omni vero multitudine ſuperfuere capitum humanorum vix mille & quadringenti, maximam partem fœminæ puerique: mares quinque

1685.

Agunt Turcæ de deditione.

Irritati Veneti impetum faciunt:

arcem expugnāt urbemque.

Cædes Turcarum.

Urbs diripitur.

1685. que & triginta ſupra trecentos in ſupplementum remigum dati. Haud minus triduum interceſſit, dum viæ ſtrage cadaverum ac ruinis fœdæ purgarentur. Urbem tunc, quinquageſimo poſt die quam cœperat oppugnare, ingreſſus Maurocenus, in Meſchita majore, impuritate Mahumetica prius eluta, gratias Deo agit. Inde Georgium Benzonum præponit & Juſtinum Ripam; imperatque præfectis quinqueremium, ut per turbam navalem, regionibus diviſis, muros ac murorum reficienda munimenta curarent: interim complurium dierum quietem concedit militi, ad alia quæ parabat, vires ut ſuppeterent. Spem enim ceperat ingentem, Coronæorum exemplo perterrefactos alios minus obſtinate repugnaturos. Venetiis etiam, acceptis literis ejus, ſuper lætitiam præſentem ob expugnatam urbem validam, animo jam deſtinabant, Peloponneſum univerſam ſub jus ditionemque redacturum. Illico in templo D. Marci a Principe & patribus honos Deo habitus. Tum indicta in triduum ſupplicatio, ordinibus omnibus magna frequentia celebrantibus. Vexillum Baſſæ, quod cum literis miſerat imperator, eximia pompa, ſequente Principe ac Senatu, religionis cauſa in Ædem illatum eſt D. Cajetani, cujus feſto die pulſi ad Coronem fugatique Turcæ fuerant. Inde præmia ducibus exſolverunt ad cujuſque meritum: gratique ante alios erga imperatorem, Laurentium fratrem, inclytum pietate & juſtitia ſenatorem, equitem D. Marci creavere. Jam tranſmiſerat claſſis in Tzaconiam, regionem Meſſeniæ finitimam. Abierant, appetente autumno, Meliteníes Romanique ſocii: at auxerat copias adventus Aloyſii Marcelli, qui Amphimaliæ præfectus deſignatus, tria circiter millia Saxonum militum adduxerat Venetiis. Leuctrii inſuper, qui commiſiſſent bellum, nunciis aliis ſuper alios miſſis, eo vocarant. Hi prius quam Corone caperetur, dempto ab Turcis metu quos periculum urbis illius ab ſe averterat; paratos eſſe conventa efficere ſignifi-

Lætitia Venetorum.

Laurentius Mauroc. eques D. M. creatur.

Leuctrii Turcas invadunt.

gnificarant Mauroceno: centuriæ etiam aliquot eorum 1685. acceptæ in triremes Benedicti Sanuti, Adriatici ſinus præfecti, ad Venetum exercitum tranſierant. Tum victi *Zernatam oppugnant.* prœlio Baſſæ & capta Corone animos ſubjecerant ad arcem oppugnandam, in rupe poſitam, quinque millia paſſuum a mari, Zernatam appellant. Utendum inclinatione rerum, adjuvandoſque novos ſocios, ratus eſt Maurocenus. Cum autem San-Polus annis & morbo gravis miſſionem impetraſſet, adhibuit ad expeditionem præfectum alium copiarum, Annibalem Deghenfeldium; qui, certamine exorto cum San-Polo, uter alteri antecelleret imperio, Zacynthum interea conceſſerat. Eo revocato, Benzono & Ripæ attribuit milites mille ad tuendam Coronem: relictoque cum quinque triremibus Marino Bragadeno, qui opera reficiendæ urbis ſollicitaret; ipſe claſſe cætera in adverſam Laconiæ oram traji- *Abaã claſſis traiicit.* cit, qua Abæa eſt, Calamatam vocant, arx maritima in Laconiæ Meſſeniæque finibus. Nondum miles exſcenderat; cum ab Turcis, qui Zernatam cuſtodiebant, fa- *Zernata deditur.* ma territis hoſtium adventantium, adſuere ad paciſcendum, ne quid hoſtile paterentur, utque inde ipſi & indigenæ abirent inviolati. Haud abnuit imperator. Itaque miſſum ſtatim, quantum ſatis eſſet, militum: ac ſine fraude tradita arx. Tum modico ab Abæa intervallo exponit copias. Aberat non longe præfectus Turcicæ claſſis, qui Nauplia cum ſex millibus armatorum profectus, reliquiis collectis fuſi ad Coronem exercitus, quingentos ab arce paſſus locarat caſtra; dextra ſylva, læva montibus tutus. Octo millia peditum erant, equitum plus duo. Habebant Veneti numerum peditum parem; nam Leuctrios mille & quingentos ſibi adjunxerant: equitatu minime æquabant. Nihilominus Maurocenus Deghenfeldio præcipit, ut præter littus extemplo ad hoſtes ducat, a mari ipſe adjuturus. Pro peritia belli inſtruit Deghenfeldius ſolerter aciem, ut periculi minimum ab hoſte equitatu ſuperante eſſet. Qua loca pla-

na

1685. na ſunt, ea; id quod accidit, venturos equites arbitratus, veteranum militem, ſtatariæque aſſuetum pugnæ objecit. Saxones maxime ibi locati, & pars melior equitatus: dextrum cornu Brunſvicenſibus dat tuendum: Venetos accipit in aciem mediam; præmiſſis Illyriis Leuctriiſque cum ala equitum ad colles occupandos, unde, cum opus foret, in latus hoſtium decurrerent. Paulum proceſſerat, cum procul ii viſi. Sed præcipiti tunc in occaſum ſole, conſtituit ſigna. Poſtero die, magno clamore atque ululatu initium certaminis ab Turca factum. Ac protinus equeſtri procella impellere ſiniſtrum cornu conatus eſt: mox peditatum in dextrum immittit. Excepere impetum ſtantes in veſtigio Saxones, imbre glandium plumbearum effuſo. Auſi deinde ſunt ſe ſe ultro inferre, ſi injicere poſſent tumultum. Nec ſegnius reſiſtebat cornu alterum, Principe Brunſvicenſi inter primos ciente prœlium. Et jam mediæ quoque acies concurrerant, permiſtiſque copiis paſſim dimicabatur, cum, qua parte virium plus Turca poterat, inde fuga fieri cœpta eſt. Hinc acriter cum inſtarent a fronte Saxones; hinc imperator ab mari, explicata triremium claſſe, crebris ictibus tormentorum latus inceſſeret: diu non ſuſtinuerunt vim barbari. Itaque ſegnius primo repugnare cedereque: poſtea turbatis ſignis atque ordinibus, haud dubie terga vertunt. Ea res momento temporis totam inclinavit aciem. Pedites nanque, ut fugientem videre equitatum, in quo maxime ſpem poſuerant; relicta confeſtim pugna, & ipſi ſe fugæ tradunt: prælatique pavore Abæam, alii alio diſſipati ſunt. Nec obſidionem expectavere qui arcem tuebantur. Subjicientes tectis ignem, clavis ferreis in tormenta adactis, ne uſui forent victoribus, exceſſerunt. Tum Maurocenus, dum recens eſſet formido, adoriri arces tractus ejus parat, quæ hoſtium tenebantur præſidiis; Gereniam ad Vitylum ſinus Meſſeniaci portum; alteram Chielepham incolis dictam, quinque millia paſſuum ab Tænaro portu Laconum.

Pugna cum Turcis ad Abæam.

Turcæ vincuntur.

Deditur Venetis Abæa;

Gerenia, & Chielepha.

Sed

Sed neutrobique ad tolerandam oppugnationem animus 1685.
fuit Turcis. Simul enim viderunt cohortes aliquot agmine ſuccedere ad muros; pacti ut ſalvi demigrarent cum rebus ſuis, portas aperuere. Ita, quidquid interjacet inter Meſſeniacum & Laconicum ſinum, in poteſtatem venit. Donati præmiis ab imperatore pro cujuſque opera principes Leuctriorum: conceſſæque genti ex pacto pridem inito immunitates. Gereniam atque Abæam, non *Gerenia & Abæa evertuntur.*
ſatis validas muris, everti placuit; avectis inde quinque & triginta æneis tormentis gravioribus. Zernatæ præpoſitus Nicolaus Pollanius & Franciſcus Theupolus, Chielephæ Bernardus Balbus, univerſæ autem regioni Laurentius Venerius; aſſignatis centuriis aliquot Italicorum militum, quibus, Leuctriis adjunctis, ſi quid ab Turca oriretur tumultus, tutaretur fines. His perfectis rebus, adulto jam autumno, Corcyram navigat in hyberna: *Corcyram redit Maurocenus.*
quo priuſquam appelleret claſſem, arcem parvam contra Corcyram ad Abi fluminis oſtium, Gomenitias vocant, perfugium prædonum, aggredi conſtituerat. Fuga cuſtodum vacuam invenit Hieronymus Garzonius, quem *Gomenitiæ diruuntur.*
cum parte claſſis ad muros quatiendos a mari præmiſerat. Igitur, bellico inſtrumento aſportato, a fundamentis diruit. Ne hoc quidem anno proſpera belli fortuna fuit in Illyrico. Spe incenſus Valerius Singi potiundi, cum *Singum tentat Valerius.*
quantum ſatis videbatur militum collegiſſet; Marinum Michaelium cum cohortibus expeditis ire ad oppugnandum jubet. Secutus ipſe paulo poſt exercitu reliquo. At præterquamquod arx erat ſitu munita, incluſiſque ad varios hoſtium conatus nec vis ulla nec ars deerat; expectatione quoque citius ex finitimis regionibus feſtinarunt Turcæ ad opem ferendam. Septimum diem nequicquam verberabant tormentis; cum Baſſæ duo, Boſ- *Veniunt auxilia Turcis.*
nenſis & Chulmienſis, coacto raptim milite, ad Neſtum amnem caſtra poſuere. Injectus Valerio metus ne, ſi flumen ſuperantes tentarent munimenta, ſimul hæc defendere, ſimul oppugnare arcem non poſſet. Quod, nisi

1685. niſi abſiſtere vellet incœpto, unum ſalutare ſuccurrebat conſilium, parte copiarum ultro adoriri caſtra eorum ſtatuit. Delecti in id Illyrii, quorum ad tria millia ſecum habebat, duce Gianco equite. Et cum flumen ponte tranſmiſiſſent; data repente impreſſione, haud parum in-

Pugna eorum cum Venetis.

tulerant tumultus. Poſtquam ab Turcis, ad eum qui premebatur locum concurſu facto, repugnari acriter cœptum eſt; vertit in ipſos terror. Itaque fuga turpiter arrepta, in caſtra trepidi revertuntur: ubi militibus cæteris pavoris plurimum injecerunt. Senſere Baſſæ. Quare auſi poſtero die, trajecto amne, vallum invadere. Obtinebant ſtationem, quæ primo petebatur, Illyrii iidem; delendæque heſternæ ignominiæ aderat occaſio. Verum nondum depulſo animis metu, adeo viſis hoſtibus perturbati ſunt, ut non modo impetum, ſed ne clamorem

Vincunt Turcæ.

quidem ſuſtinerent. Effuſi in montes proximos fugam capiunt: quæ res exercitum omnem illico formidine implevit. Ac retinere Valerius neque imperio, neque auctoritate, neque poſtremo precibus cum potuiſſet; qua cuique iter fuit, univerſi diffugiunt: ut ad ultimum Valerius ipſe ac Michaelius ægre ſe ſe reciperent in tutum. Perſecuti aliquandiu Turcæ, ad trecentos aut vivos ceperunt aut interfecerunt; in his, præter tribunum Marianovichium ac centuriones aliquot, voluntarium militem Gabrielem Lombardum patricium: impedimentis quoque oppugnandique inſtrumento potiun-

Baptiſtæ Paleſii facinus clarum.

tur. Ferat hic honorem meritum Baptiſta Paleſius Patavinus librator: qui, terga vertentibus aliis, ad tormentum cuſtodiæ creditum ſuæ pugnavit pertinaciter; inditoque tandem ferreo clavo, ut inutile Turcis faceret, obtruncatus eſt. Exitus oppugnationis ejus, id quod ne-

Tragurium Turcæ petunt: inde Duare oppugnant.

ceſſe erat, minuit Venetis animum, auxit Turcis: ut paulo poſt Chulmienſis Baſſa ingreſſus fines, Tragurii arces petere non dubitaret; ad Tragurium ipſum, ſi res eveniſſet, exercitum admoturus. Repulſus illinc, contendit ad Duare oppugnandum. Anguſtos ſaltus neglectos

ctos cuſtodiis cum inveniſſet: caſtella duo in rupe poſita, 1685.
quorum alterum arci imminet, levi occupat certamine. Conſtitutis inde in proximo tormentis, arcem adoritur. Impavide reſiſtentes incluſi ſpatium dederunt Valerio ad ſubveniendum. Milite actutum impoſito in triremes, propinquum Duari portum ſubit: magnumque numerum Illyriorum ex Spalato, Tragurio, Cliſſa, regioneque omni inter Neſtum & Naronam flumina, ad arma convocat. Ubi placuere vires; Joſepho Uſio, qui Bratiæ inſulæ regebat triremem, eratque affinis Auguſtini Tartaliæ, Duaris præfecti, imperat ut inſtructos paratoſque ad hoſtem ducat. Nec conſilium Uſio, nec militibus ardor ad rem gerendam defuit. Capto tempore, in Turcas invecti, qui arctos aditus viarum obſederant, non ante fecerunt pugnandi finem, quam multa cum cæde disjicerent. Continuo procedebant ad caſtra ipſa. At præter ſpem nihil illic contentionis fuit. Etenim diffiſus Baſſa copiis, omiſſa extemplo oppugnatione, adventum hoſtium præverterat fuga. Turcæ ad ducentos, quibus caſtellum alterum dederat tuendum, exitu intercluſo, venerunt in deditionem. In caſtris cum alia, quæ præ cura approperandi auferri haud potuere, tum pars inventa tormentorum, quæ paulo ante amiſerant ad Singum. Per dies eoſdem juſſus a Baſſa Albaniæ Suleimannus Aga tumultum alibi exciverat, magna manu aggreſſus populos, qui ad maritimam oram non procul Butua colunt. Deſtinatus Aloyſius Cittadella Patavinus, Melitenſis eques, cum triremi una & biremibus quatuor periculum brevi diſcuſſit. Nam opportunis regionibus oſtendendo a mari auxilium, timoris nonnihil injecit Turcis; quos, ſumpta fiducia, auſi Illyrii ultro invadere, compluribus occiſis, in fugam verterunt. Spes inde facta Valerio, ſi porro anniteretur, loca ſe non una adempturum hoſtibus. Norinum in primis ſpectabat: id exiguæ arci eſt nomen ad Naronam flumen, quinque ferme millia paſſuum a mari; quam ſi cepiſſet, habiturum

Valerius ſubvenit.

Uſius hoſtes adoritur,

& ſuperat.

Turcæ caſtra deſerunt.

Suleimannus invadit populos circa Butuã.

Succurrit Aloyſius Cittadella.

1685. turum ſe videbat flumen in poteſtate, quod multum intererat ad alia conanda. Dum neceſſaria inſtruit, miſcere procul aliquid viſum. Ire juſſus cum duobus millibus Illyriorum Franciſcus Poſſidaria ad terras Turcarum circa Neſtum flumen incurſandas: ubi, quod nemo occurrebat vindex, penitus illatus in fines, tractum haud modicum populationibus effuſis peragravit. Ipſe interea in Phariam inſulam contractis copiis terreſtribus ductu Principis Alexandri Farneſii, qui clarus armorum fama militiam tum Venetam ſequebatur; profectus illinc triremibus, Naronæ oſtium nocte occultus ſubit. Habebat in animo, periculo minimo ſuorum arce potiri. Quamobrem Illyrium adhibet quendam jam pridem notum Norini præfecto, ut qui inter famulos ejus fuiſſet. Hic per ſpeciem munuſcula quædam ferendi, ad portam fidenter acceſſit. Et, ut in nullo fraudis metu, fores cœperant recludi. Repente præfectus ſuſpicatus dolum ſubeſſe, claudi denuo juſſerat. Verum, dum obſtat interceptum intrantis Illyrii brachium: coorti armati ad quadraginta, qui ſubſecuti in proximo delituerant, brachio abſciſſo, in fores connituntur; impulſiſque, conferti irrumpunt. Ex compoſito adſuere mox alii; ſtatimque Turcas concidunt ad unum. Ut auditum eſt teneri arcem, miſſus qui tueretur cum manipulis aliquot Grimaldus legatus. Eodem paulo poſt Valerius venit: qui, perſpecta regione, qualis in circuitu eſſet, optimum cenſuit arcem in inſula condere, quam duobus infra Norinum millibus paſſuum flumen efficit. Cauſa multiplex adhortabatur. Nam & validum munimentum fore putabat oræ maritimæ cis Naronam; & opportunitas fluminis adimebatur hoſtibus mediterranea colentibus; & ſedem habiturus ipſe erat, ſeu Circlutum dein oppugnare, ſeu transferre bellum in loca, quæ maritima magis ſunt ultra Naronam, vellet. Angulo igitur extremo, qui fere in ſeptentriones vergit, divortio in ipſo aquarum, arcem ædificat; atque Opus appellat ab nomine inſu-

Excurſio Illyriorum in terras ad Neſtum fl.

Valerius claſſe Naronā ſubit.

Fraude potitur Norino.

Arcem in inſula Opus condit.

inſulæ: interim aptum bello tempus circumagitur. Qua 1685. æſtate hæc ab Venetis agebantur; jam velut deſpondente fortuna Cæſari imperium Pannoniæ omnis, qua expugnatis oppidis, qua exercitibus hoſtium victis, ſuperior paſſim Chriſtiana res fuit. Tum maxime intentus ille in apparatum belli, non ſuppleverat modo copias, ſed auxerat etiam, undique ab Civitatibus & Principibus Germaniæ auxiliis accitis; ut exitu veris ſupra quinquaginta millia lectorum militum ſub ſignis eſſent. Vertebatur Viennæ, utrum univerſis viribus Budam, vel Neoſelium aggrederentur; an, quod cupiebat Dux Bavariæ, is & Lotharingius partirentur inter ſe exercitum, diviſiſque regionibus adminiſtrarent bellum. Placuit Cæſari copias non dividi. Quando autem labor proponebatur ingens, ſi Budam iterum tentarent, quo peditum equitumque robur contraxiſſe hoſtem conſtabat: inclinavit ſententia, oppugnari Neoſelium; unde ab Turcis, ac reliquiis rebellantium Pannoniorum incurſiones in Auſtriam Moraviamque fiebant. Æquo animo tulit Bavarus, conciliante benevolentiam affinitate: nuper enim filiam ei nuptum dederat Cæſar, quam ſtirpem unicam ſuſceperat ex Margarita Maria, ſorore Caroli Hiſpaniæ regis; ea lege tamen ut illa jus abdicaret ſucceſſionis in regnum Hiſpaniæ, ne, ſi Carolus ſine liberis deceſſiſſet, alii ab Auſtria gente hæredes eſſent. Ergo colligitur ab Lotharingio exercitus ad Strigonium; quo multitudo confluxerat voluntariorum: Galli præſertim erant, interque hos fratres duo Principes Contiaci, Princeps Rupis ad Yonem, itidem Principes Commercius, & Turennius. Tum tribuno Heiſlero cum parte equitatus ire juſſo ad Neoſelium obſidendum; interim ipſe occupare Novigradum oppidum ſtatuit, unde potiſſimum ſubmitti ab hoſte ſubſidia poterant. Profectus eo tribus millibus equitum, poſtquam præter opinionem pararant intus omnia Turcæ ad defenſionem; ne ſe impediret oppugnatione difficili, Stri-

Res ſecundæ Cæſaris in Pannonia.

Placet tentari Neoſelium.

go-

1685. gonium redit: inde vero ductis Neoſelium copiis, corona cingit urbem, & duabus ſimul partibus opera admovet machinaſque. Atque brevi nonnihil muri decuſſum utrinque tormentis eſt, promotique aggeres uſque ad labrum foſſæ: nec unquam ad prohibendum erumpebant obſeſſi, quin magna cum cæde in oppidum compellerentur. Ingens deinde circa foſſam objectus labor. Nam ex Nitria amne, prope ipſis affluente mœnibus, derivatæ aquæ deductæque in foſſam, undique urbem claudebant; ea altitudine, ut ſuccedendi porro ad muros ratio vix iniretur. Opere dierum multorum exceptam novo alveo partem aquarum avertit Lotharingius: tum aggeres vineæque agi cœptæ. Et proxime aberant jam mœnibus; cum ſubito vim ignium effundentes incluſi, vineas incendio abſumpſerunt. Dum eæ reficiuntur; fama primum accipiunt, non procul eſſe exercitum Turcarum, mox Strigonium oppugnari. Sexaginta millia erant armatorum: quibus Viſſirius, ne ſe objiceret periculo, præfecerat ducem bello expertum Heibrahimum; juſſum ante omnia obſtare ne hoſtes Neoſelio potirentur. Hic recta ire ad obſidionem ſolvendam non auſus, partem miſerat copiarum ad tentandum Viccegradum; ipſe Strigonium circumſederat, diſcrimine rerum ſuarum Germanos ab Neoſelio abſtracturus. Ac pauci, qui cuſtodiebant Viccegradum, cum ſemel atque iterum repuliſſent invadentem hoſtem; poſtremo munitionibus, quæ paſſim ruebant, diffiſi, dediderunt urbem. Strigonium vero uſque defenſum, dum Lotharingius ferret auxilium. Æneam Capraram, equitatus præfectum, cum undecim millibus peditum & quinque millibus equitum præficit oppugnationi: ipſe, adjuncto Duce Bavariæ, qui per dies eos venerat ad exercitum, quinque & triginta millibus militum movens, Iſtrum ponte tranſmittit ad Comariam; inde, coacto cum cura agmine, ad hoſtem ducit. In tempore nunciatum id Heibrahimo, ut oppugnatione prius abſiſteret, effecit.

Urbs oppugnatur.

Obſeſſi vineas incendunt.

Turcæ potiuntur Viccegrado.

Strigonium oppugnant.

Im-

Impedimentis ac parte magna tormentorum Budam remiſſis, procedit obviam Germanis, ut fidentis præberet ſpeciem. Cæterum huc intentus, necubi illis æquo ſe committeret campo; nactus locum natura tutum, quatuor ab Strigonio millibus, ibi conſedit. Saltus utrinque tegebant latera; tutabatur palus a fronte. Contra Lotharingius, quamvis liberato Strigonio, cui metuerat, & numero copiarum impar; tamen virtute fretus militum, id modo quærebat, ut prœlio congrederetur. Ergo acie inſtructa, tres ipſos dies ante vallum ſtetit. Poſteaquam nemo egrediebatur, nec parvi periculi futura erat res, ſi paludem intraret: arte conatur elicere. Timorem ſimulans, noctis ſilentio abit inde, juſſo agmine lente incedere, cunctis velut adverſus præſentem hoſtem cautis proviſiſque; ut, ſi is inſtaret, paratum exercitum haberet ad dimicandum. Evenit quod ſperarat. Ratus Turca metu ceſſiſſe Germanum; cum præterea afferretur pro comperto, millia haud plus viginti militum eſſe: ſpei plenus, eductis ſtatim copiis, intendit iter ad ſequendum. Sub ortum ſolis ſimul ad eos pervenit, ſimul ex paluſtribus locis orta nebula campos circa intexuit; ut quantum hoſtium eſſet, perſpicere non poſſet. Jam orbem volverant Germani. Ipſe dum aciem inſtruit, caleſcente ſole diſcuſſa nebula aperuit diem. Nihil tunc cunctatus dextrum cornu Germanorum adoritur. Præerat Lotharingius; quo acriter repugnante, vim in ſiniſtrum vertit. Ubi hac quoque parte ſtrenue reſiſtebat Dux Bavariæ; cornu dextrum rurſus invadit: fruſtraque aliquandiu connixus a fronte, uno tempore alam equitum ab latere jubet incurrere. Tumultum tamen majorem, quam certamen fecit. Etenim pedem referentes paulum Germani, dum primus exſæviret impetus; mox, adjuvantibus ab cornu altero cohortibus duodecim, ultro invecti, velut cuneo hoſtem perculerunt. Ea re tamen interpellata magis, quam profligata pugna eſt. Nam Pannonios equites, qui, ut præceperat Lotharingius,

1685.

Relicta oppugnatione, Germanis occurrunt.

Muniunt ſe ſe.

Lotharingius ad prœlium eos prolicit.

Pugna conſeritur.

1685. gius, prælati, cedentes premebant, non inde procul ſubſiſtentes ex nec opinato Turcæ agminis ultimi retuderunt, fugaruntque; ut ſumpta fiducia Heibrahimus denuo univerſos, integris enim fere ordinibus ceſſerant, in hoſtem redigeret prœliumque inſtauraret. Par priori forma fuit pugnæ: quanquam vehementius quam ante dimicatum. Denique ſuperior haud ambigue Germanus turbatos Turcas in fugam conjicit. Repetentibus eadem caſtra palus ſuperanda erat; quæ curſum impediens, multos inſequenti equitum alæ præbuit ad cædem. Amplius duo millia interfecti. Lotharingius, ne territis tempus daret ad recipiendum animum, e veſtigio ad caſtra ipſa per paludem ducit. Ibi vero conatus nequicquam Heibrahimus ordines reſtituere. Nemo præ formidine exaudire imperia aut meminiſſe certaminis: itaque extemplo ſe conferunt in fugam omnes; evadenteſque qua quemque tulit pavor, niſi quos cædes oppreſſit, exuuntur caſtris. Pars circumjectos itineri ſaltus ſubivere: cæteri tumultuario agmine Budam petunt; eodemque profugit Heibrahimus, vix ferens laborem viæ ob acceptum in prœlio vulnus. Quadraginta militaria ſigna ab Germanis capta, plurimumque militarium rerum & tormentorum. Cumulavit victoriam expugnatum diebus poſt paucis Neoſelium. Injunctis jam oppido aggeribus, ac dejecti muri ſatis patente intervallo, vi atque armis Caprara adortus cepit: nec quiſquam ſuperfuit propugnantium, niſi quos feſſus cædendo victor reliquit. Conſultanti Lotharingio quid inde ſuſciperet, ſimul allatum eſt Viccegrado & Novigrado deduxiſſe hoſtem præſidia, atque urbem utramque evertiſſe; ſimul nuncius ab Heibrahimo ſupervenit, *habere eum ab rege ſuo mandata de pace: ſcire ſe ſe, modo aliquem Budam mitteret, quicum diſceptaret de condicionibus, haud difficile conventurum.* Breviter cum eſſet reſponſum redditum: *ab Cæſare petendam pacem: ſibi ultionem unam illati adverſus fidem & jusjurandum belli mandatam*: redit paucos poſt dies nuncius idem, per

Vincunt Germani.

& caſtra capiunt.

Neoſelium expugnatur.

Turca Viccegradũ & Novigradũ diruit:

ſemel & iterum movet mentionem pacis.

Reſponſum Lotharingii:

Digitized by Google

1685.

per ſpeciem redimendi captivos: motaque mentione pacis, rurſus pertentat animum. Viſum Lotharingio fiducia oſtentanda terrorem hoſti augere, cujus indicia minime dubia hæc eſſent. Quocirca renunciare jubet Heibrahimo: *nihil eum agere, qui in ipſo apparatu rerum gerendarum de pace cogitaret: certum firmumque eſſe Cæſari bello haud abſiſtere, cujus initia ſecundum jus faſque Superi dediſſent; nec, ſi velit, licere per fœdus ictum cum Venetis & Polonis, quod ille quovis tempore ſanctum atque inviolatum habiturus foret.* Invitabat rerum ſeries ad Budam oppugnandam. At res erat operis multo majoris, quam ut crederet, ante hyemem expugnari urbem poſſe; præſertim quod Heibrahimum, proxime muros poſitis caſtris, ex tuto defenſurum providebat. Ergo ea oppugnatione in ſequentem annum dilata; placuit in præſens exercitum tribuere in partes, indeque vires augere legatorum Scultzii, & Leslæi, quorum alter in Inferiore, alter in Superiore Pannonia cum modica armatorum manu, cædendis præſidiis hoſtium, caſtelliſque atque arcibus aliquot occupandis, hoc & priore anno egregiam navarant operam: ut majoribus per occaſionem aggrediendis pares eſſent. Perutile fuit conſilium. Eperias tunc obſidebat Scultzius. Ac ſtatim ut audivere, Capraram cum decem millibus militum eo contendere, per pactionem tradiderunt Turcæ. Tum Caprara, dextra Kaloum, inde Tokæum flectit: quibus ſine certamine acceptis in deditionem; Caſſoviam accedens, fruſtra conatus eſt leni alloquio perlicere oppidanos ad paciſcendum. Cum viribus ſuis fidebant, tum Tekelio, quem copias undique circum comparantem non dubitabant mox ſubventurum. Haud parvi laboris oppugnationem inchoarat Caprara: verum res accidit nec opinato, quæ illico obſeſſorum animos frangeret. Varadinum adveniens Tekelius ad auxilia petenda, hilare excipitur a præfecto; ſed repente inter epulas ipſas vinctus datur in cuſtodiam, inde Hadrianopolin mittitur. Id ut intellexere Caſſovienſes; de-

qui exercitũ dividit.

Eperiæ deduntur Scultzio.

Caprara occupat Kaloum, & Tokaum.

Caſſoviam circumſidet.

Tekelius Varadini comprehenditur.

1685.

Turcæ dedunt Caſſoviam: inde Patak, Regotz, & Ungariam.

ſperata ope, cujus maxime fiducia reſiſtebant, ad deditionem inclinarunt. Venia igitur impetrata, traditis armis, accipiunt in urbem Germanos: qui, idoneo præſidio impoſito, ſtatim Patak, & Regotz, urbium nomina ſunt, mox arces plures circa Tibiſcum flumen, Ungariam poſtremo, oppidum ad radices Carpathi montis, vix minitati oppugnationem, in poteſtatem redigunt.

Proſpere rem gerunt Mercyus & Heislerus.

Per hoſce dies æque feliciter geſta res ab legatis duobus, Mercyo & Heislero; queis cohortes aliquot attribuerat Lotharingius, ut, ne ab Agrienſi Baſſa ſuccurreretur Caſſovienſibus, prohiberent. Ubi nanque urbem in ditionem veniſſe eſt nunciatum; tempore uſi, Onotho, arcibuſque aliis non procul Tibiſco flumine potiti ſunt: continuo ad Zolnochium procedunt, qua Zagyva amnis in Tibiſcum cadit. Obſtitit terror idem, qui alibi, ne Turcæ ſuſtinerent oppugnationem. Deſerta urbe, Zagyvam ponte tranſmittunt; deinde interſcindunt ab tergo pontem, ut ſine inſectatione hoſtis reciperent ſe in tutum. At equites Germani tranantes protinus, neque illinc longe adepti fugientes, prope omnes aut ceperunt aut occiderunt. Nihilo interea ſegnius in Inferiore Pannonia agebat legatus Leslæus.

Leslæus Murſam ducit.

Qua fere Dravus fluvius Iſtro incidit, Murſa urbs valida muris ſita eſt, Eſſek vocabulo gentis. Pons inde novem ferme millium paſſuum longitudine, ab Suleimanno rege Turcarum impoſitus Dravo paludique circa inviæ, tranſitum in interiora Pannoniæ præbet. Adempturus hoſtibus Leslæus opportunitatem pontis ejus, ſeptem circiter millia armatorum, quam citatiſſimo poterat agmine, Murſam ducit. Prævenire nihilominus famam adventus ſui nequiit. Jam Baſſianæ Baſſa coactum raptim militem inſtruxerat

Pugnat cũ Turcis.

pro muris. Et neutro detrectante certamen, e veſtigio conſerunt manus. Acrius tamen primo concurſu, quam perſeverantius pugnaverunt Turcæ. Conſtantior Germanus, cum virium nihil animique remitteret, primam aciem impulit; inſtandoque perculſis in fugam avertit

omnes.

1685.

omnes. Tunc uno prope impetu irrumpit in urbem: qua direpta; quia facile expugnare nequibat arcem valide munitam, injectis ignibus, partem magnam pontis incendio abſumit.

Victor penetrat in urbem, & partem pontis incendit.

Eodem tempore & Herbeſteinius, Caroloſtadii præfectus, in Croatiam Turcicam inductis copiis, ferro atque igni perpopulatus tecta agroſque eſt; arces etiam aliquot occupavit evertitque:

Croatia Turcica vaſtatur:

& præfectus alter Erdodus, poſtquam regione alia, vaſtando urendoque, nihil præter nudum ſolum hoſti reliquerat; trajecto Vana amne, in Boſnam invaſit, atque arcem ſatis firmam, Dublitium eſt nomen, vi cepit & concremavit:

Dublitium capitur.

poſtea cum Baſſa, qui manu haud parva armatorum ad populationes arcendas venerat, prœlio commiſſo; minime dubie ſuperior fuit, pluribus eorum in fuga, quam in pugna interfectis. Ita proſpere ubique cedentibus rebus, redierunt Germani in hyberna. Longe diſpari fortuna bellatum ab Polonis: neque enim actum quicquam, quod magnopere attineat memorare; niſi quod plus aliquanto acceperunt damni, quam intulerunt.

Polonorum res.

Rex cupidum ſe Cæſari ſignificarat conjungendi cum eo vires: *in animo eſſe, per Valachiam & Moldaviam ad Iſtrum contendere, ubi in unum conferrentur exercitus: fore profecto, ut Abaffium Tranſylvaniæ Principem, Valachoſque & Moldavos traherent ad partes ſuas: quidquid tunc tentarent, nuſquam copiis tantis futuros Turcas pares.*

Conſilium regis irritum.

Perſuaderi Cæſari nequiit. Præterquamquod immiſceri nolebat Polonos iis quæ ad Tranſylvaniam pertinerent, quam olim Pannoniæ contributam, ſibi uni adjudicabat: minime neſcius quoque quam eſſent inter ſe parum concordes Poloni, quamque lenti in conſiliis ſuis; verebatur ne, ſi eos expectaret, tempus elaberetur bello opportunum. Omnino ita accidit. Magno primum certamine actum eſt, in Poloniam ne, an in Lithuaniam indiceretur conventus gentis.

Diſſentiunt inter ſe Poloni.

Deinde cum vix ægreque tenuiſſet rex, ut concederent Lithuani: habitum Varſoviæ concilium diſcordia ſumma ſententiarum; ut neque conficiendæ

1685. pecuniæ, neque ſupplendi exercitus expediretur via. Ac ceſſatum etiam prorſus foret, niſi invitos ad arma compuliſſent Tartari; qui infeſto agmine intrantes fines, ſæviendo incendiis, abigendoque hominum prædas & pecudum, ad Leopolin uſque excurrerunt. Eæ vires non erant, quibus rex aliquid ſe dignum incipere rei poſſet. Hoc facilius paſſus eſt, bellum per legatos Potoſchum & Giabloviſchum adminiſtrari: qui exitu ferme æſtatis ad Tyram fluvium procedentes, ponte injecto, tranſductoque exercitu, Moldaviam ingreſſi ſunt. Sed ibi primo Potoſchus morbo eſt implicitus. Poſtea multitudo Turcarum & Tartarorum, ne porro ire pergerent, impediere. Interim, ut in aſperis ac fere ſterilibus locis, premente inopia commeatuum pabulique, brevi eo eſt deventum, ut valde pœniteret incœpti. Nec tutus receptus fuit in regnum; demorantibus iter Turcis carpentibuſque agmen poſtremum, ut partem etiam adimerent tormentorum: quo tempore digreſſi Tartari in Volhiniam, tractum ingentem omni clade evaſtarunt. Irriti conatus Polonorum minus ſenſit lætitiam Turcarum rex, quem perculiſſent jacturæ graves in Pannonia, & ſedes in Peloponneſo capta ab Venetis. Paſſim voces exaudiebantur incuſantium gerendi belli rationem, transferentiumque cauſas calamitatum in ſuſceptum contra jus faſque. Eo timens ſibimet, ad minuendam invidiam amovet dignitate Viſſirium, amandatque in inſulam Rhodum; ſurrogato Suleimanno, cujus præcipue ductu reſtitum hoc anno Polonis fuerat. Acer homo & militaris, ſimul vulgavit iturum ſe ad exercitum pene erumpentem tumultum compreſſit, in ſpem rerum meliorum erectis animis. Dimiſſæ illico literæ circa præfectos Europæ atque Aſiæ, ut quamplurimum quiſque poſſet militum ſcriberent: edictum ſimul propoſitum, quod rebus fere deſperatis ſolet, Neifaran lingua ſua appellant, ut quicunque Mahumeticam religionem ſalvam vellent, nomen militiæ darent. Pecunia requi-

Tartari fines incurſant.

Exercitus Polonorum Tyrã tranſmittit:

Moldaviã intrat.

Sed mox cogitur abire.

Turcæ vires reparant.

Digitized by Google

1685.

quirebatur in ſumptum, cui haudquaquam ſufficerent annui reditus. Quamobrem novus Viſſirius redigit primo in publicum quidquid poſſederat Heibrahimus, jam Rhodi interemptus juſſu ipſius; qui ſciret, quamvis loco depulſum & ejectum, nihilominus ab rege diligi, metueretque ne quando, variante fortuna vices, ſibi officeret: deinde regi perſuadet, ut partem argenti facti, quod ad magnificentiam luxumque habebat repoſitum, traderet in officinam, unde nummi conflarentur: tum ſummam haudquaquam modicam ab iis exigit, quos locupletes ſupra alios ferret fama. Uno tempore tenuit, ut Tekelius reſtitueretur in libertatem; quo duce Pannoniis adempto, oppida multa arceſque ad Germanos deſciviſſent. Nec modo honorifice is habitus adjutuſque pecunia eſt; ſed etiam, quo evidentior eſſet favor regis, Heibrahimum, præfectum copiarum in Pannonia, placuit interfici, tanquam nefas auſum, quod hominem egregie deditum Turcis, utilemque ad omnia, ambiguæ ſuſpectum fidei feciſſet: atque in eo Viſſirius privato quoque paruit odio ſuo in Heibrahimum. Curæ multum præbebat navalis res, cum quia tantum non ſuppeditabat navium, ut animus eſſet ad decertandum prœlio cum Venetis; tum quod, his Ægæum mare obtinentibus, anguſte admodum ex Aſia atque Ægypto Conſtantinopolin ſupportabatur frumentum: ut propterea caritas annonæ ingraveſceret in dies. Et prædamnata ſpe parandæ claſſis, quam hoſtibus objiceret, viſum eſt præfectum ejus Peloponneſo in præſens non abſcedere; ibique dare operam, ut militem colligeret unde unde, ad Coronem arceſque Tzaconiæ recuperandas. Levarunt autem annonam Galli Britannique, ab aviditate privati compendii nihil veriti locare operam Turcis, in id conductam mercede magna, ut onerarias commeatum vehentes præſidio navium ſuarum uſque in Helleſpontum atque in Peloponneſum tutarentur. Quod ubi auditum Venetiis, illico apud reges Galliæ & Britanniæ per legatos ſuos conque-

Pecunias undique cōſ.iunt.

Tekelius in libertatem reſtituitur.

De re navali ſoliciti Turcæ.

Gallorum & Britannorum naves eos juvant.

Querela Venetorum vana.

1685. conqueſtus injuriam eſt Senatus. Sed præter expectationem neutrobique quidquam profecit; una licet connitentibus legatis etiam Pontificis. Neque enim ultra adduci voluit Galliæ rex, quam ut promitteret, non adjuturos ſuos Turcam ad ea locorum, quæ Venetus armis tentaret. Jacobus autem rex Britanniæ cum alia cauſando, tum haud pronum ſibi eſſe frænare avaritiam ardentem ſuorum, ſpem fruſtratus omnem eſt. Atqui ab hoc res credebatur eo facilius impetrabilis, quod, demortuo paulo ante Carolo fratre, ſucceſſor ipſe, palam profeſſus ſe erat Romanæ religioni addictum; etiam legatum Romam miſerat ad Pontificem, miſſumque viciſſim a Pontifice acceperat: Veneti quoque honoris ergo legatos duos extra ordinem jam deſtinarant in Britanniam, Hieronymum Zenum & Aſcanium Juſtinianum equites, qui regnum gratularentur. Mature prorſus hoc anno Venetiis properatum ſupplementum cum pecunia & commeatu in Græciam. Hyemis initio ipſo proficiſcitur Joſephus Maurocenus ſenator navibus multis variæ formæ, quibus hæc tranſveherentur: quam tamen curam feſtinandi prope eluſit fortuna. Superarat vix inſulas Illyrici, cum coorta ſubito tempeſtas naves disjecit. Præerat militibus, qui navem cuſtodiebant Mauroceni, Andreas Vilnos Bernas. Is ſejunctam ab aliis navem habere ſe arbitratus in poteſtate, in eaque pecuniam publicam, centies mille nummos aureos; ſceleratum incœptat facinus. Nocte concubia manu militum ſuorum ſtipatus venit ad conclave Mauroceni, effractiſque foribus, in eum irruit occiſurus. Dum famuli quatuor, qui protegebant, vulneribus conficiuntur: elapſus Maurocenus portula alia, quamvis ætate & corpore prægravante, apprehendendo adminicula, evaſit in partem ſuperiorem navis. Ibi clamore nautas vocat in auxilium; qui jam excitati tumultu, juſſu Andreæ Endrichii Batavi navarchi arripuerant arma: pars quoque malos conſcenderant. Conjici illinc igniferæ glandes in mili-

Jacobus rex Britanniæ novus.

Legatio ad eum Venetorum.

Joſephus Maurocenus periculum ingens evadit.

Andreas Vilnos eum adoritur.

milites cœperunt; factumque eſt ut ſtatim Vilnos ipſe, regente fortuna ictum, diſcerperetur. Duce ſublato, concidere milites animis: quare circa proram congregati paulum cum reſtitiſſent, dediderunt ſe. Eo in certamine pugnando interfectus eſt voluntarius miles patricius, Hieronymus Bereganus, affinis Mauroceni. Haud ita multo poſt hic, collectis navibus, quarum nonnullas longe procul venti abſtulerant, Corcyram tenuit. Servatæ navis & pecuniæ laus fuit penes Endrichium nautaſque; qui deinde retulere ab Senatu præmia, quiſque pro merito. Exitu hyemis milites alii Venetiis advenere, in terris Venetæ ditionis ſcripti. Acceſſerant duo millia peditum equites octingenti de iis, quos Hiſpaniæ rex in Inſubribus & Neapolitano regno exauctorarat: mille itidem & ſexcentos dederat Dux Brunſvicenſis; cujus filio ob fortem operam imperium militare in exercitu eſſe patres voluerunt. Qui autem primo loco terreſtres copias duceret, accitus ex Svecia fuerat, annuente rege, Otho Gulielmus Conigſmarchius, altus atque educatus inter arma, multiſque inſignibus nobilitatus pugnis; cui ſtipendium annuum procederet, argenteorum nummum millia octodecim. In hæc, conducendaſque onerarias naves, & cæterum apparatum belli, quia ſatis pecuniæ in publico non erat: fecerant ſ.c. ut reditus quidam publici, muniaque complura, obiri ſolita a miniſtris magiſtratuum, divenderentur: item ut a privatis ita acciperentur pecuniæ, ut quinæ centeſimæ annuæ iis penderentur ex ærario. Datum eodem tempore negotium Joanni Lando, peteret a Pontifice poteſtatem exigendi ab Clericis decumas. Jure hoc, quod per plura ſæcula inveteraverat, Veneti utebantur. Pontifices octavo quoque anno ratum faciebant; arbitrati juvandos extraordinariis auxiliis, qui claſſe ſua protegerent Chriſtianas gentes, Italiam maxime, adverſus pene quotidiana pericula ab exſcenſionibus barbarorum. Quanquam bellum urgebat, ipſo hortante Innocentio

Margin notes: 1685. *Vilnos interficitur.* 1686. *Otho Gulielmus Conigſmarchius præfectus copiarum.* *Veneti pecunias colligunt.* *Decumas Clericorum a Pontifice non impetrant.*

1686. centio ſuſceptum; tamen præter opinionem tunc negavit. Levia quædam atque hinc longinqua objiciebat: *violare Venetos Ferrarienſis agri fines; & mari Adriatico intemperantius dominari, ut propterea minus libera ad portus ſuos navigatio eſſet.* Facile diluebat Landus: *alio pertinere tum veterem controverſiam finium Ferrarienſis agri, ob quam nihil recens interveniſſet quod expoſtulatione foret dignum; & cui tollendæ nihil magis obſtaret, quam certamina & cupiditas privatorum, ut fere conſueſſet inter finitimos populos: tum diſceptationem de jure maris; cujus poſſeſſionem partam olim, traditamque a majoribus haberent Veneti, eo deinceps retentam modo & conſervatam, ut neque Romanis Pontificibus neque ulli Principum aliorum juſta ad eam diem querendi cauſa fuiſſet: hoc vero præmium operæ ferre eos, qui labore ſuo atque impenſa oram maritimam Italiæ ab injuriis Turcarum & prædonum uſque defenderent.* Poſtquam perſtabat in ſententia Innocentius; Senatui autem æquum videbatur, ubi ratio ageretur communis ſalutis, onera eſſe communia: decrevit inde, ut Clerici darent mutui nomine nummum aureorum millia ducenta, intra quadriennium, certis penſionibus. Libenter illi contulerunt; nec Pontifex eſt adverſatus: quin etiam viſus probare. Nam per Abbatem Laurentium Caſonum a ſecretis arcanarum literarum petiit ab Lando eodem, impetraret ab Senatu, ut ſacerdotia quatuor Patavinæ Eccleſiæ, quorum fructus perciperet Bibliotheca Vaticana, ne penderent: in quo haud gravate patres aſſenſi ſunt. Inter hæc ineunte vere, a præfecto Turcicæ claſſis non parabatur, ſed gerebatur jam in Peloponneſo bellum. Decem millibus armatorum ad Naupliam contractis, magnam in ſpem venerat recipiendi Tzaconiæ arces, ſi ex improviſo invaderet regionem. Et maximis itineribus cum iſſet; non nuncios ſolum, verum etiam famam adventus ſui prægreſſus, tantum fecit terroris, ut illico Veneti milites ac Leuctrii, qui ſaltus, qua iter eſt Chielepham, tuebantur, deſerta cuſtodia, fugerent. Tum tribus cohortibus miſſis

Querela Pontificis.

Obviam it Landus.

Mutui nomine pecuniæ accipiuntur a Clericis: nec adverſatur Pontifex.

Turcæ Tzaconiam invant.

miſſis ad perpopulandas Leuctriorum terras; copiis cæte- 1686.
ris Chielepham petit. Aſt quod conſilium felix celerita- *Chielepham oppugnant.*
te fuerat, vanum reddidit ipſe, ad oppugnandi artes ru-
dis. Ab parte una tormentis operibuſque aggreſſus ar-
cem, liberum mare parte altera reliquit. Ea confeſtim
Laurentius Venerius, qui initurus præfecturam navium *Subvenit Venerius,*
graviorum in Molini locum nondum diſceſſerat, mili-
tum infert aliquantum inſtrumentique bellici. Meſſe-
niacum ſinum ſubit paulo poſt Hieronymus Cornelius *& Cornelius:*
præfectus inſularum, vectus navibus Petri Duodi. Cre-
vit propterea fiducia Marino Gritto, qui arci tunc præ-
ſidebat: jamque ea vi repugnabatur e muris, ut nihil
omnino Turcis eveniret; ſpatium inde etiam eſſet Mau- *inde Maurocenus.*
roceno ad auxiliandum. Triremium claſſe profectus ex-
templo Corcyra, decimo poſt die, quam cœperat arx
oppugnari, Vitylum portum intravit. Procul illinc, ne
ab hoſtibus conſpiceretur, milite expoſito, ac poſt col-
les circummiſſis Leuctriis mille & octingentis qui an-
guſtias viarum ultra caſtra eorum inſiderent; Storſium
ordinum ductorem cum ſeptem millibus armatorum de-
ſtinat ad vallum adoriendum. Lentius aliquanto curata
res eſt; ut, antequam expedirentur ad certamen, oppri-
meret nox. Luce incipiente pugnaturi ſuccedebant: ſed *Turcæ caſtra deſerunt.*
vacua caſtra Turcarum jam erant. Non auſi expectare
impetum inter tenebras tacito agmine ceſſerant inde: quos
tamen adepti poſtmodum Leuctrii turbaverunt, diffu-
gienteſque notis locis diu inſecuti multos occidere. Ca-
pti vivi non pauci: ſex tormenta, armaque alia, ac
pars impedimentorum in poteſtatem venit. Liberata ar-
ce pacataque regione; Leucadiam repetit Maurocenus,
quo navalium terreſtriumque copiarum indixerat con-
ventum. Naves primo plures Venetiis militem attule- *Colligitur claſſis ad Leucadiam:*
runt: mox adfuere Melitenſes Romanique ſocii eodem
quo prioribus annis numero triremium ac militum. De
ſumma gerendi belli conſultare tunc cum ducibus; quan- *Conſultatio de continuando bel.*
do fecerat de integro facultatem Senatus, cuncta dein-

1686. ceps ageret adminiſtraretque, ut occaſio poſtularet. Con-
lo in Peloponneſo. cordi ſententia cenſere omnes, continuandum bellum in Peloponneſo. *Nam & id poſcere rationem ipſam atque ordinem rerum, quas ibi feliciter inchoaſſent: & quidquid appeterent extra Peloponneſum, periculum eſſe ne, verſis alio viribus, quæ ſuperiore anno ipſi ceperant, conatu modico repeterent Turcæ.* Id modo non ſatis liquebat, *Naupactum ne, Epidaurumve, an Methonem, aut Pylum primo aggredi præſtaret.* Viſus imperatori recte ſuadere Conigſmarchius, *ut Pylum prius oppugnarent, inde Methonem: ita enim ſpem incidi hoſtibus miſcendi quidquam in Meſſenia, & Corones, cui imminerent, recuperandæ.* Ergo ſexdecim celſioris formæ naves Laurentio Venerio, ac præfecto alteri Marco Piſano tradit, quibus onerarias hoſtium Ægæo mari interciperent; prohiberentque, ne qua ſubſidia comportarentur in arces maritimas Peloponneſi ab præfecto Turcicæ claſſis: quem Viſſirius aliud conſilium ſecutus, miſſo in Peloponneſum Iſmaele, ut terreſtrem exercitum duce-
Leucadia movent Veneti. ret, conſcendere nuper juſſerat roſtratas. Tum milite atque inſtrumento oppugnandi in onerarias impoſito, Leucadia ipſe cum cætera claſſe ſolvit. Præter Ætoliæ oram naviganti affertur, Turcas numero haud modico circa Pylum conveniſſe, paratos Venetum arcere acceſſu littorum. Itaque avertendi illinc cauſa ſubſiſtit non procul faucibus ſinus Corinthiaci, velut Naupactum oppugnaturus. Et aliquot ibi moratus dies, cum aliis atque aliis locis exſcenſu comminando, quam quæſierat
Ad Pylum exſcendunt. ſpeciem obtuliſſet; repente trajiciens Pylum, mille ferme ab mœnibus paſſus, nullo obvio armato, copias exponit. Dum ab Conigſmarchio miles inſtruitur, mittit qui Turcas perliciat ad arcem dedendam; denuncietque, ſi paulum modo reſtitiſſent, nullas deinde condiciones fore. Recens memoria cædis Coronæorum, ne præfectus dicta aſpernaretur, effecit. Noctem ſumpſit ad deliberandum cum ſuis. Ubi, ab metu ne vi expugnarentur, nemo erat quin voluntariam deditionem præopta-

optaret: poſtero die pactus, ut milites & incolæ ſalvi 1686. eſſent, utque navem daret Venetus, qua ſua ſecum ferentes tranſportarentur Alexandriam; arcem tradit cum armis & balliſtis æneis plus quinquaginta. Ita nullo certamine in ditionem ceſſit Pylus. Rupi inſidet undique abſciſſæ inter Coryphaſium promontorium & Methonem: portum habet parem claſſi vel maximæ; cujus faucibus Sphacteria inſula, duum ferme millium longitudine, ſic objicitur, ut aditum utrinque ab alto præbeat. Læva parte, quæ Pylo proxima, oſtium anguſtum eſt: idque ſaxis congeſtis obſtruxerant Turcæ. Late patet intrantibus dextra: indeque haud procul, littore interiore, condiderant oppidum Turcæ, ab veteris Pyli nomine Pylum Novam appellatum, cujus cuſtodibus invitis ſubire haud facile portum queas. Imperator, præpoſito arci, quam occuparat, Petro Griono cum idonea militum manu, nihil diſtulit Pylum Novam ducere. Ardui operis futura oppugnatio erat. Nam præterquam urbs ſatis valida muris arcem habet permunitam, qua in agros vergit; nudum quoque ſolum circa eſt, aut aſpreta ſtrata ſaxis, ut neque ligna ſuppeterent vallo cædendo, nec terra ducendæ foſſæ cæſpitique faciendo apta. Commeatus etiam nonniſi longo circuitu terra, nec mari ſine periculo ſupportari ad exercitum poterant. Situ regionis inſpecto, quando nihil reponebatur ſpei in operibus: placuit in tumulis, qui ex propinquo urbi imminent, conſtitui vim tormentorum, unde verberarentur muri. Tormenta dum convehuntur, conſilium ſuppeditavit imperatori redigendi portum in poteſtatem. Quia latendo Turcis nequibat, quod pernox eſſet luna; forti incœpto tentat aditum. Trierarchos deligit duos, Joannem Pizzamanum & Franciſcum Donatum; imperatque ut, quam proxime poſſent littora Sphacteriæ inſulæ, incitato remigio in portum triremes uterque ſuam impellerent. Ac, nequicquam e muris hoſte jaculante, cum ſuperaſſent fauces; ſumptis animis ad auden-

Turcæ arcem tradūt.

Pyli ſitus.

Pylus Nova.

Mauroce- nus oppidū adoritur.

Portum occupat.

1686. dum pariter, poſtero & inſequentibus diebus Benedictus Sanutus, Dominicus Orius, Octavianus Valerius, Aloyſius Foſcarus, & Bartholomæus Gradonicus, eadem uſi celeritate, triremibus ſuis portum tenuere. Invectæ poſtremo triremes quatuor inſularum, duce Jacobo Cornelio, incolumes omnes, extra Corcyræam, cui ferreus globus deterſit remorum partem. Eodem tempore per navalem turbam purgatur oſtium alterum, qua libere commearent navigia minora; ut deinde in caſtris cuncta, quæ uſui ſunt ad veſcendum, non neceſſitati modo, ſed copiæ quoque ſufficerent. Jamque feriebantur tormentis muri: ollæ ſimul incendiariæ prægrandes intro conjiciebantur arte Antonii Mutoni Veronenſis, conflandorum pyrobolorum bene periti, qui in exercitu regis Galliæ antea meruerat. Et paucos intra dies muri aliquid ſtratum eſt, ac pluribus intus locis incendium ortum, terrore magno militum atque oppidanorum; ut tumultum haud facile compreſſerit Seſſerus Baſſa, qui cum armatis præerat mille & quingentis. Inter eam trepidationem non omiſit Maurocenus tentare ſpem deditionis. Quando nullis condicionibus præbebat aures Baſſa, qui confideret Iſmaelem venturum propediem auxilio: acrius oppugnare intendit. Nondum tantum patebat ruina, ut exercitum admoveret ad invadendum; cum accipit, non procul abeſſe octo millia peditum, duo millia equitum Turcarum: loco eos plano conſediſſe: vallem haud profundam ante ſe habere, latam ſatis ad explicandam aciem. Nihil ibi dubitavit quin extemplo occurreretur: ac opportune tunc milites mille advexerant Hetruſcæ triremes quatuor. Alceniaco igitur cum parte copiarum oppugnationi præfecto; Conigſmarchius ſeptem fere millibus peditum, equitibus ſeptingentis, proficiſcitur. Præcedebant equites ductu Corbonii cum voluntariis: ſequebantur Illyriorum ad millia duo; inde Melitenſes, & Vicecomitis Mediolanenſis cohors: quatuor millia Germanorum duce Princi-

Occurrit Turcis auxilium laturis.

pe

pe Brunſvicenſi agmen claudebant. Præpropero ac fer- 1686.
vido ingenio Corbonius, celerrime acto equitatu, ut magno intervallo poſt ſe relinqueret agmen cæterum, ad vallem pervenit. Obviam ei fit pars equitatus Turcarum; quos parvo certamine impulit. Pertinaciter etiam inſtabat cedentibus; nequicquam revocante Conigſmarchio, qui vereretur ne progreſſum longius effuſi caſtris hoſtes obruerent, priuſquam reliquus exercitus eſſet ſubſidio. Nec vanus omnino timor fuit: nam equitatus alius ab Iſmaele emiſſus pene circumvenit. Non defecit animo tamen. Cuſtodiendorum ordinum Turennio demandata cura; ipſe cum globo voluntariorum, qua urgeri maxime cernebat ſuos, impigre ferens opem, in adventum Illyriorum prœlium extraxit. Tum connixus acrius, avertit barbaros, redigitque in caſtra. Conſtituit deinde ſigna modico ſpatio ab caſtris, tempus Conigſmarchio vires jungendi ut foret. Haud dum aderant Germani, falſo rumore demorante, multitudinem Turcarum parte alia accedere: cum Iſmael accenſus ira, quod contemni ſe videbat ab paucis, qui prope intra teli jactum auſi fuiſſent conſiſtere, ſigno pugnæ propoſito, educit copias univerſas; ac, dum pedes congreditur cum Illyriis, princeps ipſe cum equitibus in Corbonium impetum facit. Sed, quod in tanta imparitate virium ſperaſſet nemo, nam millia vix quatuor Venetorum cum decem minimum millibus Turcarum dimicabant; primus concurſus illis victoriam dedit. Plagam ſtatim Iſmael in humero vehementem acceperat: quem ut conſpexere ſui cadentem, auferrique ex prœlio ſemianimem, terror incuſſus eſt; ut, tumultu a pedite ad equitem dicto citius perlato, jam nutaret tota acies. Turbatos tunc validius Venetus premere: nec mora, perfringit ordines, omneſque in fugam compellit. Primo in caſtra confertim ruere Turcæ, velut eorum ſe munimento defenſuri. Ubi hærebat in terga victor; cæci pavore effunduntur caſtris, armaque fœde jactantes,

A Corbonio prælium cōmittitur.

Turcæ eum prope circumveniūt:

inde in caſtra compelluntur.

Egreſſi Turcæ pugnam inſtaurant:

Funduntur:

caſtra deſerunt.

per

1686. per vias inviaque diffugiunt. Prope incruenta Venetis fuit victoria. Turcarum occiſi ſupra ſexcentos: inferrique juſta clades potuit, ni Conigſmarchius, quod pars exercitus adhuc aberat, brevi deſtitiſſet ſequi. Caſtris captis, præda ibi opulenta parta. Cum impedimentis aliis, tum tabernaculis plus quingentis potiuntur: in his tabernaculum erat Baſſæ, rerum omnium copia refertum, inſigne ipſum forma, picturiſque, atque ornatu alio barbarico; ea autem magnitudine, ut circuitus paſ-

Oppidi deditio. ſuum trecentorum eſſet. Continuo venit ad finem oppugnatio, quinto decimo poſt die quam inchoata fuerat. Abjectis animis obſeſſi, non ultra diſtulerunt de deditione agere. Condiciones eædem, quæ de Pylo Veteri, compoſitæ: triduum ab imperatore datum, intra quod decederent. Interim obſides quinque accipit delectos arbitrio ſuo; tum claſſe reliqua ex alto portum ſubit: ubi nocte proxima trepidatum nonnihil eſt metu inſi-

Incendium in arce. diarum. Tormentarius pulvis, qui in arce aſſervabatur, turri concluſus, initio ſecundæ vigiliæ incenſus, horrendo cum fragore turrim disjecit; concuſſamque ſtravit murorum partem, quibus arx cingitur. Turcæ perierunt plus centum; in quibus Sefferus: lapides vero ea vi diſſiluere, ut in claſſem quoque inciderent, ſeptem Venetis militibus aut remigibus occiſis, vulneratis pluribus. Proditionem rati eſſe trierarchi, jam ſublatis anchoris, cuncta ad defenſionem parabant; cum adfuerunt principes duo civitatis affirmantes, caſu id factum: itaque ſuſpicionem deponerent, rogabant; haberentque ſe novos obſides, pignus fidei pignori additum. Ea re tumultus quievit. Cæterum, ſi oppidanis quibuſdam libet credere, opera Baſſæ ipſius excitatum eſt incendium, ne dedecori amiſſæ urbis ſuperſtes eſſet; ſimul ut milites ſuos ulciſceretur, qui approperare coegiſſent deditionem. Turcis, ut convenerat, cum fide dimiſſis, quatuor ferme erant millia: ingreſſus imperator, quinque & ſeptuaginta tormenta varii generis invenit, commeatuum quo-

que,

Digitized by Google

que, bellicarumque rerum aliarum non parum; ad hæc 1686. equos ducentos & quadraginta. Meſchitam, quæ ſtructura reliquis ac magnificentia præſtaret, Chriſtiana formula ſacratam, juſſit eſſe templum D. D. Viti & Modeſti Martyrum, quorum die ſolemni ceperat urbem: factaque ibi re divina, honorati pie Cœleſtes ſunt. Inde cum valido præſidio præpoſitis Petro Baſadonna & Stephano Lippomano, murorum autem reficiendorum Jacobo Cornelio delegata cura: maturavit ire ad Methonem oppugnandam. Ex compoſito Conigſmarchius terreſtres copias; claſſem triremium ac quinqueremium Maurocenus uno tempore illuc admoverunt. Nova Pylo decem circiter millium intervallo abeſt Methone in ora Meſſeniæ, qua ad Auſtrum vergit. Oppidum in peninſula ſitum, oblonga forma, partem maximam circumluitur mari. Duas arces habet; alteram, qua aditus eſt ab terra, ſeptam vallo ac duplici foſſa; alteram impoſitam parvæ inſulæ prominenti penitus in altum, quæ oppido ponte jungitur. Ibi portus eſt manufactus, capax olim octo triremium; nunc, oppleto fundo, vix fert parva navigia. Arci, quæ mediterranea ſpectat, adjacet vicus ædificiis frequens: ulteriora fere campi ſunt; ibidemque conſita omnia non ad fructum modo, ſed etiam ad voluptatem. Milites tuebantur mille & ducenti: oppidanorum amplius quatuor millia cenſebantur; in his ad nongentos, qui arma ferrent. Haud dubium fuit Mauroceno quin ab arce adoriretur verſa in continentem, qua parte una expugnari urbs poterat. Dum eriguntur machinæ; mittit caduceatorem qui ſuaderet Turcis, *ut honeſtis condicionibus facerent deditionem*: tum adjiceret minas, *ſi mallent imitari pertinaciam Coronaeorum, nihilo mitiores pœnas daturos*. Ferox reſponſum redditum: *haudquaquam terreri ſe ea denunciatione: reſtituros, dum mœnia, dum arma tutari poſſent: ubi ad extremum ventum foret, ſimul cum urbe potius conflagraturos, quam ut Veneto ſe ſe permitterent*. Ergo imperator, ſubire juſſis Illyriis, ad vi-

Veneti Methonem petunt.

Methones ſitus.

Maurocenus ab arce oppugnat.

Impavide reſiſtit præſidium.

1686. vicum occupandum; tormentis vineiſque arcem aggreditur. Dextra parte Veneti oppugnabant, læva ſocii. Paulo poſt ab latere quoque additus terror, in ſupercilio non procul diſtantis ſcopuli conſtitutis grandioribus balliſtis, ut incendiarias glandes jacularetur in oppidum. Adverſus hæc non minus, quam verbis reſponderant, egere ferociter obſeſſi; excepto quod portis erumpere auſi non ſunt, nihil inexpertum relinquentes, quo hoſtem & opera arcerent. Adjuvabat ratio ipſa oppugnationis. Cum enim pars modo una premeretur; illuc viribus converſis omnibus, ſine intermiſſione interdiu noctuque ſimul propius ſuccedentes glandium plumbearum igniumque velut nimbo effuſo male mulctabant; ſimul eos qui circa aggeres tormentorum, & in ſtationibus erant, inceſſentes ferreis pilis, ſaxiſque tormento emicantibus, nuſquam ſinebant tuto conſiſtere. Sed nihil propterea remittebat oppugnatio. Circumire quotidie opera hortando incitandoque imperator: itidem uſque adeſſe Conigſmarchius; qui quanquam primis ſtatim diebus ſuper caput ruentis equi effuſus, graviter afflictus pectore ad terram fuerat, dolore tamen non retardatus, militis juxta atque ducis partes ſtrenue obibat. Itaque ardore ſummo cuncta adminiſtrabantur: jamque & muri ciderat non parum; & fuſa late flamma per tecta urbis cladem ingentem indicabat; & promotis vineis atque aggeribus, prope ad foſſam erat perventum. Ergo viſum vocare iterum ad deditionem incluſos. Nec, ut ante, averſabantur; petentes inducias in diem poſterum, ut interim de ſtatu deliberarent rerum ſuarum. At induciis impetratis, ſpem deceperunt. Negantes enim poſſe ſe quidquam ſtatuere inconſulto duce terreſtrium copiarum, quindecim dierum ſpatium poſtulabant, quo mitterent aliquem ſuorum ad voluntatem illius explorandam. Eodem tempore Græcus ex urbe transfuga defert ad imperatorem, *fraude actum a Turcis, qui de deditione nequaquam audituri, niſi neceſſitate ultima cogente, inducias*

Cura imperatoris & Conigſmarchii.

Inducias petunt Turcæ.

cias noctis ejus petiviſſent ad id unum, ut bellicum pulverem 1686.
in regionem ab incendio tutam tranſferrent. Quando igitur u- *Acrius oppugnantur.*
nica in vi relinquebatur ſpes: atrocius, ac pluribus quam
antea locis oppugnari cœpti. Hinc ex colle, qui urbi im-
pendet, partem aliam quati placuit tormentis; hinc a
mari ſuccedere navim maximæ formæ, unde incendiariæ
ollæ in arcem etiam maritimam conjicerentur. Certamine
interea magno milites & foſſores pene ad mœnia perdu-
xerant opera; ut imperator, ubi paulum adhuc ſtraviſſet
muri, facturus impetum eſſet. Tum vero deſperantes
Turcæ repelli hoſtem, ſi irruptionem tentaret, poſſe, le-
gatos ultro mittunt de condicionibus dedendæ urbis. Ac
brevi convenit, *ut milites, quique oppidanorum abire vellent,* *Oppidum deditur.*
vita ſalva cum rebus ſuis dimitterentur; datis navibus, quæ eos
trajicerent in Africam: ne quem Chriſtianum captivum, aut Æ-
thiopem ſecum abducerent: ut intra triduum emigrarent oppido:
arcem interea maritimam traderent; obſides autem ſex legeret im-
perator arbitratu ſuo. Præſtituta die ad quatuor millia capi-
tum humanorum exceſſerunt. Venit urbs in poteſtatem,
quindecim dierum oppugnatione partem maximam de-
formata; ſed eadem egregie inſtructa bellico apparatu, in
eoque centum ferme tormentis majoribus. Ubi primum
explicatæ ſunt viæ, cumulatæ paſſim ſtrage ædificiorum:
Maurocenus templum mole auguſtum, ſorde Turcica li-
beratum, addicit vero Deo; grateſque pro re ſecunda agit.
Tum deſtinato Philippo Maria Paruta, magiſtratus ibi
ut eſſet: delecti triremium & quinqueremium præfecti, *Maurocenus reficit muros, & præſidium deſtinat.*
ut muros, qua patefecerant ruinæ, reſtituerent; refice-
rentque tecta commodo militum, qui octingenti in præ-
ſidio locarentur. Ducebat eos Ludovicus Gratianus pa-
ter meus. Hunc paucis poſt diebus nuncium victoriæ
Venetias cum miſiſſet imperator; operamque collaudaſſet
in literis ad Senatum, quam ea in obſidione & cæte-
ro bello navarat, commemorata etiam quam impende-
rat Cretico: patres, ornata verbis fide veteris militis, do-
nis inſuper virtutis cauſa donaverunt. Cum Methone

1686. *Arcadia capitur,* oppugnaretur, Arcadia, arx maritima Meſſeniæ ad Cypariſium ſinum, capitur ſine certamine. Dederat imperator biremes aliquot onuſtas milite centurioni Corboneſio, qui adoriretur. Ac opprimere is quidem, ut ſtatuerat, adventu repentino Turcas nequiit per tempeſtatem: verum ſimul hi conſpicati ſunt adventantes biremes, rati ſubſequi claſſem reliquam, nec fore ſe obſidioni tolerandæ pares; collectis raptim rebus ſuis, averſa porta fugientes, arcem deſeruerunt. Vulgata deinde fama amiſſæ Methones late circum terroris præbuit plurimum; ut illico caſtellis multis ultro ab Turcis decederetur, Græcis ſe ſuaque victorum permittentibus fidei. *ac Meſſenia omni. Turca munit oppida alia:* Et jam Meſſenia tota in ditione Venetorum erat. Iſmael interea, vulnere percurato, in Argiæ finibus conſtiterat, Methonenſibus non auſus ſubvenire, quod fuga militum poſt adverſam pugnam ad Pylum copias valde imminuiſſet. Ut factam audiit deditionem; cæteris metuens oppidis, Epidauri, Naupliæ, & Naupacti præſidium auget. Inde per nuncios præfectum claſſis, qui *accerſit auxilia;* cum triginta triremibus ſtabat ad Chalcidem, quanto res in periculo ſit edocet, excitatque ad trajiciendum nihil cunctanter in Peloponneſum: ſimul anxius curat, ut alia ope ſuppleat ibi exercitum, quo, ſi neceſſe foret, prœlio cum hoſte congrederetur. Dum concurſans huc atque illuc colligit undique militem, coactis nomen dare quicunque militari eſſent ætate: infenſus Græ- *crudelis in Peloponneſios.* cis, qui, ut contigerat in Meſſenia, occaſione quavis oblata defecturi viderentur, tecta diruit, agros ferro & flamma pervaſtat, principibus etiam nonnullis eorum necatis aut traditis in cuſtodiam: ut nec quod ab hoſte crudelius pati poſſent, reliqui quicquam fieret, quam quæ ab Turca patiebantur. Nihil horum fugiebat Maurocenum, indicantibus Græcis finitimis, & per ſuos explorantem: quare Naupliam aggredi maturius conſtituit. Haud ignarus enim, quam invadenti minime prona urbs eſſet, non arte ſolum ſed etiam naturali ſitu muni-

ta;

Digitized by Google

ta; quidquid interponeretur moræ, adjecturum id cernebat vires hoſtibus ad diſturbandam oppugnationem. Nauplia vero capta, ſpem ceperat, labore modico exigi eos poſſe Peloponneſo univerſa: in quo incolas pertæſos triſtis imperii, noviſſimeque ſævitia Iſmaelis exacerbatos, ſatis fidebat ultro adjuturos. Iter erat terra impeditum ac difficile propter crebros ſaltus locaque aſpera & montuoſa. Quocirca conſcendere militibus juſſis, VI. Kal. Sext. Methone ſolvit. Impediit ventus quominus ultra Maleam, Laconiæ terræ promontorium, conjunctæ claſſes navigarent. Triremibus ipſe magno remigum labore enixus, tertio inde die portum Tolonis, ſic appellant, quatuor millibus diſtantem Nauplia, præcipit: triduo poſt naves majoris formæ onerariæque portum eundem tenuere. Ibi armati velut in pacata littora exſcendentes, agmine inſtructo pergunt protinus ad urbem: redactiſque intra muros Turcis, qui in ſubeuntes ſubito eruperant, montem propinquum capiunt, Palamidam vocant; in eam altitudinem editum, ut regionibus oppidi omnibus impendeat. Receſſu pene intimo ſinus Argolici objicitur rupes, tribus ab partibus cincta mari: reliqua quarta eſt, quæ aditum præbet a terra. Ea in rupe Nauplia poſita eſt; qua maxime continentem ſpectat, valida muris, foſſaque inſuper ac multiplici vallo ſepta. Tres intus habet tutos receptus, qua aptiſſimum fuit, ad naturam rupis ſic acclinatos, ut infimo medius, ſummus utrique immineat. Ex adverſo objacet parva inſula, emunita in arcem: abeſt ab oppido paſſus ducentos; id oſtium eſt portus, quo nullum olim Græcia tota magis frequentatum conſtat navibus mercatorum: inde Naupliam fecere nomen. Situm ejus qui adſpexerit, formamque & munimenta, non ſine cauſa delectam dicat arcem regni. Longo annorum ſpatio Veneti cum obtinuiſſent: tandem fatigati bello, quo ab Suleimanno rege Turcarum premebantur, tradidere una cum Epidauro pretium pacis, anno quadrageſimo ſupra

1686.

Maurocenus Naupliam contendit.

Palamida mons.

Naupliæ ſitus, & munimenta:

Portus.

 mil-

1686. milleſimum & quingenteſimum. Sedem aſſignarant Baſſæ, qui Argiæ ſummo imperio præſideret. Muſtapha tunc arte multa belli cum militibus mille & ſexcentis tuebatur: cætera multitudo, nam plus novem millia hominum incolebant, numerum ſuppeditabat haud parvum, quos adhiberet ad defenſionem. Quare tametſi atrox ſtatim oppugnatio erat: etenim Venetus, objecto celeriter vallo inchoatiſque aggeribus & vineis, ſimul locis pluribus quatiebat tormentis muros; ſimul e vertice montis vim ignium & ſaxorum in urbem conjiciebat: tamen tum ipſe, diſpoſitis qua res poſtulabat ſtationibus, hortator perpetuus aderat; tum milites atque oppidani certatim adeuntes pericula, nihil prætermittebant quo illum prohiberent opere. Iſmael præterea, qui, ut primum Argolicum ſinum intraſſe audivit hoſtium claſſem, circa Argos contraxerat copias; paulo poſt caſtra metatus in planitie ſeptem ab Nauplia millibus, illinc cum expeditis equitibus procurſando oſtendendoque ſe ex vicinis tumulis, addebat fiduciam propugnantibus; Venetos vero, ne qua vis repentina exiſteret, cura ſolicitos habebat. Janiſſaros etiam trecentos, uſus in id lembis aliquot qui ad Licymnam ſtabant, noctis ſilentio intromiſit in arcem. Quod ubi nunciatum eſt Mauroceno; Marinum Bragadenum cum tribus triremibus, & navigiis aliis minoribus, cuſtodiæ oræ illius præfecit, ne quid in poſterum falleret mari ad obſeſſos ſubvectum. Cæterum cum cerneret, tam propinquo exercitu Turcarum fore in dies oppugnationem difficiliorem; quando inſuper afferebatur, manum magnam profectam Chalcide contendere in Peloponneſum: optimum ratus eſt pugnæ caſum confeſtim tentare. Quamobrem parte militum ad urbem relicta duce Ænea Ripetta; & operibus præeſſe juſſis Hieronymo Delphino ac Fauſtino Ripa: imperat Coniſgmarchio, ducat ſine mora ad hoſtem; ipſe uno tempore triremium claſſe littus petit, qua iter breviſſimum Argos eſt; claſſiarioſque milites & ali-

Oppugnatio.

Iſmael caſtra ponit non procul Nauplia.

Intromittit Janiſſaros 300.

Aggredieñ ſtatuit Maurocenus.

quan-

quantum remigum exponit, qui alia via eodem feſtinarent: ſatis credens, ſi pugnantibus Turcis ſubito ſe ſe oſtenderent ab tergo, injecturos tumultum, eamque Conigſmarchio ſuperandi occaſionem fore. Haud aliter accidit ac putarat. Medio ferme ſpatio inter Naupliam Argoſque obviam Conigſmarchio factus Iſmael conſerit extemplo certamen, effuſis habenis immiſſo equitatu, quo longe præſtabat. Stabili gradu excepere procellam Veneti: poſtmodo conniti & ipſi, ſi qua parte impellere adverſos poſſent. Dum acri utrinque contentione & duces adhortantur, & milites pugnant; ab tergo Turcarum repente apparuerunt claſſiarii. Speciem agminis majorem, quam pro re, præbebant: terroremque augentes clamore, primo incurſu, quos in ſubſidiis locarat Iſmael, turbavere. Trepidatum deinde tota acie eſt: mox, metu ne undique ab hoſte circumvenirentur, terga data. Cupientem inſequi Conigſmarchium prohibuit laſſitudo militum atque æſtus a meridiano ſole. Eo barbaris, cum continenti curſu in caſtra perveniſſent, detendendi tabernacula, vaſa colligendi, aſportandique partem magnam fuit facultas. Argis quoque deductum illico ab Iſmaele præſidium; qui Corinthum inde fugæ magis quam itineris modo recepit ſe ſe. Ibi vix dubitare imperator, adeſſe finem oppugnationis. Ergo occupatis Argis, & milite ad cuſtodiam deſtinato: priorem ſtationem repetit; mittitque ad portas qui literas perferrent. Iis hortatio continebatur ut, nulla jam ſpe opis externæ, traderent condicionibus urbem, ne ultima experirentur. Ubi fiducia virium ſuarum & munimentorum obſurduerant; validius de integro latiuſque oppugnare inſtitit. Et continuato diem noctemque labore celeriter promotus uſque ad foſſam agger eſt: cumque modus nullus jaculandi fieret e Palamida monte, ſimul ab latere urbis dextro, allatis eo balliſtis majoribus viginti: jam pluribus partibus ruere muri, atque intus tecta paſſim, quippe lignea pleraque, incendio abſumi.

Conſtan-

1686.

Prælium a Conigſmarchio committitur.

A claſſiariis terrentur Turcæ: fugiunt.

Iſmael Corinthum petit.

Argos occupant Veneti.

Præſidium Naupliæ pertinaciter reſiſtit.

1686. Conſtantius nihilominus, quam quis futurum crederet, reſiſtebant Turcæ; novum introrſus pro diruto muro objicientes vallum, eoque certioribus ictibus petentes illos, qui in operibus erant, quo ſubibant propius. Itaque multi, non vilia ſolum capita militum, ſed etiam centuriones tribunique, quotidie cadebant aut ſauciabantur. Plurimum damni acceptum eſt ſtrenui equitis morte, Alexandri Alceniaci; cui inter primos in foſſam deſcendenti plumbea glande caput transfigitur. Interiere quoque non pauci vigiliis laboribuſque, quos æſtus ſævitia intolerandos faciebat; in his Barbonus Bragadenus, Carolus Conigſmarchius præfecti copiarum fratris filius, & Barnabas Vicecomes. Acceſſerant morbi ab intemperantia veſcendi fructibus arborum, quarum gignit regio copiam; ut jam millia plus quatuor affecto corpore in caſtris aut in navibus eſſent. Hoc ſtatu rerum auctus Iſmael tum milite alio, tum cohortibus ſeptem Chalcide miſſis, exercitum expleverat decem millium. Et ſpe incenſus ſolvendæ conatu audaci obſidionis, citato agmine veniens Corintho, non procul Venetorum caſtris conſedit. Extulerunt inde animos obſeſſi: quique multos dies fere ex tuto pugnando, muris ſe continuerant, conferti tunc in oppugnatores ex improviſo eruperunt. Pro certo habebant, illum uno tempore aggreſſurum munimenta caſtrorum: quæ opinio, ut magis etiam quam pro numero dimicantium conniterentur, effecit. Poſtquam nulla ab exteriore parte vis admovebatur, multitudo autem obſiſtentium creſcebat: ſegnius primo inſtare; mox, omiſſo prœlio, fugere in urbem. Iſmael, quæcunque tunc quieſcendi cauſa fuerit, aliquot ſolum poſt diebus proceſſit ad caſtra oppugnanda: quæ cunctatio Venetis valde profuit. Interea nanque & ſpatium ſuppeditavit augendi valli; & naves aliquot, ductu Gaſparis Bragadeni, Angeli Michaelii, & Hieronymi Prioli, quos deſtinarat Senatus, ut arbitrio imperatoris ad militaria munera adhiberentur, auxilia militum attulere.

Venetorum damna.

Iſmael denuo ad caſtra oppugnantium accedit.

Obſeſſi eruptionē fruſtra tentāt.

Cæte-

Cæterum, qua minimum timuiſſent, quod objectus a tergo mons præruptus tutabatur, ea Iſmael dedit impetum. IV Kal. Septembr. ante lucem in jugum aſcenderat. Primo diluculo degreſſus in ſubjectam planitiem, vallum adoritur. Cuſtodiebant Illyriorum cohortes duæ proxime ſtationem Melitenſium & Romanorum. Ac primum ſubita re perculſi Illyrii paulum pellebantur. Poſtea, properantibus ſociis ad ferendam opem, refectis animis, impigre reſiſtebant. Atrocior deinde eſſe cœpit contentio, quod hinc ſtipatis ordinibus vehementius premeret Turca; hinc ab ſtationibus aliis deducti milites plures, & uſque integri feſſis ad repugnandum ſubirent. Ibi Conigſmarchium, dum quacunque in parte nutare ſenſerat ſuos, eo celeriter cum delectis manipulis advolat, equus plumbea glande trajectus in præceps effudit: nihil tamen, graviter licet latus offendiſſet, remiſſo ardore, perſtitit in incœpto. Imperator, quia longius a mari certabatur, quam ut uſui eſſet claſſis; ſub prœlii initium appulſis vicino littori triremibus, cum remigibus claſſiariiſque bis mille & quadringentis exſcendit ipſe. Pergit inde recta ad pugnæ locum; ubi leve quod ſecum adduxerat videri auxilium potuit, præut præſens hortando incitandoque rem adjuvit. Tres amplius horas hæſit certamen dubium. Poſtquam ſupergredi nuſquam poterat vallum operaque omnis ludebatur, revocat Iſmael ſuos. In propinquo erat clivus. Illuc, tanquam in tutum receptum, nihil præter feſtinationem turbatis ordinibus, erigebatur agmen. Ubi effundi vallo viderunt Venetum, jamque inferre acriter ſigna; nihil ordinum memores fugam pavidi capeſſunt. Ceciderunt Turcarum ad mille; vulnerati paulo plures. Ab Venetis deſiderati undeſexaginta ſupra trecentos. Tum vero debilitata obſeſſorum ferocia eſt. Nec deditionem ultra protulere. Multa poſtulantes, id modo impetraverunt, ut intra diem decimum Turcæ incolumes cum rebus ſuis abirent oppido, navibus Venetorum in oram Troadis

contra

1686.

Iſmael vallum aggreditur.

Maurocenus a mari adjuvat ſuos.

Iſmael recipit ſe in clivum:

inde fugit:

Nauplia deditur:

1686. contra Tenedum inſulam traducendi. Placuit octo obſides dari ex primoribus, tradique e veſtigio arcem maritimam: quod fide bona cum feciſſent, poſtero die imperator triremibus invehitur portum; ubi roſtratis duabus potitur, & lembis ſexdecim. Exceſſere ſtato tempore plus quatuor millia Turcarum: Chriſtiani captivi ad quadringentos exempti ſervitute. Ex omni autem numero Judæorum atque Æthiopum lecti in ſupplementum remigum, qui præcipue validi corpore eſſent: cætera capita partiuntur inter ſe victores. Græcorum indigenarum aut inquilinorum millia circiter duo ibi man-

Muſtaphæ fit facultas recipiendi ſe Venetias;

ferunt. Muſtaphæ vero Baſſæ, & Haſſani fratri, qui metuerent ne luenda ſibi foret pœna urbis deditæ, petentibus ut reciperent ſe Venetias, ab imperatore permiſſum: qui tamen cum ægre abeſſent a populis religionis ſuæ, non multo poſt illinc Liburnum Hetruriæ

qui inde in Africam tranſmiſit.

portum profecti, inde in Africam trajecerunt. Magna vis commeatuum bellicique inſtrumenti in urbe atque in arce inventa: fuere inter alia, tormenta ænea graviora ſeptem & ſeptuaginta. Meſchitam inſignem præ reliquis, Chriſtiana precatione dedicatam, ingreſſus imperator, gratias pro victoria Deo perſolvit. Tum Fauſtinum Ripam, Benedictum Bollanum, & Marcum Priolum, hunc arci, illos urbi præponit; ſuffecto poſtmodum Gaſpare Bragadeno in locum Ripæ demortui. Aliquot ante dies quam Nauplia dederetur, arx maritima Argolidis, ultra Scyllæum promontorium, in ora ſinus Saronici,

Thermiſſo potiuntur Veneti.

Thermiſſum vocant, accepta eſt in ditionem. Miſſi a Mauroceno centuriones duo haud difficile perſuaſerunt præfecto, ne oppugnationem expectaret. Pactus ut præſidium ſua ſecum ferens in Eubœam inſulam tranſportaretur, arcem tradit: totaque inde Argolis Venetorum

Lætitia Venetiis ob Nauplium captam.

fuit. Allati Venetias nuncii implerunt gaudio Civitatem. Cum pulcrum videbatur, bis fuſis acie hoſtibus, urbem cepiſſe, caput Peloponneſi; tum bellorum veniebat in mentem, quæ olim in Græcia geſſiſſent: neque vero

urbem

urbem ullam regionis ejus defenderant contentione tanta, neque tanto dolore ullam amiſerant. Extemplo ad Ædem Marciam a Principe & patribus habita Deo gratulatio. Ut autem præmium præcipuum tribueretur imperatori, cujus potiſſimum conſilio ac ſolertia, uno & altero prœlio victores fuiſſent Veneti: fit ſ. c. *ut Petrus Maurocenus, fratris filius, tunc apud eundem legatus, ordini adſcriberetur equitum D. Marci; utque ea dignitas, hæreditario jure familiæ, apud natu maximum eſſet in perpetuum.* Inde & duces alii pro merito quiſque collaudati donatique; & præfecto copiarum Conigſmarchio patera aurea dari juſſa quinque & viginti pondo. Interim imperator, quando tempus anni navigabile adhuc præbebat mare, relictis quinqueremibus, commendataque cura reficiendi tecta muroſque Bragadeno, & Bollano, Nauplia moverat; ſi forte cogere ad certamen poſſet claſſem Turcarum, quam vagari accipiebat circum Cycladas. Obſtiterunt venti adverſi ne Sunnium ſuperaret, Atticæ terræ promontorium. Triginta ferme detentus dies, cum, ſeptentrione increbreſcente, triremes jactationem amplius non ferrent; retro unde venerat, Naupliam redit. Æſtate eadem uſus fortuna varia erat Venerius, qui ſub initium veris, ut jam demonſtratum eſt, claſſem navium majorum in Ægæum mare induxerat. Alexandrinas onerarias commeatum vehentes Conſtantinopolin, quas tutabantur naves novem Turcarum celſioris formæ, octo piraticæ Afrorum, non procul inſula Naxo adeptus, prœlium ſtatim commiſit. Ibi, dum paulum abjunctus ab ſuis audacter ſe mediam in aciem infert hoſtium, pene undique eſt circumventus. Tulit opem in tempore Marcus Piſanus: inde procedentes ordine naves cæteræ æquaverunt pugnam. Certatum duas horas magno utrinque ardore. Poſtquam acrior incidebat Venetus; nacti barbari ventum ſecundum, fuga arrepta, curſum in Helleſpontum averterunt. Exitu æſtatis laceſſitus Venerius ipſe ultro eſt. Revertentem ex Troade, quo Tur-

1686.

Petrus Maurocenus creatur eques D. M. qua dignitas perpetuatur in Familia.

Præmia ducibus decreta.

Maurocenus claſſe evehitur in Ægæum.

Redit Naupliam.

Venerius pugnat cum claſſe hoſtium.

Turcæ fugiunt.

1686. cas ab Nauplia tranſvexerat, apud Lesbum deſtituerat ventus. Occaſioni non defuit præfectus Turcicæ claſſis; qui auctus navibus majoribus decem, paulo ante petierat Phocæam, mox trajecerat Mitylenem. Itaque triremibus remulco trahentibus naves alias, Venerium circumſiſtit. Multas horas tenuit prœlium, iniquum Venetis, quorum naves immobiles eſſent; cum barbari, prout res poſtulabat, alieno remigio circumagerent ſuas. Impetum tamen ſuſtinuit Venerius: cumque ſub occaſum ſolis lenis afflaſſet ventus, ſingula deinceps tormenta in illos obvertendo, urgere turbareque jam ordines cœperat. Sed nox victoria incerta pugnam diremit. Nec poſtero die poteſtatem dimicandi fecit Turca: qui ubi longius abſceſſerat, nec impedito inſulis mari cogi invitus poterat ad certamen; Venerius, collecta claſſe, repetit Peloponneſum. Hæc in Græcia. In Illyrico bellatum nihilo ſegnius. Vim inferre occupavit Baſſa Chulmienſis, principio veris profectus cum millibus aliquot armatorum ad Norinum invadendum. Conſtituerat, hoc recepto, arcem aggredi, quam proximo anno condiderat Valerius in inſula Opus: minime ignarus, quam grave eſſet Turcis habitantibus circa Naronam, clauſtra fluminis ejus ab hoſte teneri. Sed difficultatis multo plus quam crediderat, Norini oppugnatio habuit, magis ac pro numero aut loci munimento reſiſtentibus Venetis: qui ad ultimum, viribus conſumptis, paratos cuniculos nocte cum ſuccendiſſent, arce diruta, effugerunt. Inde conjectans Baſſa, quantum laboris præbitura arcis alterius, quam haud paulo munitiorem ſciebat, oppugnatio eſſet; ducere porro ad eam tentandam non eſt auſus. Hieronymus tamen Cornelius eques, quem patres Valerio legerant ſucceſſorem, arce perſpecta, arbitratus non diu retinendæ facultatem fore, in literis ad Senatum minime obſcure ſignificavit, operæ non eſſe tueri præſidio. Ac viſus Sexviris recte monere, cum propter alia, tum vero quod cœli & aquarum gravitate; nam loca circa

Venerius denuo confligit.

Nox dirimit prælia.

Baſſa Chulmia Norinum adoritur.

Præſidium, arce everſa, effugit.

Deliberant patres de diruenda arce Opus.

ſunt

ſunt paluſtria pleraque, milites ibi vulgo morerentur. 1686.
Ergo cum de evertenda retuliſſent ad Senatum, magna utrinque contentione exagitata res eſt; ſententiæ Sexvirum ſedulo adverſante Valerio, ne videretur rem inutilem ſuaſiſſe. Atque nunc objiciendo auctoritatem Senatus, qui haud temere probaſſet condendæ conſilium; nunc opportunitatibus commemorandis, ſeu tueri fines, ſeu proferre parte illa vellent: tenuit demum, ne quidquam novaretur. *Tenet Valerius ne diruatur.* Inter hæc locis pluribus tumultum excitarant Turcæ. Accerſitus in Pannoniam Boſnenſis Baſſa cum parte copiarum, negotium præfectis dederat, ut reliquo milite terras incurſarent Venetorum; quo eos ab alienis aggrediendis ad ſua potiſſimum defendenda abſtraherent. Prior Singi præfectus valida manu irrumpere in Cliſſæ agrum parat. *Singi præfectus arcetur aditu agri Cliſſenſis multa cæde.* Præſenſit Cornelius. Et miſſæ protinus Salonam triremes aliquot refertæ milite, concitique ad arma populi: qui nulla mora anguſtos ſaltus, qua ſciebant intraturum hoſtem, inſederunt. Advenienti parte nulla patere aditus: nec vi aperire conanti iter quidquam ſuccedere; quod impigre repugnarent Illyrii, locorumque juvaret opportunitas. Interim ſuorum cum caderent haud pauci; ſpe depulſus abſtitit incœpto. Urgere cedentem Illyrii iidem; effuſum mox pertinaciter inſecuti, multos occidere: poſtremo, ut ſunt aptiſſimi ad concurſandum inter ſaxa rupeſque, ſtrenue præverterunt; ut plus quadringentos intercluderent ab agmine cætero, ac pene omnes vivos caperent, in his præfectum ipſum. Poſt aliquanto parte alia metus extitit ab Antibari Baſſa, improviſo adventu præſidium Butuæ opppreſſuro. Id quoque reſcitum in tempore ab Cornelio, qui Spalati tunc erat. Quocirca militibus in triremes onerariaſque impoſitis, Butuam extemplo trajicit: ubi exſcenſione facta, medio ferme ſpatio inter Butuam & Antibarum, nihil minus opinanti Baſſæ fit obvius. *Cornelius ad Butuam excipit Turcas, funditque.* Tumultus major fuit, quam pugna. Cum enim incitatius procucurriſſet globus voluntariorum, quibus ſe ducem ul-

1686. tro obtulerat vir ad talia promptus atque audax, Aloyſius Cittadella: perculſi Turcæ impreſſione ſubita, vixque primum impetum tolerantes, turbatis ſignis, dedere terga. Numerus haud exiguus in fuga cæſi captive; ut ægre Baſſa ſe in tutum referret. Secunda hæc accenderant Illyriorum animos: itaque in terras Turcarum incurſiones undique fieri cœptæ. Perpopulati paſſim agri; caſtellis viciſque illatus ignis; prædæ pecorum atque hominum magnæ abactæ. Cornelius, qui Singum adoriri jampridem decreverat, non ultra rem differendam ratus, Spalatum redit, quo copiarum indixerat conventum: paucoſque poſt dies Salonam claſſe tranſmittit. Eo ex præſidiis arcium maritimarum tribus millibus militum accitis, jamque ad oppugnationem proviſis ac præparatis cunctis: contendit Singum. Diſtat arx quindecim millia paſſuum a mari, ab Neſto flumine millia ferme tria. Locata in ſaxo eſt fere undique abſciſſo; tribus murorum ordinibus, interjacente modico intervallo, ſepta: præſidium autem idcirco validius cuſtodiebat, quod tentata ſuperiore anno fuerat. Princeps Farneſius & San-Polus præfecti copiarum cum cohortibus Italici generis ac ſexcentis equitibus præcedebant: qui raptim acto agmine euntes, nihil minus quam obſidionem ea die expectantibus Turcis ſupervenerunt. Conſecutus mox Cornelius cum Illyriis atque apparatu urbium oppugnandarum. Initio caſtella ſtationeſque opportunis locis opponit, ne quid intromitteretur auxilii: tum operibus & machinis oppugnare aggreditur. Ac quanquam multiplici genere telorum repugnabant obſeſſi: Cornelio tamen ipſo & Farneſio aſſidue urgentibus, tanto ardore omnia adminiſtrabantur, ut paucos intra dies muri aliquantum dejiceretur. Nondum ita diduxerant ruinam, ut, ſi fieret impetus, irrumpi videretur poſſe: maturatum nihilominus ſpe citius. Venerat ad exercitum manus Samnitium, queis propter latrocinia infeſtus prorex Neapolis edixerat, nullum ſe perfugium relicturum, niſi tranſ-

Aloyſii Citadella virtus.

Cornelius Singum cogitat.

Arcis ſitus.

Circumſidit, & oppugnat Venetus.

Samnitium præclarum facinus:

ſi tranſgreſſi in Illyricum, ſub ſignis Venetorum ad certum tempus militarent. His ultro ſibi ejus aleam diſcriminis depoſcentibus annuit haud gravate Cornelius; qui metueret ne revertentes ex Pannonia copiæ Turcarum, quas in itinere eſſe audiebat, turbarent cœptum. Ergo poſtero die, uſi Samnites viribus ad meliora, ſubiere impavide; perque tela ac vulnera uſque connixi, pulſis propugnatoribus, tandem inſiluerunt. Ibi ſucceſſu, ut fit, creſcente audacia, murum alterum e veſtigio adoriuntur. Nec longo certamine opus fuit, ut tranſcenderent; Turcis, qui eo ſe trepidi receperant, necdum ſatis inſtructis ad repellendum. Haud paſſi tunc impetum mora elangueſcere, ſeptum poſtremum magna vi invadunt. Pugna ſæva atque anceps aliquandiu hæſit; cum Turcæ cæci furore ac rabie, ut quibus nulla alia ſpes ſupereſſet ſalutis, obſtinaſſent animis deturbare hoſtem, aut mori. Adjuvabat quoque locus ſuperior; & quo breviori orbe claudebat murus, eo confertim magis reſiſtebant. Vicit tamen cuncta pertinax Samnitium virtus. Nam ubi unus atque alter evaſit in ſummum, reliqui continuo æmulatione incitati, renovata impreſſione ſcandentes, pluribus ſimul partibus murum capiunt. Agmine inde penetratum in intima arcis: cumque effugium nuſquam eſſet, cæduntur Turcæ omnes. Ita quinque dierum ſpatio Singum redigitur in ditionem. Quæ celeritas expugnandi hoc inſuper utilior fuit, quod liber ea cura Cornelius ferre in tempore Jadertinis opem potuit. Nuper Boſnæ præfecerat rex Atlaglichum, hominem impigrum: qui, coactis decem armatorum millibus, ſeu ire ad ſolvendam obſidionem non auſus, ſeu quod credebat ſerum jam auxilium eſſe; quæ proxima erat auxilio, ultionem petens, tranſire ſtatuerat in agrum Jadertinum, ut ferro ignique pervaſtaret. Certior per exploratores factus Cornelius, Antonio Bollano arci præpoſito cum idonea manu militum, confeſtim ducit exercitum Scardonam, qua illum admonuerant tranſitu-

1686.

qui arcem expugnant;

& præſidiũ cædunt.

Baſſa Boſnenſis popolationẽ molitur agrĩ Jadertini.

Obviam it Cornelius ad Scardonam.

tu-

1686. turum. Parvo inde intervallo nactus planitiem aptam ad muniendum, caſtra vixdum poſuerat; cum adveniens Atlaglichus, & ipſe non procul locum caſtris cepit. Etſi is numero ſuperabat militum; tamen nequaquam induxit animum aggredi Venetum intra ſepta. Nec ultro laceſſivit Cornelius, cui ſatis eſſet prohibere populationibus. Igitur levia tantum per occaſiones prœlia inter manipulares ſerebantur: donec Turca, quando tutum non cenſebat vicino hoſte digredi ad regionem vaſtandam, quo propoſito venerat; paucis modo pecoribus abductis, rediit in provinciam. Hæ Venetorum ejus anni res fuere. Gaudium cumularunt geſta ab Cæſare in Pannonia. Ne per tempus quidem hybernorum quieverant legati, qui in Superiore hyemabant. Nam & Caraffa arcem validam adortus, ſeptem ab Varadino millibus, D. Job appellant, turri ſtatim incenſa, ubi pulvis tormentarius reconditus erat, compulerat Turcas ad deditionem: & Mercyus cum ex Arado ad Maruſium flumen, inter Lippam & Genadium, elicuiſſet præſidium, Janiſſaros trecentos, pertraxiſſetque in locum inſidiarum; cum cæde fudit eos, fugienteſque inſecutus, agmine uno irrupit in arcem; quam direptam, ſubditis ignibus, concremavit. Idem poſt aliquanto ad Tibiſcum amnem, ſatis magno ſpatio ab Segeduno, multitudinem Tartarorum, quibus noviſſime bis mille equites Turcæ additi fuerant, devicit prœlio; cædendoque abeuntium terga, perſecutus uſque ad Segedunum eſt. Diſpari fortuna tentatum ab Caprara Mungatſchium, quo dudum conceſſerat uxor Tekelii. Dies multos tormentis oppugnarat: jamque proruerat partem murorum. Ubi præ aquarum e terra erumpentium copia tranſmittendæ foſſæ ratio nequaquam inveniebatur; abire inde vano incœpto eſt coactus. Interim Cæſar omnem curam in belli apparatum intenderat. Et milite ſuo adjuvantibus Sveciæ rege, Electoribuſque Saxone, Brandeburgenſi, & Bavaro; ante veris exitum, exercitum effecerat magnis

Turca redit in fines.

In Sup. Pānonia arx D. Job deditur Caraffæ.

Mercyus Arado potitur:

ad Tibiſcū Tartaros ſuperat.

Mungatſchium fruſtra adoritur Caprara.

qui-

quibuſque aggrediendis parem. Plus triginta millia veteranorum peditum recenſebantur, equitum millia viginti, præter voluntarios atque auxilia Pannoniorum. Conſilium dies aliquot agitanti quonam verteret bellum, cum fere addubitaretur, præſtaret ne Albam Regalem, an Budam armis appetere, perſuaſit denique Lotharingius, ut Budam oppugnari mallet. Ergo partiti inter ſe copias Lotharingius & Bavarus, ut alter trans Iſtrum, cis alter iret; præter ripas fluminis tendentes, XIV. Kal. Quint. Budam pervenere. Defecit animus Turcis, qui Peſtum jam reſtitutum tuebantur, ad obſidionem expectandam. Quare ſimul appropinquare hoſtes ex fuga agreſtium cognitum eſt, Budam trajiciunt; reſciſſo ponte, ut ejus opportunitatem oppugnaturis adimerent. Firmabat urbem præſidium validum, ſupra decem millia lectorum militum duce Abdi Baſſa, qui præfuerat biennio ante. Quo primum admota vis ab Germanis, arx D. Gerardi opinione celerius in poteſtatem venit: nam paulum cum reſtitiſſent, metu exceſſere qui cuſtodiebant. Continuo oppidum tripartito aggrediuntur. Qua Strigonium ſpectat, Lotharingius cum copiis Cæſaris, non inde procul Brandeburgenſes, ab arce Dux Bavarorum cum exercitu reliquo oppugnabant. Ac inferiorem quidem oppidi partem non multa opera expugnaverunt. Bis nanque repulſis Turcis qui eruperant portis, brevi murus dejicitur; perque ſtragem lapidum & ruinas tranſcenſum in urbem eſt. At ubi pars tentari ſuperior cœpta, tum vero ingens excepit labor. Haudquaquam facilis aditus dabatur ad mœnia; munimenta quæ idoneis locis objecerant, impigre defendentibus Turcis. Nec ſolum ex tuto emittendo tela igneſque, ſed etiam crebris eruptionibus in opera & ſtationes ſubmovere oppugnantes conabantur. Ex arce primum in Bavaros impetum fecerunt: ac ſuperiores fuiſſent, ni advolans eo cum delectis centuriis Elector obſtitiſſet periculo ipſemet ſuo. Deinde ex urbe in Brandeburgenſium ſta-

1686.

Magnum exercitum efficit Cæſar.

Lotharingius & Bavarus Budam ducūt.

Peſtum deſeritur a Turcis.

Germani capiunt arcem D. Gerardi.

Oppidum oppugnant ab tribus partibus.

Partem inferiorem ejus capiūt.

Superioris oppugnatio difficilis.

Erumpunt obſeſſi.

1686. ſtationes invecti ſemel atque iterum fruſtra ſunt. Poſtremo, ſubter munitiones accenſo cuniculo, luce nondum certa tertio erumpentes, tantum intulerunt tumultus, prope ut opera machinæque dc ſererentur. Jamque Brandeburgenſibus cæſis ad ducentos, paſſim aggeres ſupervadebant. Verum ex vicinis ſtationibus miſſæ ab Lotharingio in auxilium cohortes quatuor reſtituerunt prœlium: inde vehementius impulſos redegerunt in urbem. Interea feriebantur tormentis muri: tectorumque intus, conjectis igniferis glandibus, fiebat ſtrages. Maxima tamen vis in cuniculis agendis erat. Hos dum excipere cuniculis contrariis obſeſſi nituntur: ſpes repente oblata eſt oppugnatoribus potiundæ turris, quod firmum præter cætera munimentum urbs habebat. Succenſus enim ab illis cuniculus adeo feſellit conſilium, ut, intactis operibus Germanorum, latus alterum turris ab imo ſubverteret. Tum Lotharingius promptiſſimum quemque invadere per ruinam jubet. Et primo, ut in re improviſa, conſternatis pavore Turcis ſtationis ejus, videbantur facile inſcenſuri. Poſtea ex regionibus aliis oppidi concurrentibus in locum cum armatis, prœlium ingens exarſit. Præter multitudinem ſuperſtantium hoſtium, augebat laborem Germanis ruinæ altitudo. Diu tamen enixi acriter ſunt, ut evaderent in ſummum: aderatque Lotharingius, qui novum militem feſſis ſubmitteret. Sed ubi cadere vidit non paucos, ſpemque inſiliendi vix tunc eſſe; occupavit receptui canere. Cecidere Germanorum ſupra trecentos: in his Principes Veldentianus, & Piccolomineus, nobileſque duces complures alii. Ad quadringentos ſauciati; inter quos Principes aliquot, ductoreſque ordinum. Non multis poſt inde diebus felicius res ſucceſſit Bavarorum Duci. Jam pene ad foſſam, objectos aggeres cuniculis ſubruendo, pervenerat: atque mox dejecta ſtatione Turcarum, margine in ipſo milites ſe muniebant. In munientes facta ex arce eruptio: qui conatus irritus cum fuiſſet; poſtmodum multitu-

Turrim adoriuntur Germani;

fruſtra.

Pugna atrox ad marginem foſſæ.

titudo haud paulo major ad locum repetendum porta effunditur. Non diu vim ſuſtinuerunt Bavari: quibus cedentibus præſto erant Saxones; ſed & ipſi, vixdum inito certamine, pelluntur. Quare ſupergreſſi munitiones barbari, pars perculſos cædere, pars diruere opera, aut clavis ferreis tormenta obſtruere. Mutavit repente omnia interventus Electoris. Nam non ſolum recens ab eo adductus miles paulum extemplo repreſſit impetum; ſed etiam qui modo fugerant, conſpectu Ducis refectis animis, haud ſecus quam ſi tum integri ſignum accepiſſent, redierunt in prœlium. Stetit aliquandiu in incerto ſpes; donec ex improviſo concuſſum ſolum, ingenſque in arce ruentium tectorum editus fragor, & relucens flamma, a pugna Turcas avertit. Rati cuniculum ab Germanis ſuccenſum, metuenteſque ne intercluderentur ab arce, omiſſo ſtatim hoſte, intra muros ſe trepidi receperunt. Caſu igniferi globi exardens bellicus pulvis, qui in arce cuſtodiebatur, tecta circa proſtrarat partemque mœnium. Jamque ſic patebat oppidum etiam, nam & Lotharingius & Brandeburgenſes non parum decuſſerant murorum; ut, ſi vis fieret, inſcendi videretur poſſe. Inde nihilominus abſtinuit altitudo ruinarum; quod in iis ſuperandis cruentam contentionem cernebant futuram. Placuit pertentari obſeſſos, ſi infortunio exterriti tradere urbem per pactionem vellent. Trium horarum ſumptæ in id induciæ. Quo tempore uſus Baſſa ad obmolienda quæ collapſa eſſent ruinis, poſtquam condicionem quancunque ferociter reſpuebat: acrius de integro oppugnari urbs cœpta eſt. Dum tormentis pandunt latius iter molliuntque aſcenſum; non ſemel portis ſigna extulit Turca: caſſe tamen, niſi quod poſtremo fraude uſus in Brandeburgenſes, nonnihil primo intulit damni. Modico edito prœlio, paulatim cedendo elicit eos ad longius inſequendum: tum ſubito exorti fiſtulatores plurimi, qui poſt maceriam abdiderant ſe ſe, formidinis multum præbuerunt. Urgebantur jam

1686.

Ingens in urbe incendium.

Lotharingius nequicquā vocat ad deditionē obſeſſos:

qui ſæpe erumpunt.

1686. turbati Brandeburgenſes, nec pauci cadebant; cum opem impigre tulit Lotharingius, cohortibus tribus illuc celeriter inductis. Sed eodem tempore præſidii robur emittente Baſſa, crevit pugna: duaſque horas neutro inclinavit res. Denique victores Germani Turcas compellunt in urbem; pluribus aliquanto, quam ipſi amiſerant, interfectis. Addidit id Lotharingio animum: & minuiſſe ſatis videbatur ruinarum abrupta, ut facere non dubitaret periculum impreſſionis univerſæ. Ergo poſtero die, is dies fuit a. d. VI. Kal. Sext. ex compoſito ipſe, Dux Bavariæ, & Sconingius præfectus Brandeburgenſium, partibus diviſis ſubeunt. Ac plumbeas glandes, ſagittas, ſaxa, ignes, velut nimbum effundentibus obſeſſis; ſævum certamen contractum eſt media in ſtrage murorum. Satis conſtat, obſtinatius nec oppugnari nec defendi urbem potuiſſe. Ut cuniculi alii atque alii ſubter ruinas ab Turcis ſuccendebantur; ſæpius repulſi Germani, conatu inſtaurato concitaverunt ſe in hoſtem. Tandem milites Cæſaris inſiluerunt primi; ad ciendam pugnam coram ſe ſe offerente Lotharingio, cui etiam ſaxo crus graviter ictum eſt. Inde Bavari, mox Brandeburgenſes, renovato impetu pulſiſque Turcis, murum occupant. Munientes ibi dum parant ſternere ſeptum oppidi atque arcis alterum, quod foſſa valloque firmarant incluſi: tentata de integro deditionis ſpes. Veruntamen Baſſa perſtante in pertinacia, qui Buda quidem pernegaret ceſſurum ſe, cæterum loco ejus traditurum urbem aliam, ita tamen ut bello finis imponeretur: paucos intra dies vallo perfracto ſtratoque muro, rurſus copias admovent. Prœlium ſicut ante diuturnum multo utrinque ſanguine tenuit: exitus idem fuit. Reſtabat ſeptum oppidi ultimum: qua autem oppugnabant Bavari, captis turribus, pars arcis intima ſuperanda erat. Diſtulit expugnationem adventus principis Viſſiriorum. Sex & quinquaginta millia armatorum collegerat. Et cum fidebat ipſe his viribus, tum extimulabant crudeles

Impreſſio oppugnantium.

Prœlium pertinax.

Victores Germani ruinas conſcendunt.

Fruſtra tentatur ſpes deditionis.

Impreſſione nova procedunt Germani.

Adventus Viſſirii:

deles

deles minæ regis, ni Budam ex obſidione ocyus eripe- *1686.*
ret, daturum pœnas capite. Priuſquam moveret Tauruno, haud neſcius Lotharingius quanta illinc impenderet diſcriminis moles, adhibuerat curam ut augeret exercitum; accitis ex Superiore Pannonia, & ex Tranſylvania copiis, quæ Heiſlero, Dunevvaldo, Caraffæ, Buthiano, Piccolomineo, ac Scarffembergio legatis fuerant attributæ ad fines Turcarum diviſis locis infeſtandos. Tum vallum duplex circumdederat caſtris; vigiliis & ſtationibus ita diſpoſitis, ut cuncta velut adverſus præſentem hoſtem proviſa haberet. Ubi primum præmiſſa ab Viſſirio ad ſpem auxilii oſtentandam obſeſſis millia aliquot equitum in vicinis tumulis apparuere: delectas peditum cohortes, partemque equitatus maximam educit caſtris ac pro vallo inſtruit, ſi Turca ſuccedat, paratus confligere. Alio ſpectabat Viſſirius. Majorem quam crediderat multitudinem eſſe cernens Germanorum; illumque ipſum animum promptum ad dimicandum, quippe ab fiducia virium, timens: auſus non eſt committere ſummam certamini univerſo. In id erat intentus, ut ſpeciem pugnaturi præberet; interim, expeditiſſimis ad vallum per occaſiones aggrediendum immiſſis, periclitaretur, ſi quid militum penetrare in urbem poſſet. Subiere principio quinque millia Janiſſarorum, equitibus additis levis armaturæ ter mille: ac primo ferme incurſu alam equitum Pannoniorum, qui venientibus occurrerant, averterunt. Effuſe ſequentes ſuſtinuit oppoſitus ab Dunevvaldo miles Germanus: quo acerrime repugnante, verſa eſt fortuna, terga dantibus qui modo inſtiterant. Cæſi Janiſſari aut equites ſupra mille & quadringentos; quingenti vivi capti: decem præterea æneis balliſtis, ac militaribus ſignis undequadraginta potiti victores; a quibus haud plus centum triginta duo deſiderati. Sexto poſt die regione alia ab Turcis eventu meliore geſta res. Nondum orta luce, bis mille equites effuſiſſimis habenis ſucceſſerant ad vallum: ac quingenti

adverſus quemſe munit Lotharingius.

Viſſirius Janiſſaros immittit in Germanos.

Janiſſari repellūtur.

equites Turca aderunt.

1686. eorum ad pedes degreſſi e veſtigio inſiluere. Objectus ab Heislero, qui ſtationem eam obtinebat, miles prohibere non potuit quin fere trecenti, veſano impetu perrumpentes, pervenirent in oppidum. Reliqui, majore quam pro numero hominum edita cæde, fortiter dimicantes ad extremum interfecti ſunt. Octo dierum ſpatio interpoſito, Viſſirius rurſus vim inſtruit. Vixdum illuxerat, cum acie explicata aliquantum procedit: inde autem fortiſſimum quemque ex omni equitatu, ad tria millia, præmio ſingulis, qui inſcenderent, propoſito, nummis regalibus vicenis duplicique ſtipendio, mittit ad vallum adoriendum; qua aperuiſſent viam, ea protinus ipſe cum univerſo exercitu pervaſurus. Illati curſu, rejectique primo ab Germanis, mox connixi parte alia atque alia ad vallum ſubeunt. Eodem tempore ab arce in Bavaros ingenti clamore erumpitur. Utrobique magno pugnatum ardore eſt, ita tamen ut barbaris nuſquam procederet cœptum. Hinc obſeſſi in arcem haud parva cum jactura, multiſque vulneribus receſſerunt: hinc equites pauci ſupervadentes, antequam penetrarent ad vallum alterum, in medio cæſi. Cæteri omnia experti nihil cum proficerent, jamque plus dimidium eorum abſumpti eſſent; relicto certamine, ad ſuos ſe recipiunt. Hoc magis perculit Viſſirium exitus adverſus, quod die eo ipſo augeri vidit Germanorum vires; Iſtrum jam trajicientibus manu haud modica armatorum Scarffembergio qui poſtremus ex Tranſylvania advenerat, & Piccolomineo. Incerto fluctuatus animo: intelligebat enim, niſi opitularetur, futurum mox oppidum hoſtium; ſi autem prœlio congreſſus inferior fuiſſet, cedendum protinus Pannonia omni: caſtra paulum retulit, multa ſecum verſans, ſicunde ſpes objiceretur minore cum periculo exercitus ſui ſolvendæ obſidionis. Interea ruinæ immanes nudarant urbem arcemque; ut haud ultra differendum cenſeret Lotharingius, quin undique aggrederetur. Inceſſerat metus vulgo ne uſus opportuni-

...tur Germanos.

Eorũ 300. penetrãt in oppidum.

Novus conatus Viſſirii.

Eruptio ex arce.

Utrobique ſuperiores Germani.

Viſſirius paulum abſcedit.

tunitate Viſſirius munimenta caſtrorum uno tempore invaderet: eoque minime deerant in militari concilio, qui prius cum exercitu Turcarum acie utique decernendum putarent. Sed certus Lotharingius propoſitum exequi, talem agendæ rei ordinem iniit. IV Non. Septembr. qua *Lotharingius aggredi ſtatuit urbem.* die adoriri urbem conſtituerat, ad quadraginta millia militum emittit caſtris: delectiſque ducibus imperat, modico ab hoſte intervallo aciem inſtruant in planitie; ſatis credens, Viſſirium, cui hactenus animus non fuiſſet *Partem copiarum opponit Viſſirio:* ad caſum ſubeundum juſtæ dimicationis, haud auſurum cum Germano congredi, qui fiducia profecto virium ſuarum ſimul peteret impreſſione urbem, ſimul copiam *parte alia adoritur urbem.* confligendi æquo loco ultro faceret. Neque fefellit eum ſententia. Nam præterquamquod turmæ nonnullæ equitum in medio campo ab ſtationibus procurſantes ſpeciem aliquam incipiendi prœlii præbuerunt: Viſſirius, tametſi clamor diſſonus accidebat ex oppido, index laborantium obſeſſorum, perpelli tamen nequiit ad tentandam fortunam pugnæ. Cæterum, admotis ad urbem atque arcem copiis reliquis; ſi unquam alias ante, certamen tum acre, cruentum, pertinax in ruinis jacentium murorum fuit. Summa vi, corporibus oppoſitis, reſti- *Cruento certamine* terunt Turcæ: vallum inſuper novum opere tumultuario introrſum objecerant, ſpatio, quod intererat, utribus ſtrato ſulphurei pulveris; balliſtis etiam magno numero ſic diſpoſitis, ut in eam partem, qua patefactum oppidum erat, undique jaculari poſſent. Sed connixi diu graviterque Germani inſcendere tandem: inde autem per ignes, tumuloſque cadaverum, & labem ſanguinis incurrunt in vallum. Tunc enimvero hinc ſpe, hinc deſperatione irritante, atrociſſimum prœlium editur; exitu incerto, donec Abdi Baſſa, qui prope inter primos hortator aderat, plumbea transfoſſus glande corruit. Mors ducis rem decrevit. Segnius nanque repugnantibus Turcis; jam haud dubie victor Cæſaris miles, *invadunt Germani.* mox Brandeburgenſes vallum ſupergreſſi in urbem vadunt.

1686.

1686.

Cædes Turcarum.

dunt. Paulo poſt Bavari quoque, redintegrato impetu, penitus in arcem perrupere. Et illico ingens ab ira fit cædes inermium juxta atque armatorum. Duo hominum millia, in quibus præfectus alter oppidi, ductor Janiſſarorum, & ſacrorum antiſtes, recipientes ſe ſe in locum tutum inter urbem atque arcem, deditionem pacti ſervatique ſunt. Ex multitudine alia non ſuperfuere, niſi quibus exſatiatus demum ſanguine Germanus abſtinuit. Ut in oppido prædiviti, potitur præda opulenta; præterque apparatum alium bellicum, tormenta ænea majora invenit ad quadringenta. Quatriduum moratus ibi Lotharingius, ut militem paulum reficeret.

Lotharingius inſequitur Viſſirium:

Maturavit inde ad hoſtem ducere; quem ſilentio noctis poſt expugnatam urbem abiiſſe longius compererat. Secutus veſtigiis, ubi acceſſit Tolnam, cognoſcit, regione paludibus ſepta inter Dravum Iſtrumque flumina, ad Dardam arcem contra Murſam conſediſſe; corrupto quidquid circa eſſet pabuli. Apparebat abhorrere utique eum a certamine; ſibi vero, niſi pugnare cum iniquitate locorum rerumque neceſſariarum inopia vellet, cogendi facultatem non fore.

Budam redit.

Ergo, mutato conſilio, Budam regreſſus, mittit Caraſſam cum manu idonea militum ad Segedunum, quod dudum obſidebatur, oppugnandum: Principi autem Ludovico Badenſi manum attribuit aliam, ut in Pannonia Inferiore quibus videretur arcibus vim inferret.

Segedunum deditur Veteranno.

Adventum Caraſſæ antevertit deditio Segeduni. Ab legato Federico Veteranno bis fuſis cum cæde hoſtibus, qui ſuppetias veniebant obſeſſis: per pactionem urbs traditur. Parte altera Badenſis arcem aggreſſus prope Urpanum amnem,

Kapoſuar potitur Badenſis per deditionem.

Kapoſuar vocant, repulit primo ſemel atque iterum Turcas, qui portis eruperant: deinde obſidendo oppugnandoque, coegit ad deditionem.

Symonthorna, Quinque-Eccleſiæ, Ziclos, Darda, capiæ.

Continuo Symonthornam, arcem in propinquo poſitam, paulo poſt Quinque-Eccleſias, & Ziclos, nomina ſunt oppidorum non procul flumine Dravo, Dardam demum, unde modo Viſſirius ceſſerat, partim vi, partim metu, Turcis

ſe

Digitized by Google

ſe in arbitratum dedentibus, in poteſtatem redigit. Hæc 1686.
ab Cæſare & Venetis cum gererentur: omnium in ſe *Polonia rex*
animos converterant Poloni, in ſocietatem Moſchis ad- *jungit fœ-*
ſcitis. Annos admodum multos bellum tenuerat inter *dus cum Moſchis.*
has gentes: eoque bello Moſchi inter alia Palatinatus
duos, Smolenſci, & Chioviæ, de Polonis ceperant.
Anno quinquageſimo ſexto ſupra milleſimum & ſexcen-
teſimum factæ induciæ in annos duodecim: quarum tem-
pus ſubinde proferendo, in hunc uſque annum omiſe-
rant arma. Joannes rex id agens, ut Joannem & Pe-
trum fratres, Moſchorum reges, adjungeret ſibi ſocios
contra Turcam; ita ſe denique putabat conciliaturum,
ſi a Polonis jus illis fieret Smolenſcum & Chioviam
cum bona pace poſſidendi. Conſilio huic regis duo præ-
ſertim obſtabant. Nam nec perſuaderi vulgo poterat Po-
lonis, ut volentes ſibi præciderent ſpem recuperandi quæ
amiſerant: & Moſchi, qui, quod ademiſſent armis, ar-
mis etiam ſe uſque retenturos confiderent, adduci facile
nequibant, ut accederent ad Turcicum bellum. Rex ta-
men, adjuvantibus Pontifice & Cæſare, a quo etiam le-
gatus Moſcuam miſſus in id poſtremo fuerat, hortando
inſtandoque perfecit, ut tandem in has leges fœdus con-
veniret: *pax exinde uti foret inter Polonos & Moſchos; qui* *Leges fœderis.*
communiter bellum cum Turcis gererent: ut Smolenſcum & Chio-
viam poſſeſſione firma Moſchi in perpetuum haberent; ita ta-
men ut omni tempore liber ibi Romanæ religionis cultus relin-
queretur: ut quindecies centena millia nummum Florenorum
Moſchi penderent Polonis; atque ut loca alia, quæ bello occu-
parant, iis redderent: ut, ſi quando opus eſſet, alteri alte-
ris ferrent auxilium. At præter ſpem apparatu tanto vix
quicquam hoc anno profectum contra Turcas. Novi ſo-
cii nihil ultra moverunt, quam ut Coſacci, qui eorum *Excurſiones Moſchorum*
imperio parent, excurſiones facerent in terras Tartaro- *in Tartaros.*
rum. Ab Joanne rege Poloniæ omnia intenta maxime
cura acta, ut, quod coquebat jamdudum, bello quam
acerrimo premeret Tartaros Budziacenſes. Sed conſilium *Sero movent Poloni:*
fortu-

1686\. fortunam non habuit obſecundantem. In magna inopia ærarii grandem ipſe de ſuo pecuniam cum contuliſſet; adulta æſtate profectus cum parte exercitus, ad Tyram amnem poſuit caſtra. Dum cæteras opperitur copias; ne inutilis eſſet mora, delectam manum mittit ad laceſſendum præſidium Camenecciæ, Turcas Tartaroſque permiſtos. Nec hi cunctati ſunt portis erumpere: quos Poloni certamine haud gravi retro in urbem redegere. Paulo poſt Poloni iidem cedentes inde fugientium ſpecie, cum denuo ad erumpendum elicuiſſent; intemperantius inſecutos exceperunt inſidiis, plus mille cæſis, captis ad quadringentos. Tum rex, expleto jam exercitu, flumen transgreſſus, Jaſſium venit, Moldaviæ caput: unde paulo ante abiens qui obtinebat eum Principatum, ad Noradinum regem Tartarorum Præcopenſium tranſierat; non auſus ſe applicare ad partes Chriſtianorum, quod filium pignus fidei Turcis coactus dediſſet. Jaſſii præſidio impoſito, pergit illinc in fines Tartarorum. Aſt per vaſtas ſolitudines cum duceret; plus quadraginta dies difficultatibus vexatus multis eſt. Præterquamquod crebro Tartari nunc ab latere, nunc ab tergo incurſabant; inſuper & ſol ingenti ardore torrebat inſueta æſtus corpora Polonorum, & via erat aquarum inops: perque omne id tempus cæleſtes etiam aquæ defuerunt; ut digredi ſubinde aquatum ad Hieraſum neceſſe eſſet. Acceſſit poſtremo ab Tartaris peſtis alia. Late circum incenderant herbas virgultaque arida: quæ res dum iter retardat, morbi interea milites corripuerunt. Itaque veritus rex ne, ſi perſtaret in propoſito, receptum habiturus tutum non foret; omiſſo incœpto, retro unde venerat, Jaſſium revertitur. Paucorum ibi dierum quiete ſumpta; operæ non eſſe arbitratus tueri milite urbem parum validam muris, deducto præſidio, cæterum nulla re violata, rediit in regnum. Cohiberi tamen non potuerunt Coſacci, gens latrocinio læta, qui exercitum ſequebantur, quin poſt abitum regis urbem diriperent, tecta-

Certamina aliquot ſerunt circa Camenecciā:

Hieraſum trajiciunt:

Jaſſium occupant.

Tartari infeſti redire cogunt in fines.

Coſacci Jaſſium diripiunt.

tectaque incenderent plurima. Hæc eo anno ab fœderatis acta. Interim Conſtantinopoli mœror ingens, ac tumultus etiam fuerat; cum tot in Pannonia, in Peloponneſo, atque in Illyrico accepta damna nunciarentur. Metus objiciebatur gravior in futurum. Nam Cæſarem & Venetos, elatos ſucceſſu, providebant, animis majoribus geſturos deinceps bellum. Ut autem Poloni, multa nequicquam experti, timeri prope deſiiſſent: valde ſolicitas tamen mentes habebat novus hoſtis additus Moſchus; cui, ſi recte uteretur, eæ eſſent vires, quibus unis percelli affligique ipſi poſſent. Deficiebat in publico pecunia, ex qua miles acciperet ſtipendium, ſupplereturque exercitus, atque apparatus alius terreſtris & navalis inſtrueretur. Ac ſecretæ primo indignationes exaudiebantur frementium, contra fas ſuſceptum bellum peſſime adminiſtrari: deinde apud Baſſas etiam Viſſiriosque incuſationes erant: ad publicam poſtremo querimoniam exceſſerat res; ut ſeditioni dux tantum videretur deeſſe. Rex pluribus ſimul anxius curis, jamque timens ne in ſe auctorem ejus belli recideret pœna, inops conſilii aliquandiu cum fuiſſet; ad extremum, quæ via una ſuccurrebat amovendi ab capite ſuo periculi, præſentia mala vertit in religionem: perditis moribus gentis, cultiſque negligenter ſacris factum dictitans, ut ea ſuccederent Chriſtianis, quæ credi humanæ opis vix poſſent. Ergo averruncandæ cœleſti iræ jejunium piaculare, & precationem trium dierum indicit populo. Ipſe, quo magis multitudinem permoveret imagine pietatis, obſoleta indutus veſte, ſupplicis habitu, vultu compoſito ad animi angorem, inter admurmurationes ſecundas populi, mœſtum magnificantis & ſordidatum pro ſalute ſuorum, procedit ad Meſchitam: ingreſſuſque precatur numen divinum; & petens alte ſuſpirium quæſit, ut & culparum præteritarum veniam, & præſentium malorum finem duit placatum aliquando tandem. At de improviſo magnum in diſcrimen adduxit eum exortus ibi ſacri-

1686.

Turcarum cura & metus.

Rex timet ſibi.

Calliditas ejus.

Supplicis ſpecie adit Meſchitam.

Ibi ab ſacrificulo acriter carpitur.

1686. ſiculus; qui, facta ſibi audientia, non dubitavit propalam accuſatoria voce & verbis mordacibus præſentem inclamare: *calamitatum tot atque tantarum neminem verius quam ipſum cauſam eſſe: reges ſuperiores, qui ſervaſſent auxiſſentque imperium, commoda voluptateſque abdicantes, ductu ſuo bella geſſiſſe: mulieroſum eum, ſedentem inter eunuchos & catamitos, venatui deditum, comparantem avide pecunias recondentemque, cura interim armorum relicta Viſſiriis & imbellibus, an mirum eſſe perniciem in ſe regnumque trahere? Finem non fore miſeriarum, niſi aut cederet regno, aut animum ſuſciperet regi aptum.* Inſuetus vera audire, ictus eſt libertate tanta linguæ. Dolore nihilominus diſſimulato, formidine impellente, ſpeciem præbuit fatentis errorem: eoque cum minuiſſet invidiam, egreſſus Meſchita, inter faventis populi voces, quod ſperare auſus vix eſſet, in regias ædes ſe recepit. Ut verſum crederent in mores alios, & ex nequam repente factum bonæ frugi; impenſas regii cultus ſtatim circumcidit: nec ſolum pecuniæ aliquantum depromit ex privato ærario, ſed etiam cum lautam ſupellectilem aliam, tum vim gemmarum venalem proponit: quarum tamen emptores non inventi, nemine audente liceri ad haſtam illam, ad quam divitias ſuas quicunque proderent, haud dubitabatur quin pecuniam inde conferre in publicum cogerentur. Continuo delectibus indictis, tributoque acerbiſſime populis imperato, partem pecuniæ collectæ ex reditibus Meſchitarum, quibus utique parci antea conſueverat, converti voluit in uſum belli; nequicquam obſiſtente antiſtite ſacrorum: quem inviſum jam multitudini, quod tres ante annos una cum Muſtapha ſtimulator belli fuiſſet, amotum dignitate ablegavit in inſulam Chium. Hæc peracta abſente Viſſirio: qui metuens ne ſanguine ſuo expiaretur Budæ jactura, per ſimulationem componendi turbata bello muniendique oppida in finibus, Tauruni ſubſtiterat. Attamen non prorſus ſibi deſperans, ſcriptis illinc ad regem literis, geſtæ rei ordinem executus fuerat, ut ſi

Dolorem diſſimulat.

Mores alios præ ſe fert.

Delectus imperat; & pecunias.

Viſſirii ad eum literæ.

pla-

planum faceret, tantum detrimentum & ignominiam 1686.
acceptam nulla culpa ſua. Addiderat, *multo quidem futurum ſibi ſatius fuiſſe, ſtrenue pugnando in acie occumbere, quam id ſubire dedecoris, ut pene in oculis ſuis Buda caperetur. Non congreſſum tamen cum hoſte, ne publicam rem prælio uno affligeret in perpetuum. Eas a prioribus Viſſiriis contractas hoc bello clades, quæ quidquid fere ſuppeditabat veterenarum copiarum abſumpſiſſent. Novum ex parte magna militem, ex multis generibus hominum raptim collectum, quid attinuiſſe objicere trucidandum Germano, multis ſubacto ac durato bellis, quique numero longe præſtaret? Quod incolumem exercitum ſervaſſet, factum inde, ut hoſtis poſt expugnatam Budam paucis modo iiſque levis momenti arcibus potitus abſtineret a majoribus tentandis. Minimum ut damni inferret ſequenti anno, id vero ſe quam diligentiſſime providere, munientem oppida arceſque, quæ illi potiſſimum paterent. Cæterum pro fide ſua erga regem ſuadere, quod unum tempore tam difficili expediret præ aliis omnibus, quæreret pacem: ſumpto ſpatio ad recipiendas vires, haud defuturam occaſionem, qua adempta recuperarentur.* Accipi excuſatio viſa: monentique ſalutaria facile aſſenſus rex.
Ergo Viſſirius, datis literis ad Hermannum Badenſem, bellici apparatus præſidem Viennæ, pacis mentionem injecit: *ſi ab finiendo gravi & incommodo bello Cæſar non abhorreret, legatumque Taurunum aut alio quo deſtinaret de amicitia reconcilianda; confidere ſe ſe, dummodo ferantur utrinque leges æquæ, tranſigi rem poſſe.* Reddi reſponſum paſſus non eſt Cæſar, priuſquam ſententiam expoſceret ſociorum. Ex auctoritate regis affirmabat legatus Polonus, *paratum regem ſuum fœderatorum aliorum ſequi exemplum.* Venetis tempus haudquaquam eſſe videbatur agendi de pace: Turcas præterea graſſari aſtu putabant. Paulo ante Viſſirius, amicus Jo. Baptiſtæ Donato ex quo tempore legatus fuerat Conſtantinopoli, compoſuerat ad eum literas: *ſi paciſci proprie ſibi pacem Veneti vellent, hujuſmodi futuras condiciones, quas haud dubie bello præoptarent.* Vetuerant patres quidquam reſcribere Donatum; nihil audientes,

Viſſirius pacem tentat.

Seorſim a fœderatis pacem offert Venetis: qui utique recuſant.

Digitized by Google

1686. tes, quod reſpueret ſocialis fides. Hoc tunc aperientes Cæſari, palam oſtendebant, *Indificationem hoſtis eſſe: non enim alio ſpectare eum, quam ut fœdus tam ſibi infeſtum diſſolveret. Si fraus abeſſet, cur non proponi condiciones ſummas, quæ ad fœderatorum quemque pertinerent?* Igitur Cæſar reſpondere jubet Hermannum: *ſe bello injuſto appetitum, cum Polonis ac Venetis fœdus iciſſe. Si Turcarum rex cuperet belli finem, quin omnium primum ederet pacta, in quæ crederet conventurum de pace? Ubi æqua fœderati judicaſſent; tum denique ab ſingulis legatos venturos, per quos negotium conficeret. Haud temere tamen ſuſpicari ſe ſe, non ſyncera fide quærere pacem regem, foventem Tekelium, qui præcipue belli cauſa fuiſſet.* Quare omiſſa in præſens mentio pacis.

Reſponſum Cæſaris.

Ingentes aquæ Venetiis,

alibique.

Hoc anno aquæ fuerunt ingentes. Venetiis, Vulturno vento multos dies flante, ſic intumuit mare, ut aggeribus, qui æſtuarium ab alto claudunt, ad Clodiam Foſſam & Methamaucum perruptis, partem urbis inundaret. Per dies eoſdem cum flumina alia continuis inflata imbribus ripas ſuperarunt; tum Atheſis alveo effuſus Rhodiginam peninſulam tractumque non modicum agri Patavini aquis operuit, miſeranda tectorum ſtrage, pecorum hominumque pernicie. Triumviri e Senatorum ordine extemplo miſſi, qui aggeres curarent reſtituendos, tollendaque impedimenta, quæ fluminis curſum morarentur, Jo. Baptiſta Gradonicus, Petrus Haimus, & Jo. Arſenius Priolus. Uno tempore aggeres ad Clodiam Foſſam & Methamaucum gravi impenſa refecti.

Mittuntur IIIviri ad reficiendos aggeres Atheſis fl.

Eodem anno Innocentius Pontifex ſeptem & viginti Cardinales creavit: in his Venetos duos, M. Antonium Barbadicum Corcyræ Archiepiſcopum; & Leandrum Colloredum Presbyterum e Congregatione D. Philippi Nerii. Juſſus Joannes Landus de Colloredo quidem gratias agere Pontifici; de Barbadico autem, ob illas cauſas quæ ante declaratæ ſunt, nullum verbum facere. Inde cum uterque per literas ſignificaſſent, ſe in Collegium Cardinalium adſcriptos; ſtudiumque & fidem erga remp. lite-

Barbadicus & Colloredus creati Cardinales.

Patres de Colloredo ſolum agunt gratias Pontifici.

literis iiſdem teſtati eſſent: reſcriptum benevole Collore- 1686.
do eſt, præſentiſque pecuniæ auxilium ex more ſuppe-
ditatum; literarum Barbadici rationem nullam haberi
placuit. Romæ interim, mortuo Duce Eſtræo oratore 1687.
regis Galliæ, diſſidium erupit inter Pontificem & regem
propter Immunitatem. Pontifex jam palam, ut indica-
vimus, profeſſus, in poſterum legatis regum non factu-
rum ante poteſtatem veniendi ad ſe, quam jus Immu-
nitatis dimitterent; Cardinalem Eſtræum in locum fra-
tris ſuffectum ab rege, quamvis multum tendentem pro
jure eodem retinendo, nihil paſſus eſt impetrare. Quan-
do copia adeundi ejus non fiebat; exceſſerat urbe Car-
dinalis: Pontifex autem lictorum manum ultro citro-
que, ut regione libera, vagari voluerat ante ædes Far-
neſianas, domicilium adhuc familiæ oratoris demortui.
Tum ſimul Cardinali Ranuccio, legato ſuo apud re-
gem Galliæ mandata dederat, ut cauſas demonſtraret,
quibus permotus feciſſet; ſimul edictum de tollenda Im-
munitate promulgarat, uſque ab initio Pontificatus ſui,
Cardinalibus ferme omnibus aſſentientibus, conſcriptum;
adjecta anathematis pœna, ſi quis exinde jure iſtiuſmo-
di uti auderet. Ægre tulit rex, turbari poſſeſſionem
antiquam; communiter, Pontifice Clemente X. ab ora-
toribus regum defenſam retentamque: quamobrem extra
ordinem legat Romam Henricum Carolum Lavardinum,
qui in jura quævis regii oratoris ſuccederet. Reddidit ad-
ventum inſignem multitudo armatorum, agmine longo
ſtipantium, apparatuſque alius ad terrorem objiciendum:
atque inde, velut in caſtris ſolet, agebantur cuncta; co-
piis circa domum diſpoſitis ſub certo duce, & in ſta-
tione more militari collocatis. Nihil hæc movere Ponti-
ficem: blanditiis etiam, quæ interdum adhibebantur,
ſpretis, adduci non potuit, ut adiri ſe ab novo legato
ſineret. Quin, quod nocte Natali Chriſti Domini, ſa-
cris ſolemnibus in templo D. Ludovici interfuiſſet; uſum
templi ejus, omninoque res divinas interdixit ſacerdoti-
bus;

Diſſidium Romæ ob Immunitatẽ inter Pont. & Gallos.

Edictum promulgat ea de re Pontifex.

Lavardinus mittitur Romam ſtipatus armatis.

Adiri ſe non patitur Pontifex.

interdicit uſum templi D. Ludovici.

1687. bus; quibus vetaſſet pridem, ne quid haberent commercii cum Lavardino, tanquam poſito extra communionem Eccleſiæ. Et Romæ multa conqueſtus eſt hic de acerbitate Pontificis, de jure gentium violato, de dignitate læſa regis ſui; & Pariſiis, Senatus edicto, acta Pontificis infirmata: provocatumque ad Generale Concilium. Tum, ira longius provehente, juſſu regis, Avenio urbs armis occupata, Pontificiis expulſis. Attamen, mutato paulo poſt conſilio, Lavardinus, menſes ſeptendecim cum Romæ fruſtra fuiſſet, revocatur in Galliam.

Lavardinus redit in Galliam.

FINIS LIBRI DECIMIOCTAVI.



H I-

HISTORIARUM VENETARUM

LIBER DECIMUSNONUS.

BUda Pannoniæ caput, Nauplia Peloponneſi, uno tempore Turcis ademptæ ſpem rerum majorum in dies accenderant patribus: eo intentius ſupplebant exercitum navalem terreſtremque. Milites paſſim curabant colligendos in Italia: civitatibus inſuper continentis Venetæ permiſerant, ut ſua pecunia ſcriberent millia aliquot; quibus tribunum & centuriones, cohortis quæque ſuæ, darent civitates ipſæ. Quando autem, quem conſtituerant, ibi effici numerus, qua oportebat celeritate non poterat; placuerat ex Germania ſex millia & quingentos conduci. Quatuor millia præbuere Principes Brandeburgenſes, Lantgravius Haſſiæ, ac Georgius Federicus Vvaldevenſis: tum Dux Hannoverenſis bis mille & quingentos. Affatim ut eſſet pecuniæ, poſtquam nihil a Pontifice impetrabant, qui cauſa Cardinalis Barbadici eſſe videretur animo minus benevolo: vias iniere, quæ ante etiam ad ærarii inopiam ſublevandam profuiſſent. Itaque præterquamquod tributorum onera aucta ſunt in urbe atque extra urbem; fit quoque ſ. c. ut acciperentur grandi fœnore a privatis pecuniæ, ea lege ut, ipſis mortuis, ſors reip. cederet: erat autem fœnus, centeſimæ annuæ ternæ & denæ. Dum milites aliaque, uſus belli quæ poſtulabant, comparantur: incidit calamitas, qua prope eſt factum, ut in Peloponneſo nihil eo anno gereretur. Exercitum, qui Naupliæ hyemabat, peſtilentia corripuit; orto initio ab mercatoribus Gallis, qui navigium refertum commeatibus ex Ægæi inſulis illuc appuliſſent. Viſum Mauroceno, antequam latius ſerperet ma-

1687.

Veneti copias ſupplent:

pecuniam parant.

Peſtilentia in Peloponneſo.

1687. malum, impoſito in naves milite, Pylum trajicere; ægris, quibus certas deſtinarat naves, juſſis tranſportari in Oenuſas inſulas, ubi homines & naves cuſtodirentur, ne quod iis commercium eſſet cum claſſe cætera. Ac non ſolum incolumes ſervati qui valerent; ſed etiam, ſimul tempeſtas rediit idonea ſuſcipiendis rebus, affecti jam partem maximam conſanuerant. Paucis, qui adhuc laborabant, ibidem relictis; tranſmittit Leucadiam inſulam, ſupplementum excepturus ſocioſque: qui tamen abſtinentes Græcia metu peſtilentiæ, in Illyrico operam Venetis tribuerunt. Concilium agitanti minime dubia deliberatio fuit quin aggrederetur arces Peloponneſi reliquas. Optimum ratus eſt, Patras primum oppugnare. Ergo profectus Leucadia, proxima Achajæ petit. Præſenſerat Turcici dux exercitus, non procul Patris caſtra metatus: armatos etiam diſpoſuerat in littore, ut prohiberet exſcenſione. Aditum unum neglexerat regione humili & paluſtri, ſatis magno ab urbe intervallo. Ea milites Veneti in terram cum deſcendiſſent; paulo poſt ſpe diſjiciendi incompoſitos, ala equitum incurrit ab latere. Sed inſtruxerat celeriter ordines Conigſmarchius: quare parvo certamine repulſi ſunt. Maurocenus, quia tutum non videbatur ire ad urbem oppugnandam, niſi prius hoſtem ſuperaret prœlio; numero autem copiarum erat inferior, nam vix octo millia recenſebantur peditum, equites mille & quadringenti: id ſedulo quærebat, quemadmodum conſilio adjuvaret vires. Loco valde firmo conſederat Turca: urbs ab tergo, a fronte muniebat palus; latera utrinque vallo ſepſerat foſſaque: commeatus vero ex Ætolia & Locride commode ſinu Corinthio ſupportabantur. Sitæ enim ſunt Patræ mille ferme paſſus a mari, non longe ab anguſtiis Corinthii ſinus. In ſummo arcem habent; ipſæ in clivo poſitæ. Modico inde ſpatio abeſt Rhium, Peloponneſi promontorium; ubi arx eſt in mare porrecta, imminens ſinus faucibus: huic autem ex adverſo objicitur promontorium Antirrhium, an-

Emota labe, Patras tranſmittit Maurocenus.

Exponit militem, nequicquam prohibentibus Turcis.

Situs Patrarum.

Rhium.

Antirrhiũ.

angulo Ætoliæ extremo, itidemque arx altera maritima; oſtio ſinus eas interjacente, quod paſſus patet paulo plus ſexcentos. Plurimum ad omnia intererat intercludi hoſtes commeatibus. Quocirca imperator Venetus, ſinum Corinthium redigere in poteſtatem ſtatuit. Adhibitus in id Adriatici ſinus præfectus Sanutus; additis triremibus Joſephi Bollani, Danielis Venerii, Federici Baduarii, Aloyſii Foſcari, Angeli Orii, & equitis Sicurii Zacynthii. Et Sanutus nocte, quæ diem anteceſſit X. Kal. Sext. nihil territus telis, quæ creberrima ab arce utraque incidebant, concitato remigio ſubiit, per paucis ſuorum amiſſis. Continuo trierarchi cæteri, exigua jactura remigum, ſinum invehuntur. Facta ſpes inde imperatori, non diu fore Turcis facultatem ibidem conſiſtendi: quanquam, oblata occaſione rei gerendæ, exitum ſpei ejus etiam maturavit. Ex Peloponneſio quodam ubi comperit, viam eſſe quæ ad eos ferret, longam quidem & difficilem, at qua nihil minus timentibus ſuperveniret: improviſum terrorem valiturum arbitratus, altero poſt die Conigſmarchium illac ducere ad hoſtes jubet. Uno tempore claſſicos milites exponit & centurias aliquot remigum; qui recta procedentes, ubi commiſſum ab Conigſmarchio eſſet prœlium, ab tergo ſe pugnantibus oſtenderent. Tacito ſigno profectus nocte Conigſmarchius, cum, qua Peloponneſius monſtrabat iter, circumduxiſſet agmen; vix dum orto ſole, repente illis apparuit. Adeo tamen ſubita res copiis fidentem ducem non perculit, ut imo equitatum, quo potiſſimum præſtabat, extemplo emitteret caſtris ad laceſſendam ultro pugnam: ipſe cum peditatu ſubſequebatur, totis viribus protinus congreſſurus. Et tanto impetu ſe ſe intulere equites, ut primos ordines impellerent. Vim ſuſtinuerunt objectæ actutum ab Conigſmarchio machinæ, tranſverſæ trabes, ferreis horrentes telis, quæ altitudine ſummum equorum pectus attingunt. Dum circa eas hærent barbari conantes perfringere: etſi deinde peditatus quoque ade-

1687.

Sinum Corinthium occupat Venetus.

Prælium committit cum Turcis.

1687. rat, ac jam utrinque affundebatur; Veneti tamen largo ignium & plumbearum glandium jactu repugnantes, ſatis æquabant certamen. Medio in ardore claſſiarios ab tergo appropinquantes conſpicatus dux Turcarum, exercitum alterum credens eſſe, metum cepit ne circumveniretur. Ac per principes ordinum edicit militibus ne porro progrediantur: quod imperium illico rem inclinavit. Majus nanque, quam erat, inſtare periculum opinantes terror ingens ſtatim occupat. Interim acriter cum premeret a fronte Conigſmarchius, claſſiariique ſimul in aciem poſtremam incurrentes præbuiſſent tumultum; ſoluti ordines ſunt: nec mora, relicto prœlio, terga vertunt. *Fugiunt Turcæ, & recipiunt ſe Corinthum.* Septingenti in pugna, multo plures in fuga occiſi: nam ad eos, quos aliquandiu ſecutus victor interfecit; plurimi, dum, qua via facilior ferebat Corinthum, præter littus illuc tendunt, e triremibus petiti ceciderunt. Capta ſigna militaria pleraque, in quibus vexillum magnum & caudæ equinæ; itidem tormenta, tabernacula, atque impedimenta prope omnia. *Patræ & Rhium deſeruntur:* Uno tempore qui Patras, quique Rhium tuebantur, cæcatis pavore mentibus, urbem atque arcem deſerentes, fugam & ipſi Corinthum intendere. Non dubitavit tum Maurocenus quin poſtero die tranſmitteret ad invadendum Antirrhium. Habebat caſtra in proximo Baſſa præfectus Naupacti; in iiſque millia armatorum haud minus ſeptem: quibus prohibentibus, nonniſi multo certamine videbatur Venetus facturus deſcenſionem. Veruntamen *inde Antirrhium.* claſſis appulſum turpi fuga antevenit, præ formidine diffiſus viribus; deducto prius præſidio ex arce, cujus partem, accenſo tormentario pulvere, disjecit. *Naupactus* Nihil cunctatus imperator Naupactum advertit naves. Ætoliæ urbs, in ora ſinus Corinthiaci, quinque ferme millia paſſuum diſtat ab Antirrhio. Colli inſidet; non altitudine ſolum tuta, ſed quod multiplici muro ſepta eſt cum arce in vertice, quæ nec vi nec munimento, fame dumtaxat obſidendo expugnari queat. At præter

ſpem

ſpem id quoque oppidum vacuum fuga cuſtodum jam 1687.
erat. Egreſſus itaque in terram Maurocenus, grates ibi *occupatur a Venetis.*
Deo perſolvit pro arcibus quatuor intra biduum occupatis; in quibus murales balliſtas majores invenit ad ducentas, ſuper apparatum alium bellicum vimque commeatuum. Piraticis quoque lembis quatuordecim in ſinu Corinthio potitur: prædonibus nanque receptaculum fere Naupactus præbebat. Thaddæus Gradonicus & Joſephus Maria Melius oppido præeſſe juſſi; Antirrhio Aloyſius Sagredus. Patris continuo templum in ſanctitatem vindicatum reſtituit D. Andreæ Apoſtolo, cujus eſt martyrio urbs celebris; præponitque Hieronymum Priolum & Joannem Grionum: Rhium inde Marco Barbadico & Hieronymo Theupolo dat tuendum; attributo præfectis ſingulis quantum ſatis videretur militum. Priuſquam vero reciperet hoſtis ex timore animos, trajicere viſum eſt ad oppugnandam Corinthum. Quare peditibus in naves impoſitis, eodem tempore Mau- *Maurocenus petit Corinthum.*
rocenus mari, terra Conigſmarchius cum equitatu ad Iſthmum proficiſcuntur. Eo delatus fuga imperator Turcarum, ſparſas copias collegerat circa arcem. Et, niſi virtus defuiſſet, vires ſuppetebant ad reſiſtendum: locus quoque egregie adjuvabat. Cum arx ipſa, in colle ſita edito, natura & munimento firma erat; tum cuncta circum opportuna repugnanti: regio aſpera & montoſa, crebri ſaltus, anguſtæque & difficiles viæ, quas pauci obtinentes arcere magnam multitudinem poſſent. Sed ab terrore nihil horum diſpiciens, ubi primum trepidi nuncii attulerunt, Venetam claſſem huc curſum direxiſſe; milite devocato ex arce, & incenſis quæ eo in tu- *Turca Corintho & Peloponneſo excedit.*
multu aſportari nequirent, tormentis autem diſruptis obturatiſve, raptim acto agmine, tanquam hoſtes ſupra caput eſſent, excedit Peloponneſo. Maurocenus Lechæum portum Corinthiorum cum appuliſſet roſtratas, de fuga illius cognoſcit. Hoc lætior eventu, quod ibi denique fiducia loci obſtiturum vulgo ſatis credebatur, exponit

1687. milites; Corinthumque progreſſus, Angelum Michaelium præficit. Clauſtra ea Peloponneſi ut cum cura tenerentur, validum deſtinat præſidium armatorum: datque ducem Aloyſium Cittadellam, qui voluntarius miles, poſt facta fortiter in Illyrico, præſertim ad Singum, ubi etiam acceperat vulnus grave, veniens inde in Græciam, pugnæ ad Patras interfuerat. Quoniam autem ab parte illa nihil reſtabat quod tentaret: traditis Conigſmarchio terreſtribus copiis prope omnibus, circumvehi claſſe Peloponneſum conſtituit; ut deinde Saronicum invectus ſinum, quod ſpes ſpopondiſſet, deinceps aggrederetur. Literas interea de rebus ab ſe geſtis ſcripſerat ad Senatum:

Victoria nuncii Venetiis.

quæ Venetias perlatæ quo forte tempore comitia habebantur majora, præter morem (nam in Senatu tantum ſolent) ibi recitatæ ſunt incredibili gaudio. Illico Princeps, omiſſis quæ inſtituerat, in templum D. Marci deſcendit, Senatu & multitudine alia patriciorum comitante, ad grates Deo agendas de victoria tam multiplici tamque inſperata.

Patres ſtatuam areã decernunt Mauroceno:

Factum mox ſ.c. amplum imperatori: *uti ei ſtatua area in armamentario Decemvirum poneretur:* quod vero decretum fuerat antea nemini, ut ex nomine adjectæ imperio provinciæ clarum cognomen viri & familiæ

Peloponneſiacum appellant.

fieret: *uti inſcriberetur titulus: Franciſco Mauroceno Peloponneſiaco viventi Senatus.* Ibidem captum ad Patras imperatorium vexillum Turcicum caudæque equinæ fixæ ſunt.

Conſiliariũ creant Petrum Maurocenum,

Lectus præterea Conſiliarius Petrus Maurocenus, imperatoris fratris filius. At quoniam præclaram hic patriæ navabat in armis operam; placuit non revocari, ſed in

& Hieronymũ fratrem ejus.

cum honorem ſubſtitui Hieronymum fratrem minorem natu, unico ad hanc diem exemplo in Civitate, ut egreſſus vixdum viceſimum primum ætatis annum Conſiliarius crearetur: qui tamen æquavit virtute dignitatem; nec multo poſt laudem tulit inſignem religionis, amplexus S. Benedicti inſtitutum, unde ob integritatis famam & ſapientiæ datus primum Tauriſanis, poſtea Brixianis Epiſcopus eſt.

Præmiis afficiunt

Tum patres munifici erga duces alios, addunt an-

annuo ſtipendio Conigſmarchii millia ſex argenteorum nummum. Principi Maximiliano Brunſvicenſi gemmam decernunt magni pretii; Turennio enſem gemmato manubrio. Evectus ſimul Corbonius ad honoratiorem militiæ gradum: cæteri, prout a quoque impenſa fuerat opera, præmiis aliis donati. Dum hæc Venetiis aguntur: Maurocenus traducta claſſe ad Chelonatem, Elidis promontorium contra Zacynthum; arcem cognominem, in rupe poſitam, Caſtrum Torneſium appellant, ſine certamine acceperat in deditionem. Inde Acritam circumvectus, Vitylum intrarat portum. Agitanti de Sparta oppugnanda, adſunt indidem, Baſſa permittente, aliquot ex primoribus, ultro dedituri. Arx eſt ad Eurotam fluvium in excelſo tumulo, Miſtra vocitant; proxime locum quo antiqua Sparta fuit, cujus ex ruinis condita dicitur. Regio circa alimentis frugifera cum primis: frumento, vino, bombyce abundat: egregia ibi fructuum & carnium copia. Accedit ſaluberrimum cœlum, & opportunitas multis circumjectis fontibus rivisque perennium aquarum. Veris initio arcem tentarat Nicolaus Pollanus præfectus Zernatæ, cum ſex millibus Leuctriorum; fruſtra tamen. Nam dulcedine prædæ ab cura oppugnandi ad vici populationem verſos Leuctrios aggreſſi ſubito Turcæ haud plus ſeptuaginta, fuderant fugarantque; non præda ſolum recuperata, ſed etiam armis captis, quæ illi unius ſalutis anxii, turpiter abjecerant. Tunc, nullo jam Turcarum exercitu in Peloponneſo, qui, ſi oppugnarentur, veniret auxilio; fracti animis, quas Venetus ferre mallet, leges ſubivere. Pactus autem eſt imperator, ut cum ſingulis excederent veſtimentis. Quod tamen ne ſtatim fieret, rumor impediit, fraude, ut fertur, Spartanorum ipſorum vulgatus, ſævire apud ſe morbos peſtilentes. Ejus mali metu viſum eſt nihil in præſens movere: arma modo atque equi adempti; edictumque, ut qui Spartæ, quique Bordugni eſſent, id eſt nomen exiguæ arci non procul Sparta, muris

1687.

Conigſmarchium & duces alios.

Caſtrū Torneſium deditur Venetis:

& Sparta

1687. ris ſe continerent: ubi primum ſedata foret peſtilentia, tum ut emigrantes inde, Peloponneſo exirent. Non ultrà moratus ad loca ea imperator, quo deſtinarat, navigare pergit. Dies aliquot circa Maleam promontorium retentus eſt ventis adverſis. Poſtea ingreſſus ſinum Argolicum, experiri ſtatuit, ſi potiri poſſet Epidauro Limæra; quæ urbs una, in inſula poſita, Laconiæ adhærens ponte, in poteſtate erat Turcarum. Præmittit primo, qui ex propinquo animos colloquio tentarent. Ubi tela in ſubeuntes effundebantur: vi acturus, maritimam oppugnationem admovet. Ac brevi quidem & pars muri, quo ad rupis radices vicus cingitur, & multa ædificia proxima muro diruta ſunt: conjectis ſimul globis igniferis, horreum, quod parum aberat, conflagravit. Cæterum adhibitus terror cum fruſtra eſſet, fidentibus Turcis munimento arcis, quam fame tantum expugnabilem in rupis ſummo habebant; res autem, ſi obſidere vellet, egeret mora: alia ſibi prævertenda ratus, inœpto abiit. Ibi Antonii Carattini Genuenſis navis, haud traditur certum quo caſu, incendio abſumpta; in eaque periere homines plus trecenti. Solvens inde, Cenchræas Corinthiorum portum, in ora ſinus Saronici, quatriduo poſt tenuit; quo paulo ante Venetiis venerant naves tres cum commeatu & modico numero militum. Coacto concilio vertebatur, utrum Chalcidem trajiceret, an Athenas. Omnino præſtabat tentari Chalcidem; quæ expugnata totam Eubœam inſulam traheret. Veruntamen ſatis non ſuppeditabat ad id virium; quas præterea, captis arcibus præſidio firmandis, aliquantum minuere neceſſe fuerat. Ergo viſum oppugnari Athenas. Haud temere creditur, niſi peſtilentiæ timor avertiſſet auxilia ſociorum; ac niſi Senatus, quas in Græciam decrerat copias ſubſiſtere in Illyrico ad Caſtrum Novum obſidendum juſſiſſet: Chalcidem non milite tunc, non operibus valde firmam, in ea inclinatione capi labore parvo potuiſſe. Tempore interpoſito, egregie

Claſſis Veneta in ſinu Argolico.

Tentatur Epidaurus Limæra.

Omittitur inceptum.

Athenas traiiciunt Veneti.

gregie munierunt rebus omnibus Turcæ, ut anno inſequenti ad irritum conatus caderet. 1687.
Maurocenus, milite impoſito in naves, objecta Atticæ littora petit: Piræumque ingreſſus portum exſcenſionem facit. Græcia Græciæ olim habitæ Athenæ appellatæque, diſciplinarum atque artium inventrices ſedeſque patria; ſeu magnitudinem urbis, ſeu ædificiorum elegantiam, ſeu populi multitudinem putare libeat, viſendæ in primis: nunc ex tanta gloria vix quidquam retinent præter nomen. Parvum oppidum eſt ſine muris. Collis impendet cum arce muro circumdata, cujus medio eminet templum Minervæ, ſtructuræ miraculum.

Athenæ quid hodie.

Urbe deſerta, ſimul ac ſenſere Venetum adventare, confugerant Turcæ in arcem.

Turcæ in arcem ſe recipiunt:

Vocanti ad deditionem imperatori cum minime paruiſſent: duabus ab partibus oppugnari cœpti. Et hinc Conigſmarchio, hinc Hieronymo Delphino urgentibus; quinque intra dies non parum decuſſum muri eſt.

quæ oppugnatur.

Acrius tamen, quam quis putaſſet, illi repugnabant. Cum munimentum loci, tum ſubſidii ſpes faciebat animos: pollicitus enim fuerat imperator exercitus Turcarum, qui abiens Corintho Thebas conceſſerat, ſi ab Veneto vis fieret, ſe in tempore adfuturum. Ac nihil quidem diſtulit, ubi circumſideri eos accepit, contendere in auxilium. Verum indiciis transfugarum præmonitus Maurocenus, maturavit occurrere; ut ne oſtendere quidem ille ſe obſeſſis potuerit. Commiſſum ab equitatu, quem obviam miſerat, in itinere prœlium: quod ipſum nullius certaminis fuit. Nondum mentibus barbarorum deceſſerat formido. Itaque primo concurſu fuſi, retro unde venerant, Thebas perfugerunt.

Occurrunt Veneti auxiliatoribus Turcis, qui Thebas fugiunt.

Sub hæc caſu incendiariæ ollæ disjicitur pars templi, ubi reponi placuerat pulverem tormentarium. Turba fœminarum & puerorum eodem ſe, tanquam in tutum receptum abdiderat: igitur permulti, alii incendio abſumpti, alii peſte alia fœde interierunt.

Templum Minervæ disjicitur.

Id tandem compulit ad deditionem. Exceſſere Turcarum millia plus tria, in quibus quingenti bello apti;

Deditio arcis.

Digitized by Google

1687. pti: quos omnes ſalvos, ut convenerat, navibus Smyrnam tranſportandos curavit imperator. Tormenta graviora octodecim in arce inventa: ac pro loco haud parum militarium rerum aliarum & commeatuum fuit.

Simulacra Leonis & Leænæ marmorea ad Piræum:

Inter cætera opera antiqua Græci ingenii, marmorea ſimulacra duo Leonis & Leænæ eximia magnitudine erant ad Piræum. Quod imaginem iſtiuſmodi præferunt Veneti Inſigne publicum; cenſuit imperator mittenda Venetias:

miſſa Venetias, in aditu Navalis ſtatuuntur cũ titulo.

patres autem collocarunt poſtmodo ad Navalis aditum, notis inſcriptis, quæ victoriæ monimentum eſſent & memoriam victoris ornarent. Arci primum præfecerat Hieronymum Delphinum cum idonea manu militum; negotio dato, ut ſtratos ruinis muros reficeret. Deinde cauſa effecit multiplex, quamobrem ipſe ibi hyemaret. Nam præterquamquod & commoda militi hyberna præbebat regio, & poſtulare præſidium validius videbatur expoſita eadem ad conatus terreſtres ac maritimos hoſtium: præterea, cum in conſpectu Peloponneſum haberet, auxilium, ſi quo opus fuiſſet, ferre inde celeriter poterat: agitantique animo in annum proximum Chalcidis obſidionem, facilis indidem futurus trajectus erat. Ne quid timeretur ab incurſionibus repentinis; a Piræo ad urbem crebra excitat caſtella. Cohortes duas Michaelio attribuit, quibus tutaretur Iſthmum Corinthiacum: Joannem vero Zagurium mittit cum quinque navibus maximæ formæ & militibus octingentis, ut in ſtatione eſſet ad Lechæum.

Mari certamen defugiunt Turcæ.

Mari hoc anno nulla ab Turcis occaſio rei gerendæ data Venerio, qui initio æſtatis navibus celſioribus ſeptendecim & quatuor incendiariis profectus in Ægæum fuerat. Diu vagatus, ſicubi obvius eſſe claſſi illorum poſſet, tributum interim accipiens ab inſulis, demum provehitur Rhodum. Eum in portum receperant ſe Alexandrinæ onerariæ metu ne in Venerium ipſum inciderent; quamvis non Afrorum modo protegerent naves, ſed etiam Gallorum & Britannorum, locata, ut ante, opera. Quinque continuos dies

contra

contra oſtium inſtructa claſſe ſtetit nequicquam Venerius: 1687. immittere etiam incendiarias eſt conatus; ſed prohibuerunt claudentes catenæ. Quamobrem, ne tempus ultra tereret, reverſus in Peloponneſum, ſe cum imperatore conjunxerat ad Epidaurum. Supero mari auſi Olciniatæ *Olciniatæ infeſti.* triremibus aliquot in Hiſtriam uſque prædatum excurrere. Æmoniam nocte appellentes exſcendenteſque ductu indigenæ, qui Chriſtiana ſacra rejecerat, Jo. Baptiſtam Barotium prætorem urbis oppreſſerunt. Quando, *Barotium prætorem Æmoniæ capiunt:* ut in re improviſa, vim repellere haudquaquam poterat; ipſe cum uxore, nubili filia, & incolarum nonnullis, captus eſt abductuſque Olcinium. Haud ita multo poſt placuit Senatui redimi eum aureis nummis quater mille, uxorem & filiam mille & quingentis: præ- *qui pretio redimitur.* fecto autem Illyrici permiſſum, ut reliquos permutaret cum captivis Turcis. Excipiunt geſta æſtate eadem in Illyrico. Principio veris fuit Singum in diſcrimine. Cupidus ejus recuperandi Atlaglicus Baſſa Boſnenſis, qui *Baſſa Boſnenſis tentat Singū.* poſſederat agrum in propinquo, novem ferme millia armatorum aliud ſimulans cum coegiſſet; famam adventus ſui prægreſſus, arcem repente circumſedit, operibuſque ac tormentis ab parte una oppugnare eſt adortus. Antonius Bollanus præerat cum delectis militibus quingentis. Ubi dierum complurium labore vix quidquam proficiebat Turca, nam præter ſpem valde reſiſtebant muri, aggeres autem præ copia incidentium ſuperne telorum haud facile admovebantur: ab parte ſimul alia oppugnationem inceptat. Primo nihil inexpertum a Bol- *Reſiſtunt incluſi.* lano relictum, quo opera hoſtium diſturbaret. Inde cum diu quaſſatus ruiſſet murus, impetum ſubeuntium impavide excepit; adjuvantibus, qua res poſtulabat, Marco Pizzamano tribuno & Borro armorum præfecto. Exitum incertum aliquandiu fecit Baſſa, integros feſſis ſubmittendo. Poſtquam gradu ſtabili obtinentes ruinam Veneti milites neminem inſcendere patiebantur, interficiebant plurimos: cædis magnitudine deterritus, conatu

1687. abſtitit. Dum latius ſternere nititur mœnia, obſeſſi autem repugnando pertinaciter, vallumque introrſus objiciendo

Cornelius properat in auxilium.

tempus extrahunt: auxilium tulit Cornelius. Sex millibus Illyriorum raptim collectis circa Cliſſam, eodemque accito Antonio Zeno cum equitatu quem regebat; Singum contendens, nocte ſuperveniente, quinque millia inde paſſuum ſubſtitit. Ibi exonerandis tormentis admonet Bollanum, ſe haud procul abeſſe. Læta res obſeſſis Baſſam perculit. Et quando majorem etiam, quam qui erat, numerum adeſſe hoſtium affirmabant, qui Turcarum vagabantur per agros: uſque eo diffiſus eſt viribus, ut illico machinas & tormenta referenda curaret in

Baſſa inde abit re infecta.

tutum. Continuo, præmiſſo peditatu, luce adhuc dubia, cum equitatu ſequitur ipſe tacito ſigno. Miſſi paulo poſt ab Cornelio expeditiſſimi Illyriorum, qui ultimos carpendo iter morarentur. Sed celeritate ille uſus, jam copias omnes Neſtum amnem trajecerat. Ita nullo

Cornelius cogitat Caſtrum Novum.

certamine liberata arce; curam eo intendit Cornelius, ut, quod a primo volvebat in animo, Caſtrum Novum redigeret in poteſtatem. Cum ſpem faciebat metus hoſtium, qui ne conſpectum quidem ſuum tuliſſent; tum illud incitabat, quod nuper comperiſſet, juſſum Baſſam ab Viſſirio mittere in Pannoniam quidquid exercitato-

Conſulit Senatum:

rum militum in Illyrico eſſet. Ergo non ultra diſtulit per literas Senatum conſulere: *Credere ſe ſe expugnari urbem poſſe: videre patres expugnatæ utilitatem: ſitam eſſe loco opportuno ad Illyrici littora tutanda, quippe faucibus prope ipſis imminentem ſinus Rhyzonici; ſedem eandem piratarum, qui infeſtum haberent latrociniis Adriaticum mare: inde gradum fieri ad expugnandas arces hoſtium ora ejus alias. Si illuc verti placeret bellum, decernerent aliquid veteranarum copiarum & pecuniam; facerentque poteſtatem ſcribendi quatuor millia militum ex Chulmia, quos ſciret libenter daturos nomina: ſe nulli rei defuturum, quæ operam ſuam poſtularet.* Probavere pa-

qui ad id auget copias ejus.

tres. Quod autem per eos dies accepiſſent, ſocios Melitenſes & Romanos ob ſuſpicionem peſtilentiæ recuſaſ-

ſe

ſe conjungi cum Mauroceno imperatore: per Joannem 1687.
Landum ab Pontifice, perque hunc ab Magiſtro etiam Ordinis Melitenſium impetravere, ut confeſtim navigarent in Illyricum. Bis mille & quingentos Germanos milites, quos in Græciam deſtinarant, Hiſtros præterea quingentos Cornelio mittunt, & cum his pecuniam commeatumque atque inſtrumentum bellicum aliud; facultate facta, quantum videretur armatorum, in provincia ſcribendi. Cornelius, habitis celeriter delectibus, conventum copiarum Spalatum indicit. Ut autem alibi interea tumultum ciendo tegeret inceptum; Zenum cum equitatu, & numero non parvo Illyriorum ex agro Jadertino & Sicenſi, incurſare jubet hoſtium terras ultra Neſtum. Ubi Spalatum venit; pene accidit ut au- *Cornelius Spalatum trajicit.*
xiliaribus Melitenſibus & Romanis uti non poſſet. Negabat Joſephus Herbeſteinius Melitenſium præfectus, licere ſibi per Magiſtrum ſuum, qui id vetaſſet, ductum *Controverſia ejus cũ Melitenſibus*
ſequi extra quam unius claſſis Venetæ imperatoris. Aliter videbatur legato, cui imperium eſſet in Illyrico ſummum. Providerat hoc Senatus. Quapropter ſcriptis ad Cornelium literis, permiſit ut ea in expeditione, ſi quod certamen exiſteret cum ſociis, inſignia ſumeret imperatoris: quæ tamen voluntas patrum antequam Spalatum perferretur, ultro citroque agitando, convenerat *componitur.*
inter ipſos; ut modico ſpatio disjunctæ claſſes tenderent, ne alter alteri videretur conceſſiſſe. Octo Melitenſium triremes erant, quinque Pontificis duce Camillo Ferretto; quibus duæ acceſſerant Civitatis Genuenſium. His triremibus omnibus milites mille & quingenti vehebantur: trecentos alios in Illyricum tranſportarant Venetæ naves, ab M. Hetruriæ Duce datos, qui mittere anno eo triremes nequiiſſet. Profectus Spalato Cornelius undeviginti triremibus, octo & viginti biremibus, navibuſque quatuor maximæ formæ, ac ſeptuaginta onerariis, Corcyram Melænam trajicit. Inde III. Kal. Septembr. ſolvens, quarto poſt die Rhyzonicum invehitur ſinum. *Cornelius ſinum Rhyzonicum intrat.*

1687. Contra fauces ſinus ejus ſitum eſt oppidum, tumulo impoſitum devexo in mare oblonga forma: mœnia cingunt antiqua ſtructura, cum turribus crebris. Partem ſuperiorem ab inferiore diſterminat murus: arcem illa loco alto ac præcipiti habet. Imminent circum colles. Eorum proximum centum & quinquaginta ante annis emunierant in arcem Hiſpani; qui juncti ſocietate cum Venetis, captam communibus armis urbem de Turcis, contra leges fœderis ſibi adjudicarant: quanquam paulo poſt Turcæ recuperarunt. Quatuor illinc millia paſſuum dextra parte intrantibus fit ſinus anguſtior, excurrente penitus in mare lingua, promontorium Combur appellant. Poſt hoc promontorium Veneti cum exſcendiſſent, ne recta porro pergerent, impedierunt aliquandiu Turcæ, qui opportuna ad prohibendum præoccuparant loca. A Melitenſibus denique & Romanis ſociis coacti, non ſine cæde utrinque, referre pedem; haud procul urbe ſubſiſtentes, pars ex colle, quem S. Venerandæ vocant, reliqui ex vico adjacente muris repugnando, tres dies vim ſuſtinuerunt: quarto tandem mœnibus ſe includunt. Tum San-Polus partem verſam ad orientem aggeribus aggreditur ac tormentis: qua ad ſinum pertinet, admovet Cornelius maritimum terrorem; quantum poſſent, ſubire navibus juſſis. Primis diebus, præterquam impigre reſiſtebant Turcæ non ſolum ex tuto emittendis telis, ſed erumpendo etiam in ſtationes; imbres quoque continui opera morabantur. Ubi paulum imbres remiſerunt, atrocior eſſe oppugnatio cœpit. Interim Chriſtiani aliquot, qui turrim unam cuſtodiebant, ad Venetos transfugiunt afferentes, brevi venturum auxilio Baſſam Boſnæ. Fidem faciebant interceptæ ſub idem tempus literæ ejus ad obſeſſos. Viſum propterea copiarum partem ab latere averſo urbis opponere, qua ducturum illum putabant. Biremibus ac triremibus transportatæ ſunt; appulſu arcere fruſtra conantibus Turcis: qui tamen non multo poſt ſe ſe effundentes portis, Meliten-

Situs & munimenta Caſtri Novi.

Veneti deſcenſionem faciunt.

Turcas in oppidum redigunt.

Oppugnare adoriuntur.

Eruptio Turcarum.

litenſium cohortem ſine ullius imperio audacius ſuccedentem ad muros perculerunt; plus centum, in quibus equites fuere Ordinis illius octodecim, cæſis aut vulneratis. Occurrit cohors Melitenſium alia; a qua profligatum prœlium integratum eſt, mox hoſtes in urbem redacti. Continuo excitatis aggeribus advectiſque balliſtis cura Jo. Baptiſtæ Calbi, Aſcrivii præfecti; inde quoque mœnia quatiebantur. Hoc ſtatu oppugnationis, adventus Baſſæ trepidationis intulit nonnihil. Huſſeimus is erat, poſt rem male geſtam ab Atlaglico ad Singum, in eam præfecturam ſuffectus. Haud plus quatuor millia adduxerat militum. Cæterum homo vecors præcepſque in conſiliis, ratus ſe per medios Venetos in urbem penetraturum, ſi unam illico in partem impetum daret; decurrens ſubito ex montibus irruit in proximam munitionem. Nec ſuſtinuerunt, qui præſidebant. Pulſi loco terga vertunt: cumque pavore ac tumultu caſtra impleſſent, jam nuſquam tolerabilis vis accidebat barbarorum. Et accipi potuit clades, ni ad reſtituendam pugnam primo Franciſcus Grimanus præfectus caſtrorum, inde cum Illyriis voluntarius miles Bernardus Barbarus, poſtremo Cornelius cum equitum ala, cui ſe ducem præbuerat voluntarius miles alius Joannes Lauredanus, convolaſſent. Hi, ubi plurimum laboraretur, coram ſemet offerentes, paulum ſtatim retuderunt prementem ferociter Turcam. Mox, qui paulo ante trepidi ceſſerant, duces ipſos dimicantes conſpicati, vincente metum pudore, & ii redierunt in prœlium: ac velut alii repente facti, tanto ſe ardore concitaverunt in hoſtem, ut is procellæ tolerandæ impar eſſet. Verſa tunc in victores formido ab victis: qui effuſe fugientibus aliquandiu cum inſtitiſſent, admodum multos occiderunt, non paucos vivos cepere, ſeptem militaribus ſignis ademptis. Auxilii ſpe inciſa, ad deditionem vocat incluſos Cornelius: quo autem terreat magis, ex aggeribus ferme injunctis muro præfixa in haſtis capita oſtendit cæſo-

1687.

Huſſeimus Baſſa venit auxilio.

Venetos adoritur.

Primo tumultum præbet:

inde funditur & fugatur.

1687. cæſorum. Ubi obſtinatos ſenſit; oppugnare vehementius
Oppugnatio acrior. adoritur. Agreſtibus vero nunciantibus, ab Albaniæ Baſſa
copias comparari ad ſolvendam obſidionem; Petrum
Duodum cum majoris formæ navibus invehi jubet lit-
toribus Olcinii, ac deſcenſionem ſimulare: quæ res diſ-
jecit extemplo illius conſilium, averſis populis, quos
conciverat, ad Olcinium ipſum tutandum. Et ruina in-
gens nudarat jam oppidum. Veruntamen locum muri
cumulatum ſtrage, vix ſperabatur, militem inſcenſurum.
Eo admoveri viſum cuniculos: quod opus plenum dif-
Venetorum labor in cuniculis agendis. ficultatis fuit. Nam & rupes ferro invia retardabat fo-
dientes, & superne Turcæ vario genere miſſilium uſ-
que inceſſebant; ut quotidie permulti vulnera acciperent
aut interirent. Dum aguntur cuniculi, cum vigeſimum
quintum diem oppugnarent exitu ancipiti; evenerunt
non una, quæ ſpem cito potiundi accenderent. Pri-
mum ex improviſo a Borro turris occupata, qua arx
Turrim unam atque alteram capiunt. ab urbe intercludebatur: deinde turrim aliam, non pro-
cul a mari, ubi multum erat tormentarii pulveris, im-
bellisque turbæ fœminarum & puerorum, diſſiliens glans
ignifera incendit ac diſcuſſit; plus centum & quinqua-
ginta eorum abſumptis: poſtremo Chriſtiani Albanenſes
duo clam ex oppido ad Cornelium venientes affirma-
bant, *magnum intus pavorem eſſe, nec paucos deditionem ſpe-
ctare:* tum pollicebantur, *non exiguum numerum popularium
ſuorum, qui mercede ab Turcis conducti ibi militarent, indu-
cturos ſe ad tranſitionem faciendam.* Benigne accepti dimiſ-
ſique a Cornelio cum promiſſis, nocte in oppidum cum
rediiſſent; aliquot poſt horis ducentos & quadraginta in
Albanenſes 240. ad Venetos tranſfugiunt. caſtra Veneta ſecum adduxerunt. His rebus fiducia cre-
vit impenſe oppugnantibus. Quocirca, quanquam fo-
diendo ſatis alte penetratum nondum erat; placuit ta-
men ſulphureo pulvere compleri cuniculos ſuccendique.
Veneti oppidum armis adoriuntur: Continuo ab partibus duabus fit impetus. Læva Vene-
tus miles, dextra Melitenſes ſubiere. Ac Veneti quidem,
graviter connixi ſcandenteſque, turrim etiam propin-

quam

quam extemplo capiunt. Melitenſium fuit fortuna diſpar. Semel atque iterum repulſi, poſtremo inſcenderant: at quando decurrere inde loco prærupto atque obſepto non admodum audebant, neque conſiſtere in ſumma ruina poterant præ multitudine intermicantium telorum; conatu irrito abſceſſerunt. Parte alia perſtabant in incœpto Veneti: nec longe aberat quin vaderent in urbem: ſed caſus impediit. Nauta quidam Melitenſis, duodecim aliis ſequentibus, evaſerat in vicinum propugnaculum; ibique vexillum defixerat triremis ſuæ. Ut temere ſe cognovit progreſſum, jamque confertum hoſtem inſtare; vexillum avulſum alte ferens, fugam arripit cum ſociis: quos tamen adeptus ille, priuſquam reciperent ſe in tutum, omnes occidit. Interim Germani milites, qui accedere protinus ad ruinam juſſi fuerant, arbitrati deſperatam rem eſſe, eoque vexillum trepide referri, ſubſtitere: ut deinde auxilio deſtituti Veneti, in quos vires omnes verterant obſeſſi, turrim quam occuparant, retinuerint vix ægreque. Exitu nihilo meliore poſtridie ejus diei ab Illyriis tentata irruptio eſt. Spe prædæ accenſi, quam eis ſe donare edixerat Cornelius, ſi primi in urbem penetraſſent; per media tela atque ignes ruinam ſupervadunt. Viſa ex proximo objecta introrſus munimenta, & ſtipari ordines ſuperſtantium armatorum terruere: quare levi certamine ab Turcis depelluntur. Tum etiam, ut anno priore ad Singum, fuit forte facinus Samnitium. Nam paulo ante occaſum ſolis impavide ſuccedentes, cum tranſcendiſſent in oppidum, e ſtatione una, mox altera Turcas dejiciunt: illinc autem infeſti ſtationibus aliis, plurimum tumultus ac pavoris noctem totam præbuerunt. Adveniente luce, is dies fuit a. d. prid. Kal. Octobr. in eo erat res, ut denuo darent impreſſionem; paratique atque inſtructi ad repellendos, præſidii robur, ex adverſo ſtabant: cum repente accidens clamor, captam ab tergo urbem eſſe, alio mentes oculoſque avertit. Qui turrim cuſtodiebant, in-

1687.

Rejecti poſtero die impetum fruſtra renovant.

Samnites invadunt demum in oppidum.

Turcis proditur Venetis.

1687. ingentis magnitudinis, ad mare verſam, per occulta colloquia pacti mercedem, prodiderant. Conſpectis illic Venetis ſignis, tum vero obſeſſi conciderunt animis; ut ſine mora Baſſa mitteret ad Cornelium caduceatores, qui

Oppidi deditio.

diſceptarent de deditione. Petentes, ut milites atque oppidani abirent portantes ſecum quæ quiſque poſſet, impetrarunt. Bis mille egreſſi ſunt & duceenti; in quibus milites ad ſeptingentos, cum mille & quingenti antea fuiſſent. Potitur Venetus ſeptem & quinquaginta tormentis æneis majoribus, copiaque alia bellicorum inſtrumentorum, & commeatuum. Datus qui præeſſet urbi Hieronymus Donatus cum valido præſidio; tum refici utrinque mœnia cœpta. Interim Venetias ab Cornelio literæ perveniunt. Facta Deo ſtatim a Principe & patri-

Cornelius creatur Proc. Marcius.

bus gratulatio eſt: inde præmium decretum Cornelio, procuratoris Marcii dignitas ſupra numerum: mox duces remunerati alii, ut fuerat quiſque meritus. Hæc Ve-

In Pannonia, Buda pene proditur Turcis.

neti eo anno. Cæſaris proſperæ haud minus in Pannonia res fuere. Adjuvit primum fortuna, ne Buda per fraudem amitteretur. Subcenturio quidam ibi erat, nomine Finckius de-Finckeſtein ex Ducali Boruſſia; qui in ejus urbis obſidione præſtiterat egregiam operam. Huic in partienda præda Turcæ captivi obtigerant quatuor: iis autem, ut ferunt, inſtigantibus, ſpe magnæ mercedis miſerat ad Baſſam Albæ Regalis, qui per ſpeciem colloquii de permutandis captivis, agerent de urbe prodenda. Jam convenerat pretium: cujus etiam parte a Baſſa numerata, obſtrinxerat per literas fidem, ſe ab loco, cui certo tempore præponeretur, Turcas accepturum. Interprete literarum forte uſus Baſſa eſt milite

Proditio detegitur in tempore:

Germano: qui biduo poſt redemptus cum ad Jaurini præfectum rem detuliſſet, is vero ad Cæſarem; illico mandata venerunt ad Budæ præfectum, ut de ſcelere indicato quæſtiones acres exerceret. Comprehenſus e veſtigio ſubcenturio, atque una Pannonius quidam, qui literas Baſſæ ad illum tunc perferebat, conſpectum tor-

toris

1687.

toris verberumque ſuſtinuerunt. Tormentis admotis, nihil ultra exprimebatur quam: verba ſe Turcæ dare, quæſita per dolum pecunia, voluiſſe. Cæterum flagitium ſatis prodentibus literis, ſumptum de utroque eſt ſupplicium: cadaverum etiam diſcerptorum artus ea parte murorum ſuſpenſi, qua fuerat compoſitum de hoſte inducendo. Sub idem tempus conjurationes alibi deteguntur, Eperiis præſertim & Caſſoviæ; quas Tekelius ab Temeſvaria varie ſolicitando animos conflarat. Statim conjecti in vincula qui præcipue in noxa eſſe viderentur: cumque cruciatuum metu conſcios nominaſſent, damnati judicio ſunt, raptique ad ſupplicium omnes.

…nt & Eperiis ac Caſſoviæ.

Adulto vere Lotharingius Strigonium profectus, collectis copiis Cæſaris auxiliiſque, ut jam ſexaginta millia militum eſſent, ducere protinus ad hoſtem non dubitavit; quem ſi prœlio uno afflixiſſet, reliquas Pannoniæ arces per otium ſe ſubacturum, prorſus fideret. Stativa tunc habebat Viſſirius inter Dravum Savumque amnes, non longe ab Petro-Varadino; injeceratque Iſtro flumini pontes. Quamvis, auctis per hyememe viribus, numerum ſeptuaginta millium expleſſet; tamen ita apud ſe conſtituerat: utra in Pannonia occaſio oſtenderetur aliquid ex tuto aggrediendi, non deeſſe fortunæ; verum nuſquam deſcendere in certamen æquum, perque ludificationem hoſtis æſtatem extrahere.

Lotharingius ad hoſtem ducit.

Ubi audivit, ab Strigonio moviſſe Germanos ac præter ripas Iſtri ad Murſæ pontes contendere; extemplo Murſam procedit: locumque haud inde procul nactus idoneum ad muniendum, caſtra ita facit, ut eſſet urbs ab tergo, latera utrinque tuta præſtarent flumen ſaltuſque: a fronte autem foſſam objicit atque aggerem, centum ſuperimpoſitis tormentis.

Viſſirius ad Murſam conſedit.

Paucos poſt dies Lotharingius ad Dravum cum perveniſſet; modico ab Murſa intervallo copiis tranſductis, ac prope in conſpectu hoſtium locatis caſtris, moram nullam interpoſuit educendi in aciem. Poſtquam continebant ſe intra vallum; tormentaque mo-

Prælium detrectat.

1687. do exonerabant in adverſos: levis armaturæ equitibus ſubinde juſſis ſuccedere, tentat ſi evocare paulatim ad pugnam poſſet. Ac manipulis aliquot eorum per occaſiones erumpentibus, medio in campo exigua per excurſiones prœlia commiſſa: ſemel etiam inferior Germanus equites amiſit ad trecentos. Cæterum cum univerſam dimicationem utique detrectari appareret: quando nec parvo periculo tam validis munitionibus vim afferre, nec diu conſiſtere tractu inopi ac paluſtri poterat; conſilio ratus graſſandum, biduo poſt cedere inde ſtatuit: ſatis ſperans, ſi hoſtes perlicuiſſet ad inſequendum, in æquum ſe tandem excepturum. Quamobrem Dravo rurſus trajecto non ſine certamine, quippe parte Turcici exercitus carpente agmen ultimum, cui Bavariæ Dux præerat: recipit ſe ad Anamaſciam, ſeptem fere ab Darda millibus, Mohatium appellant, ibique caſtra metatur. Haud fruſtrata ducem ſpes eſt. Elatus enim ea re Viſſirius, qui expreſſam jam putaret Germanis confeſſionem, non eſſe ſe pares viribus, poſt paulo Dravum & ipſe tranſgreſſus, ad Dardam regione munita conſedit. Alere tunc de induſtria errorem Lotharingius: motiſque ab Anamaſcia caſtris, dum proxima Ziclos paventis in modum, cæteroqui agmine ad pugnam inſtructo, petit; abductum ab Darda inſultantemque pertraxit ad prœlium. Prid. Id. Sext. inter Anamaſciam & Harſam, ſic vocant, montem, depugnatum eſt: quem locum ante annos centum ſexaginta unum ingens Pannoniorum clades, & regis eorum Ludovici II. nobilitarat mors. Prima luce vixdum iter ingreſſi Germani erant, cum præmiſſa ab Viſſirio decem millia equitum & quinque millia Janiſſarorum ab tergo apparuere. Repente converſis ſignis Dux Bavariæ, qui & tunc ducebat agmen poſtremum, cum iis conſerit manum. Quod ubi accepit Lotharingius, qui primum agmen regebat; miſſo illico in auxilium Piccolomineo cum millibus aliquot equitum, mox ipſe robur omne exercitus in hoſtem vertit. In

Lotharingius Dravũ trajicit.

Caſtra ponit ad Anamaſciam:

Inde prolicit hoſtem ad certamen.

Pugnatur ad Anamaſciam.

re

Digitized by Google

re ſubita Viſſirio, qui arbitratus ſe fugientes perſequi, 1687.
ſolutis fere ordinibus ibat, ſpatium non fuit inſtruendi ab omni parte ſuos. Haud defecit animo tamen aut conſilio. Quæ pro tempore arte belli ſecunda ſuis effici poterant, ſtatim imperavit: ſæpe ipſe verſatus in media mole pugnæ, dimicantes hortando, pariterque obeundo pericula, ſuſtinuit vim Germanorum; omiſſum etiam alicubi prœlium reſtituit. Aliquandiu tenuit ambigua ſpe certamen. Sed cum haud facile perferrentur imperia ejus, ut exercitu incompoſito; interim Lotharingius & Dux Bavariæ tota acie volitantes, nuſquam ſinerent impetum remitti: tumultus injectus eſt. Continuo urgentibus acrius Germanis, impelli maxime equitatus Turcarum cœpit; indeque factum fugæ initium. Nec deſerti ab equite ultra reſtiterunt Janiſſari. Cædes itaque erat, non prœlium. Ad octo millia interfecti: non paucos, dum curſu præcipiti Dardam contendunt, hærens in terga victor occidit. Magnum præterea numerum, partim fracto ponte, quem conferti prægravabant, ruentes, partim aquam ingreſſos ut nando evaderent, gurgites hauſere. Ægre elapſus Viſſirius, inventa navicula, qua in ripam alteram profugeret. Præda dives ac multiplex fuit: octo & ſeptuaginta tormenta; vis machinarum aliarum & commeatuum omnis generis; millia complura jumentorum, equorum præſertim boumque: ad hæc pecunia grandis, vexilla, tentoria, ac tabernaculum Viſſirii, quod paſſus non minus quadringentos in orbem patebat; in eoque pretioſa ſupellex varia. Ab Germanis circiter mille in prœlio cecidere: ſauciati plures, inter quos Princeps Comercii nobileſque duces alii; præſertim vero Dux Bavariæ, cui manum dexteram telum transfixit. Quatridui haud plus quiete data exercitui, Lotharingius uti inſtitit victoria. Sex millia equitum, quindecim millia peditum Dunevvaldio legato attribuit, qui junctis copiis cum præfecto Croatiæ Erdedo, arces hoſtium invaderet ultra Dravum amnem. Ipſe exercitu

Turcæ vincuntur;

cum magna cæde.

Præda ingens Germanorum.

Lotharingius copias dividit:

1687. triginta ferme millium tranſgreſſus Iſtrum, ire ad Tranſylvaniam occupandam pergit. Decreverat præter Iſtrum aliquantum ducere, quo commodius ſupportarentur flumine victui neceſſaria; ſimul ut Temeſvariam petentis ſpeciem præberet Turcis. Quando inviæ paludes obſtabant; etenim auctum imbribus flumen, effuſumque ſuper ripas, omnia circum inundaverat; flectit ad Segedunum. Zolnochium illinc cum veniſſet; viam offendit aſperam & difficilem propter ſaltus crebros, vaſtaſque ſolitudines & avia commeatibus loca. Vicit tamen cuncta militum patientia, qui certam victoriam animo deſpondiſſent. Interea miſerat ad Abaffium Principem Tranſylvaniæ, qui poſtularent ut Germanis hyberna concederet. Poſtquam Abaffius tergiverſabatur; perque legatos cauſando timorem ab Turcis, atque extenuando opes ſuas, tum querendo regionis præſentem egeſtatem, id agebat unum, ut quamminimum reciperet Germanorum: ingreſſus fines, ibique arce una atque altera potitus, ad Claudiopolin accedit. Clauſæ erant portæ; abnuebatque præfectus aperire injuſſu Principis ſui. Ubi parabatur vis; metu coactus Abaffii militem emittit: continuo tria millia Germanorum ſub ſignis urbem intraverunt. Claudiopolis exemplum urbes ſecutæ arceſque nonnullæ. Quod ut intellexit Abaffius, petit protinus Cibinium, Hermannopolin appellant, regionis caput; oppidanoſque arma jubet capere ad impetum, qui immineret, arcendum. Recuſantibus illis, qui neutiquam pares ſe bello cernerent adverſus exercitum victorem: abiens inde in arcem aliam ſe recepit, Fogaratium dicunt, ultra fluvium Alutam. Tunc per deditionem potitur Cibinio Lotharingius; ac paucos intra dies, accipientibus imperium populis, Tranſylvaniam univerſam Cæſari adjecit. Non multo poſt tamen per internuncios convenit inter eum & Abaffium: *ut Abaffius annuum tributum penderet Cæſari: ut tuto ibi hyemaret Cæſaris miles; hujuſque præſidiis arces cuſtodirentur: liberum uti eſſet Tranſyl-*

Ipſe tendit in Tranſylvaniam.

Claudiopolin occupat:

inde urbes alias:

tum Cibinium, totãque Tranſylvaniam.

Cum Principe Abaffio paciſcitur.

ſylvanis Cibinio urbibuſque aliis excedere: uti Abaffius pater 1687. *& filius ejus natu major, quem ſibi declararat ſucceſſorem, retinerent antiquum imperium: vetera jura ut Cæſar populis ſervaret; neve, quod attineret ad religionem, quidquam novaretur*. Quo tempore hæc ab Lotharingio agebantur: Dunevvaldius, quem aliquandiu Dravus tenuerat incitatus pluviis, denique ad Virovinitiam trajecto flumine, Butſchinum, arcem loco excelſo ac prærupto poſitam, bidui ferme itinere illinc diſtantem, vi atque operibus redegerat in ditionem. Murſam porro ducit: quam priuſquam tentaret, Valponem, non magno inde intervallo, aggreditur. Triduum cum oppugnaſſet; arce in deditionem accepta, cognoſcit, Murſa ceſſiſſe hoſtes. Ergo præſidio deſtinato militum duum millium & quingentorum, præpoſitoque Aſpremontio legato: continuo in Slavoniæ interiora flectit; id regioni eſt nomen, inter Savum Dravumque flumina. Et ſunt ibi arces permultæ ſitu atque arte munitæ; ut ſi tormentis operibuſque oppugnare ſingulas neceſſe fuiſſet, utique iis viribus, quas afferebat, non videretur expugnaturus. At terror tantus milites Turcas, qui tuebantur, gentemque pariter omnem ceperat, ut quacunque pergeret, vix ſentiret ſe eſſe in hoſtico. Deſerta cuſtodia, pars receperant ſe in tutum ultra Savum, cæteri in montes perfugerant ſaltuſque. Itaque cum oppida arceſque alias, tum urbem principem regionis ejus Poſegam, ad Oriaruam fluvium, occupat Germanus ſine certamine. Fœdum annum tot cladibus foris, fecerunt Turcæ fœdiorem domi ira & ſeditione. Principium turbandi in caſtris ortum. Poſt rem male geſtam ad Mohatium, Viſſirius diſſipatos fuga milites collegerat circa Murſam. Inde Petro-Varadinum cum veniſſet; de Agria ſolicitus quæ dudum obſideretur, mittere illuc decem millia equitum conſtituit, qui per munimenta Germanorum penetrantes, frumentum in urbem folliculis importarent. Metu detrectare imperium equites; cauſamque prætendere, *quindecim menſium*

Dunevvaldus ultra Dravum rē proſpere geſſit.

Valpone potitur, & Murſa.

Slavoniæ arces multas capit.

Seditio in caſtris Viſſirii.

ſtipen-

1687. *ſtipendio ſe fraudatos*: quæ ſerpens paulatim querela, exercitum deinde omnem pervaſit. Una vox totis caſtris vagabatur flagitantium ſtipendia debita; eoque evaſerat procacitas, ut dux ſeditioni jam quæreretur. Et inventus eſt demum, Siauſius Baſſa, homo vehementi ingenio ac vetus miles, qui paucis ante menſibus ſeditionis auctor in Aſia veniam ita impetrarat ab rege, ſi in Pannonia cum quatuor millibus armatorum militaret. Is gravate primum delatas ab exercitu partes viſus ſuſcipere. Deinde plenus animi ad Viſſirium adit; & illius nomine vim poſtulat immanem pecuniæ, quæ tamen pars ſolum eſſet ſtipendiorum non præſtitorum. Tametſi facinus temerarium valde commorat Viſſirium: nihilominus callide diſſimulata ægritudine, ut ſeditionem leniret, *ſe ſine mora, quod militi deberetur, perſoluturum*, reſpondit: *propoſuiſſe præterea trium menſium ſtipendium ante diem numerare, mercedem laborum quos æſtate illa toleraſſent, ſolatiumque pro amiſſis in pugna commilitonibus*. Miti reſponſo crevit Baſſæ audacia: itaque ad maledicta converſus, ſuperbe increpat: *publicam eum pecuniam interverti ſſe, qua ipſe diteſceret: imperitum belli Ottomanicam rem prope traxiſſe in exitium: indignus qui adminiſtrationi ſummæ præeſſet, quin traderet ſibi vexillum prophetæ, arcanumque anulum deponeret*. Perſtare Viſſirius in diſſimulatione injuriæ: *quæ accepiſſet inſignia honoris ab rege, huic*, dicere, *ſi repôſcat, æquo animo redditurum*. Tum per artes alias atque alias id ſedulo curare, ut tumultum utcunque ſedaret in noctem inſequentem: qua ipſa, viam hanc unam proſpiciendi ſibi ratus, tacite Iſtro navigans Taurunum, inde Conſtantinopolin contendit. Datis ante literis præmonuerat Vicarium ſuum; proque mutua amicitia rogarat, ut adverſam prœlii fortunam ſolerter apud regem excuſaret: *militum ignavia factum, ut ea calamitas acciperetur: neceſſitate ſe coactum vita dignitatique ſua conſulere contra furorem exercitus, qui rupta ſacramenti religione, quidlibet audere adverſus imperii majeſtatem paratus eſſet*. Attamen,

Viſſirius fugit Conſtãtinopolin.

tamen,

tamen, ubi pervenit Conſtantinopolin, tanquam crimini obnoxius, juſſus eſt abſtinere publico. Haud ita multo poſt deſtinati legati ſex ab exercitu literas afferunt teſtatas manu eorum, qui loco & auctoritate præſtarent: quibus literis graviter querebantur per ſummam fraudem intercepta ſtipendia ſua; ſimul autem flagitabant, ut, Viſſirio ac Vicario ejus honore adempto, Siauſius Baſſa & Cuperlius affinis hujus ſurrogarentur. Dum ſuper re tanta primores conſultant, quid facto opus ſit: jam Siauſius exercitu univerſo Conſtantinopolin feſtinabat, ut præſenti terrore ſubigeret ad illa, quæ poſtulabantur, aliaque concedenda. Nunciatum id regi curam multo majorem injecit; ut qui a multitudine tumultuante, ſi in urbem induceretur, ne ſibi quidem tutum quidquam provideret futurum: deerant enim vires, quas illico objiceret. Quare modis omnibus avertere conatur periculum. Ac primo obviam mittit, qui verbis ſuis milites edoceant, *probari ſibi quæ in caſtris acta eſſent: habituros prepediem quidquid peterent: interim in Pannoniam redeuntes, pro virtute proque fide quam ſemper præſtitiſſent, imperii protegerent fines*. Ubi nihilominus adventabant, inſignia dignitatis deferri jubet ad Siauſium, necarique Viſſirium Suleimannum; arbitratus, ita tandem exſatiata cupiditate ducis atque odio militum, finem ſeditionis fore. Hoc quoque nihil cum profuiſſet, appropinquaretque exercitus: minis, promiſſis, precibus nititur efficere ne urbem intrent. Sed vecordi furore acti uſque eo non paruerunt, ut & urbem intrarent, & ſuccedentes ad regiam ſtreperent, *non eſſe miſeriarum modum;* perſonarentque, *non ante futurum, quam in locum Mahumetis rex alius crearetur*. Excanduit rex, ut voces has audivit: & ab rabie conſilium ſecutus immane, fratres duos Suleimannum & Achomatem parat de medio tollere, quorum alterutrum creaturos regem pro certo eſſet. Ne ſcelus exequeretur, obſtitit in tempore occurrens Buſtagni Baſſi, ſic vocant curantem regios hortos. Cum autem medita-

1687.

Eadem contendit exercitus.

Metus regis.

Viſſirius necatur.

Milites urbem intrãt: regem aliũ depoſcunt.

1687. ditatum parricidium fraternum protinus emanaſſet; pernicies illi eſt maturata. *Conjuratio in regem:* Conjurant inter ſe Cuperlius & præfecti duo Janiſſarorum atque equitum, ut Mahumeti regnum abrogent, inque locum ejus ſufficiant fratrem Suleimannum. Nec difficile fuit antiſtites ſacrorum adducere in ſententiam, *unum hoc remedium eſſe, quo malis tantis obſiſteretur*. Itaque eunt una in Meſchitam maximam, opem divinam imploraturi quæ fortunaret inceptum. Mox Nachitius Effendus, princeps illorum, qui ferrent ſe ſe ab Mahumete Turcicæ ſuperſtitionis conditore oriundos, longo ſacrificulorum ordine comitatus ad regem venit: mollia præfatur: palam denunciat inde, *poſci ab exercitu regem alium*: hortaturque, precibus etiam admixtis, *tempori cedat*. Homo vitio ingenii in iracundiam præceps, altus in ſuperbia & tyrannide, cujus lubido pro lege undequadraginta annos, tot enim regnarat, fuiſſet, ibi fremens frendenſque, ultionem, quo rapiebat dolor, ſtatim ſpectare. At quando vana ſine viribus ira erat; converſus ad querelas, merita numerat ſua: *ut recte adminiſtraſſet Imperium; ut Cretam in primis, & Cameneciam addidiſſet: tandem, quod regnum a puero legitime poſſideret, delatum ſibi non tam militum prærogativa, quam jure ſanguinis & naturæ, eo ſe ſpoliari, quod* *qui regno exuitur.* *fas eſſe?* Veruntamen ita conſtanter egit Nachitius, ut ad ultimum depoſita ferocia, ſpeque omni abjecta, contra non ultra tenderet. Regno exutus, deſtinatis ædibus con- *Succedit Suleimannus.* cluditur, in quibus exigeret ætatem reliquam. Accitur continuo Suleimannus, qui gratior ut eſſet militi plebique, nomen ipſum faciebat, ob memoriam Suleimanni II, quo potiente rerum, opes Turcarum in immenſum creviſſent. Mutato rege, non ideo tamen tumul- *Anguſtia pecuniæ.* tus ſublati. Quod deerat in publico pecunia, quæ perſolveretur in ſtipendium exercitui, nedum erogaretur donari ſolita ab regibus imperium occipientibus: huc erupit militum indignatio, ut paſſim per divitum domos perque tabernas diſcurrerent prædatum. Reſiſtentibus dominis,

Digitized by Google

1687.

Novi Viſſirii artes.

minis, cum multa ederentur avaritiæ & crudelitatis exempla: malum ut ſiſteret Viſſirius, hujuſmodi ab neceſſitate iniit conſilium. Locupletes permultos jubet comprehendi claudique carcere, quibus libertatem redimentibus pretio, confecit pecuniæ non parum; eamque dilargitus illico, militem ab licentia avertit. Cæterum ob inopiam ærarii dies paucos duratura videbatur quies: quare, ut quiſque erat turbulentiſſimus, ita maxime hunc amandare procul per cauſas alias ſtatuit; opinatus, ducibus ademptis, militem in officio permanſurum. Haud fefellit centurionem quendam, nomine Fetfagium, quem primum eſt aggreſſus, ut cum imperio mitteret Babylonem. Hic nanque diu cum recuſaſſet; ubi inſtare acrius Viſſirium vidit, fuga arrepta, clamitans, *porro quivis a fraude caveret*; tumultum excitavit ingentem.

Periculum eius.

Atque ſtatim in diſcrimine Viſſirius fuit; ut anxius comprimendæ ſeditionis, quæ concitata turba poſtulabat, concederet e veſtigio: erant autem, *ut Cuperlius, qui auctor conſilii ejus vulgo ferebatur, relegaretur Cydonem*; *utque ſuſpecti alii, atque inviſi ſibi, inter quos ſacrificulorum princeps, munere privarentur, ſuffectis aliis partium ſuarum*. Vixdum ea cura liberatus, de integro offendit corruitque.

Tumultus ingens:

De pecunia comparanda in uſum belli ſolicitus, inter alia imperarat tributum grave, nummum aureum in ſingulas familias. Tunc enimvero commotus eſt populus univerſus. Tumultuoſe cum adiiſſent ad regem, acerbe de Viſſirio conquerentes; rex accitum ad ſe interrogat: *ecquod iſtiuſmodi onus impoſitum ſub regibus prioribus fuiſſet?* Negante Viſſirio, & culpam falſo conferente in centurionem qui ire Babylonem paulo ante abnuerat, atque in Halium præfectum equitum, improbum ac ſeditioſum utrumque; a quibus inſtigati milites coegiſſent tributum indicere novum & intolerandum: abominatus rex conſilium, dat Janiſſarorum præfecto mandata de centurione atque Halio e veſtigio occidendis. Ac centurio quidem captus confeſtim, ſuffocatur. Halius autem

1687. domi non inventus cum periculum evaſiſſet; calumnia petitum ſe paſſim vociferans, ſic accendit milites, ut protinus arreptis armis, equites pediteſque ad pœnas ultro ſumendas agmine vaderent. Impetus fit primo in domum Quæſtoris: quo ſublato, in præfectum incidunt Janiſſarorum; fruſtraque conantem iras compeſcere, ex equo dejiciunt interficiuntque. Pergunt inde ad Viſſirium: ac tantiſper morati, dum, jurejurando interpoſito abfuturam injuriam, inducunt ad deponenda inſignia dignitatis: tum perjuri invadunt, lacerantque ac diſcerpunt, neque ipſum ſolum, ſed etiam uxorem ejus; nihil reveriti majeſtatem fœminæ, cui Cuperlii Viſſirii duo, pater alter, alter frater fuiſſent. Horum reſperſi ſanguine, ad vim feſtinant ac necem aliorum. Et continens jam triduum ferro rapiniſque in urbe ſæviebatur: cum ex improviſo, incertum quo auctore, accidit vox: *depromendum vexillum magnum prophetæ, quo excitatus populus ad communem tuendam ſalutem conſurgeret.* Multi tunc ſignum ſecuti, quod ſacrificulus ex ſtirpe Mahumetis ſuſtulerat, contendunt ad regiam. Metum ii primo haud levem injecerant regi. Ut fidelem operam certatim pollicebantur; tum denique proponi jubet vexillum: horæque momento armatorum millia plus centum convenere. Quærere tum militum quiſque latebras, quod meriti forent, timentes. Sed cum cura conquiſiti ac protracti, qui præcipue rabie illa contacti eſſent, deduntur ad ſupplicium, amplius quinque millia hominum. Quiete urbi reddita; rex Viſſirium creat Iſmaelem, placido ingenio, & grandem ætate. Cum autem ortæ alibi ſeditiones, cædemque gliſcentes in dies augerent non mediocriter: dat extemplo illi negotium, ut quamprimum comprimendas ſuſciperet. Numerus magnus militum, qui fraudati ſtipendiis dudum abierant ab ſignis, duce Oſmane, Græciæ Bellerbego, conſederant ad Sophiam Bulgariæ oppidum. Ibi cuncta libidine & vecordia eorum agebantur: nec vinci pertinacia aut minis, aut venia

Cædes multorum.

Viſſirius necatur.

Ratio ſedandi tumultus.

V millia hominum tolluntur.

Iſmael Viſſirius creatur.

Seditio in Bulgaria:

nia oblata promiſſiſve ullis poterat. Uno tempore in Minore Aſia Gedichus Baſſa miſtos ex omni colluvione, graſſatores, exules, obrutos ære alieno, milites quoque non paucos, qui ut ſe pœnæ ſubtraherent, Conſtantinopoli profugerant, cum collegiſſet; late circum regionem habebat infeſtam: auſus poſtremo inſidiari aperto latrocinio peregrinantibus ad Mecanam domum. Adverſus hos complura nequicquam expertum Iſmaelem, alia quoque non ſatis naviter expedientem, ratus rex miniſterio haudquaquam parem, paulo poſt ſpoliat dignitate & Rhodum amandat; ſublecto Muſtapha longi uſus in militaribus, qui non multo ante præfecturam geſſerat Janiſſarorum. Dum hæc Conſtantinopoli: adjecerat animum Cæſar ad res Pannoniæ conſtituendas; ut qui conſideret, brevi regionem univerſam ſuam fore. Optimam imperii formam inducturum ſe eſt arbitratus, ſi daret Pannoniis regem. Itaque conventum procerum regni Poſonium indicit in diem certam, ut ibi Joſephus Archidux Auſtriæ, filius natu major, qui decimum ætatis annum nondum exceſſerat, rex crearetur. Affuere ſtato tempore fere omnes: eodemque venerunt Cæſar & filius; Palfio ac Starembergio prius accitis cum copiis militum, quibus præerant, ut præſidio urbi eſſent. Per Epiſcopum Nitrienſem tria præſertim petebat Cæſar in concilio: ut ſtatim Joſephus rex conſalutatus, ſumptis rite inſignibus, regnum adiret: ut poſt Joſephum, ei quiſque proximus ex gente Auſtria hæreditario jure deinceps ſuccederet: ut quæ jura Pannoniis olim tribuerat Andreas II rex, eorum abdicarent partem. Dato ſpatio ad deliberandum; erant, quibus videretur admodum grave, quod tertium poſtulabatur. Andreas rex, anno vigeſimo ſecundo ſupra milleſimum & ducenteſimum revertens ex bello Syriaco, in quo fortes ac fideles expertus uſque fuerat Pannonios, munifice pro ſua, eorumque virtute donarat jura multa & ampla; adjeceratque hoc ad extremum: ut ſi quis re-

[Margin notes: 1687. — & in Aſia Minore. — Muſtapha ſufficitur Iſmaeli. — Cæſar componit res Pannoniæ. — Conventum indicit Poſonium. — Poſtulata ejus. — Pannoniorum jura.]

1687. gum in poſterum ea jura minueret, ne noxæ eſſet populis pro illorum incolumitate in regem ipſum arma ferre: id autem quominus uſu veniret, proſpexerat addita clauſula: ut novus rex, priuſquam iniret regnum, ad aram, tactis ſacris, jurejurando ſe adſtringeret, jura cuncta, quæ haberent, Pannoniis relicturum; neque utcunque deteriora facturum. *Privilegium Privilegiorum* appellabant: atque ejus cuſtodia ſummis infimiſque omni tempore ante cætera quævis cordi fuerat. Itaque tunc etiam patiebantur quidam inique, adimi, quod ſe propemodum exæquaret gentibus liberis. Recte tamen æſtimantibus apparebat, jus iſtiuſmodi ſæpe nihil aliud, quam ad licentiam peſtilentem valuiſſe: neque aut aliunde verius extitiſſe deinde bella, quorum cladibus regnum quondam potens florenſque, poſtremo debilitatum, in tyrannidem Turcarum decidiſſet: aut in poſterum defuturam unquam materiam certaminum; dum populi immodice libertate utendo, & conceſſa jura interpretando ſibi arbitrio ſuo, reſiſterent voluntati regum, qui pro condicione temporum publicæ conſulentes rei novare mutareve ſubinde aliqua, invitis populis ipſis, cogerentur.

Poſtulatis annuunt Pannonii.

Ergo qui contradicebant, victi ſunt conſenſu aliorum; factumque decretum in poſtulata Cæſaris. Die deſtinata, in templo maximo, ingenti celebritate, ab Epiſco-

Joſephus filius Cæſaris coronatur rex.

po Strigonienſi & Paulo Eſteraſio prorege Joſephus coronatur, corona impoſita D. Stephani Pannoniæ regis primi, more ſolemni. Gaudium hoc anteceſſere quædam proſpere bello geſta, alia inſecuta ſunt. Primo

Paloda, & Chakaku deduntur:

nanque arces duæ permunitæ, Paloda & Chakaku, octo ab Alba Regali paſſuum millibus, unde incurſiones crebræ in Jaurinenſem agrum fiebant; a præfecto Leopoldſtadii poſt dierum aliquot oppugnationem in deditionem acceptæ. Deinde Agria venit in poteſtatem, a beata ubertate agrorum dicta, urbs muris & duplici arce valida, ſita ſuper fluvium ejuſdem nominis, qui modico illinc intervallo in Tibiſcum cadit. Tuebatur dux

bello

Digitized by Google

bello expertus, Ruſtanus Baſſa cum peditibus ter mille & equitibus quingentis. Ex quo Lotharingius & Bavariæ Dux proceſſerant ad Murſæ pontes, circumſederat Jo. Baptiſta Doria, legatus Caraffæ: urendoque ſata, intercludendo arces ab oppido, ac munitionibus objectis eruptiones prohibendo, oppidanos præſidiumque omnium rerum inopia attenuabat. Captis jam arcibus, auctiſque viribus de copiis Lotharingii, quo tempore is in Tranſylvaniam contendebat: incluſos fame ſubegit ad deditionem. Superveniens Caraffa, milite ad cuſtodiam impoſito, ducit Mungatſchium; quod menſes aliquot obſidebatur. Reſiſti obſtinate, maxime intererat uxoris Tekelii, quæ ibi etiamnum eſſet. At quando nulla expectabat auxilia; & cibi penuriam, qua intus laborabatur, nihil ferme levabat inopia æqualiter diſpenſata: intolerabili jam fame, coacta fœmina eſt urbem dedere in condiciones latas Cæſaris nomine: fuere autem, *ut arcem ſtatim traderet, ſimulque inſignia imperii, quæ viro ejus dediſſet rex Turcarum, cum Principem Pannoniæ crearet: ut ipſa cum liberis concederet Viennam; neve inde abiret injuſſu Cæſaris: hujus ut in tutela liberi iidem eſſent: militibus vero & oppidanis, quod Cæſari repugnaſſent, una clementia ejus gratia delicti fieret.* Inter hæc ſecunda, ſi quando ante alias, optandum tum maxime erat, ut nutantem fortunam Turcarum Poloni quoque impellerent ab parte ſua. Nec temere de illis ſpem ceperant fœderati; undique perlata fama, ſimul reges Moſchorum vim immanem armatorum in hoſtium fines inducturos. Accidit tamen longe aliter. Joanni regi, qui, ætate ingraveſcente, diuturnis laboribus feſſus eſſet, nec integra valetudine, viſum per præfectum copiarum bellum adminiſtrare. Metuens tamen, ne is, ſi eveniſſet aliquid e ſententia, conciliato favore gentis, ſpiraret ad regnum; in quod ipſe Jacobum filium ſucceſſorem ſibi animo deſtinabat: conſtituit in medio conatu rerum gerendarum hunc mittere ad exercitum, ut benevolentiam militum & po-

1687.

inde Agria.

Mungatſchium dedit uxor Tekelii.

Condiciones.

Segniter agunt Poloni.

1687. & populorum demereretur præſenti opera. Dum milites colliguntur; per legatos incitat Moſchos, ut ex fœdere Tartariam Præcopenſem eodem tempore armis adoriantur. Ac feſtinatum adeo ab Moſchis, ut æſtatis principio non procul Boryſthenis fluminis faucibus jam eſſent.

Exercitus ingens Moſchorum:

Trecenta minimum millia hominum fuiſſe dicuntur, cum tormentis æneis gravioribus mille & ducentis, duce Principe Baſilio Gallizino. Inde miſſi ad regem Polonorum, qui viciſſim hortarentur ad maturandum. Sed ubi agere opinione ſegnius ii videbantur; interea vero Tartari, ſegetibus incenſis, modo hac, modo illa parte incurſando moleſti erant; & vulgo equi moriebantur inopia pabuli: motis illinc caſtris, nulla prorſus tentata re, in fines ſuos revertere.

A Tartaris cogitur redire in fines.

Non abfuit ſuſpicio, irritam expeditionem fuiſſe perfidia ductoris Coſaccorum Samuelovitii, cui antea cum Tartaris clam conveniſſet: propterea Gallizinus in vincula conjectum Moſcuam perduxit, ut de eo reges cognoſcerent.

Prælium Polonorum ad Cameneciam.

Quibus ferme diebus abibant Moſchi, cœptum a Polonis eſt bellum; quinque millibus equitum præcedentibus, qui Camenecciæ agrum pervaſtarent. Portis ſe erumpentes Tartari ad populationem arcendam, certamen cum illis committunt; in quo quingentis ſuorum interfectis, retro in urbem compulſi ſunt. Proſpero initio crevit animus præfecto Polonorum; ut moram nullam faceret jungendi ponte Tyram, per Valachiam in regionem Budziacenſium Tartarorum penetraturus. Sed magno labore perfectum jam pontem, priuſquam exercitus tranſduceretur, imbribus continuis citatius ſolito flumen interrupit. Ob id alio verſis conſiliis, oppugnare ſtatuit Cameneciam; non deſperans, ſi vim immitteret glandium igniferarum, tumultum ſe in urbe exciturum, eamque potiundi occaſionem fore.

Camenecia oppugnatur fruſtra.

In ipſo apparatu adfuit Jacobus filius regis. Ac damni non parum illatum incendiis intus eſt. Cæterum valide repugnantes Tartari, nihil ſuccedere obſidentibus patiebantur. Ibi Jacobus prope perniciem fuit. E muris enim

enim diu petitus ferreis pilis agger, in quo tormenta 1687. conſtituerant, ruenſque, pene illum obruit; tribuno, qui propter ſtabat, oppreſſo. Appropinquabat interim autumnus; ut in ſpem vanam teri tempus appareret. Ergo, omiſſo incœpto, diſcedunt inde in hyberna: Tartari autem ferociores facti, excurrentes in Volhiniam, urendo populandoque, haud paulo majorem, quam ipſi acceperant, reddiderunt cladem.

Tartarorū incurſiones.

Hoc fere tempore adveniunt Viennam legati quatuor Moſchorum regum.

Legatio regis Moſchorum ad Cæſarem.

Ratus Cæſar miſſos ad conſocianda conſilia belli, & ineundum ſecum fœdus, deligit quibuſcum de iis colloquerentur, quorum cauſa venerant. At quando nihil ultra attulerant in mandatis, quam ut regum ſuorum benevolentiam erga Cæſarem teſtarentur; cæteroqui verbis magnificis extollentes opes & potentiam eorum, affirmabant, vim militum immenſam inducturos in regnum Tartarorum Præcopenſium; quibus devictis, conſtraturos ſuis claſſibus Euxinum Pontum, ut mari ſimul & terra urgerent Turcam contunderentque: ille ſe quoque amicum profeſſus, voluntate regum ſtrenue incumbendi in bellum commendata, dimiſit. Tres redierunt Moſcuam; unus Venetias tranſiit: ubi eadem ferme cum ſignificaſſet patribus, eademque retuliſſet; is quoque domum revertit.

& ad Venetos.

Haud ita multo poſt Viennam pervenit legatus Poloniæ regis, Jo. Stanislaus Sbaſchius, Epiſcopus Præſmilenſis.

Legatio regis Poloniæ ad Cæſarē.

Cauſa potiſſimum mittendi fuerat, quod poſt ſubactam Tranſylvaniam, ſubierat metus ne Moldaviam quoque & Valachiam adjungere Cæſar imperio ſuo vellet; quas Polonis continentes, jamque ab iis redigi ſub jus cœptas, præmium belli habere ipſos, æquum eſſet.

Cauſa.

Itaque Cæſari priora merita regis ſui commemoravit, *utque nuper novum hoſtem Moſchos Turcis feciſſet. Paratum eſſe in poſterum neque impenſæ, neque labori, neque periculo parcere. Quo autem felicius gereretur bellum, petere ut cum Polonis exercitum conjungeret. Satis credere, nullo modo impediturum quominus Valachia & Moldavia ii potirentur; ad quas obti-*

Oratio legati.

1687. *obtinendas, præterquamquod regni fines ſtatim exciperent, adjectum jus videretur propterea etiam, quod Jaſſium urbem jam cepiſſent.*

Reſponſum Cæſaris.

Gratum ſemper animum pollicitus Cæſar ob beneficia præterita; ad rogatum, *optabile ſibi accidiſſe*, reſpondet, *Jaſſium, Moldaviæ caput, ab rege occupatum: cupere magnopere, regionem protinus omnem Valachiamque in ditionem ejus tranſire: exercitus vero, cernere ſe ſe, haudquaquam facile conjungi poſſe; quocirca eſſe conſilium, quod juberentur ſingulari capite fœderis, ab parte utrumque ſua continuare bellum.* Epiſcopo ſatis fuit de Valachia & Moldavia conveniſſe.

Legatus Polonus Venetias trāſiit officii cauſa.

Illinc Venetias pergit mutui officii gratia: nam, ſicut dictum ſupra eſt, legarat Senatus in Poloniam Angelum Maurocenum procuratorem Marcium gratulatum Joanni regiam dignitatem. Regis verbis gratulatus viciſſim Senatui captam Peloponneſum, addidit inſuper multa de eximio ſtudio ejus erga Civitatem: *quantum in ipſo eſſet, adnixurum, ut Poloni quoque communem hoſtem premerent bello: pacem autem, niſi de fœderatorum omnium ſententia, non facturum.* Gratiæ actæ ab Senatu, cum teſtificatione ejuſdem animi adverſus regem, fideique ſocialis. Cura inde præcipua verſa erat in apparatum belli: cumque habitis in Italia delectibus ægre ſuppleretur exercitus in Græcia; fit ſ. c. ut aliunde ſimul armati, ut antea, compararentur.

Veneti conducunt milites Germanos & Helvetios.

Tria millia de copiis Federici Caroli Ducis Vvirtembergenſis, millia duo Helvetiorum mercede conducti. Præterea mille & quingentos veteres milites ex præſidiis arcium Illyrici tranſportari placuit in Græciam; inque eorum locum ſuccedere parem numerum ex illis, quos mos eſt conſcriptos atque ordinatos in agris continentis habere ad ſubitas armorum neceſſitates. Miſſa pecunia, commeatus, aliaque uſus belli quæ poſtulabant. Interim cenſuere patres componendas Græciæ res, ſtatumque ſalubrem formandum.

Formant ſtatum Peloponneſi,

Primum omnium viſum provinciam unam fieri Peloponneſum: lectuſque, ut præeſſet cum imperio, Jacobus Cornelius, qui Corcyræ, Cephaleniæ, & Zacyntho inſulis

ſulis

Digitized by Google

ſulis pridem præfuerat. Tum creati Triumviri ex Senatorio ordine, Hieronymus Rainerius, Dominicus Grittus, & Marinus Michaelius, qui Peloponneſum perluſtrarent, ac deſcriberent in regiones; inde ibi conſtituerent, quæ pro loco ac tempore ducerent utilia. Profecti paulo poſt Triumviri; ut in Græciam pervenere, Peloponneſum circumeuntes, provinciam de conſilio Mauroceni imperatoris in quatuor regiones dividunt, Argiam, Laconiam, Meſſeniam, & Achajam. Capita regionum fecere, primæ Naupliam, ſecundæ Epidaurum Limæram quam brevi conceſſuram in ditionem ſperabant, tertiæ Pylum novam, quartæ Patras. Singulis præſidere placebat Venetos patricios binos; quorum alter militaria, politica alter curaret: ærarium itidem eſſe cuique ſuum. Continuo ædificia aſſignata, alia templis & cœnobiis, alia magiſtratibus, alia militibus, horreis alia atque armamentariis. Definiti diligenter agri; redacti in publicum quos Turcæ poſſediſſent; decumæ Peloponneſiis impoſitæ; inſtituta vectigalia; legeſque datæ, quæ ad commercium pertinerent. Ita rebus in Peloponneſo ordinatis: præfecto trium inſularum, tunc Andreæ Naugerio, Leucadem contribuunt, itemque Naupactum, atque oram maritimam, quæ Naupactum & Leucadem interjacet. Triſte principium anni inſequentis fuit. Prid. Id. Februar. Joannis Zagurii naves quinque, quæ ſtabant ad Lechæum, repentina tempeſtas adorta eſt; propeque fuit ut cunctas demergeret. Duæ ita hauſtæ mari, ut nemo enaverit in terram. Zagurius vix atque ægre ex naufragio emerſus. Per dies eoſdem parte alia damnum accipitur ex ſimili cauſa. Circa Scyllæum, Argiæ promontorium, ſævitia procellæ late diſſipatæ naves, milite refertæ & inſtrumento bellico; quas Venetiis profectas Paulus Nanius, quæſtor in exercitu deſtinatus, ducebat. Pene obrutæ fluctibus omnes ſunt: duæ illiſæ ſcopulis amiſſæ, in iiſque mortales multi interiere. Permoleſta hæc acciderunt Mauroceno imperatori; cui agi-

Marginal notes: 1687. *miſſis eo Triumviris.* — *Diviſio Peloponneſi, & conſtitutio ibi rerum.* — 1688. *Ad Lechæū naves duæ Venetæ amittuntur per tempeſtatem:* — *aliæ totidē ad Scyllæū.*

1688. tanti conſilia de oppugnanda Chalcide tunc maxime exercitu opus valido eſſet. Dum ver commodum rebus gerendis opperitur vireſque contrahit; undecim triremibus tranſmittit Piræo Naupliam, ut conſtituat de Spartanis. Vulgaverat fama, iniiſſe eos occulta conſilia cum Turcis, qui cuſtodiebant Epidaurum Limæram, ne pactam fidem ſervarent. Illud omnino conſtabat, cum tempus adveniſſet tradendæ arcis, poſtulanti Georgio Benzono, qui Pollanio ſucceſſerat, negaſſe; nec ante paruiſſe, quam vis admoveretur. Viſi imperatori peccaſſe majora, quam ut veniam daret. Ergo excedentes Sparta Argos jubet perduci. Validiores corpore, qui egreſſi annum ætatis decimum ſextum, nondum quinquageſimum attigerant, fuere autem ad octingentos, dat in remigum ſupplementum; parem ferme numerum puerorum diſtribuit in exercitum loco prædæ habendos: fœminas vero circiter mille, onerariis impoſitas, devehendas curavit in proximas terras Turcarum liberaſque dimittendas. Hoc ipſo tempore moritur Venetiis M. Antonius Juſtinianus, aucta in Principatu integritatis & prudentiæ gloria. Erat nihil ambiguum, quinam ſufficeretur. Adeo virtute & meritis præcellebat Maurocenus, ut nemo unus ad petendum profiteretur nomen. Suffragia cuncta cum conſenſiſſent in eum; favore inuſitato ordinum omnium abſens Princeps renunciatur. Ex inſtituto lecti poſtmodum Senatores duo, Hieronymus Grimanus eques & Laurentius Donatus, qui apud imperatorem Ducem eſſent; præſcriptis iiſdem, quorum nobis alibi mentio: *ut cum his & præfecto claſſis de rebus ſtatueret, quæ caderent in conſultationem: ut, quæ pluribus placuiſſet ſententia, ea foret potior: ſi quando autem in contrarias numerus iret utrinque par, tum ut vinceret, quam ipſe probaret.* In Piræum portum Argolidis tranſierat Kal. Jun. cum veniens Joſephus Zuccatus a ſecretis Senatus tradidit inſignia Principatus. Grato in patriam animo Supremam Dignitatem accipienti ſignificat ille continuo, cupere

Mauroce-nus traiicit Naupliam.

Conſtituit de Spartanis agentibus contra fidem.

Moritur Princeps Juſtinianus.

Sufficitur Maurocenus imperator:

pere vehementer Civitatem, non auſpicio ſolum, ſed etiam ductu ejus porro bellum geri. Ac quanquam annum jam quartum labores expeditionis hujus perferebat, miſſionemque petierat non ſemel: tamen, ne quid abnueret quod ab ſe caritas reip. poſtularet, conſtituit opera in armis præſtanda non abſiſtere. Fuit res & apud exercitum lætiſſima. Induta a Principe inſignia Honoris apparatu magnifico: quatriduumque ſtudiis militum ingentibus celebratum gaudium eſt. Paucis poſt diebus inſtruenti neceſſaria ad Chalcidem oppugnandam fama repens affertur ortæ ſeditionis in Creta. Milites qui Candiæ erant, ob ſtipendia non perſoluta, ira & furor provexerat eo, ut Baſſam ac duces alios complures e medio tollerent. Cuncta tumultu plena in urbe cum eſſent; videreturque præſidium deſperatione veniæ impelli poſſe ad defectionem: haud omittendam occaſionem arbitratus Maurocenus, duabus & viginti triremibus ſolvens actutum Piræo, Cretam verſus contendit. Ad Cytheram roſtratis octo Melitenſium adjectis, duce Camillo Spinello, Diam inde inſulam trajicit; paulumque provectus, ante Candiæ portum explicat claſſem. Sed metus externus diſcordiam internam ſuſtulit puncto temporis. Simul Turcæ conſpexere procul Venetas triremes, arma capiunt, cuſtodias in muris & propugnaculis diſponunt; ſumma imperii delata Janiſſaro cuidam valde juveni, at qui bene calleret militaria. Ut quieta omnia intus ſenſit Maurocenus, paratumque hoſtem ad defenſionem; fruſtratus conſilio Peloponneſum repetit. Ibi convocatis ducibus, variabant primum ſententiæ; quod alii in Eubœam, alii in Cretam transferendum bellum cenſerent. Mox reputantibus, etiamſi copias univerſas ad Candiam tentandam converterent, id quod ſine magno diſcrimine Peloponneſi fieri non poſſet; vix ullam nihilominus ſpem eſſe potiundæ urbis permunitæ, in qua ipſi tres perpetuos annos vim immanem oppugnantium Turcarum ſuſtinuiſſent: placuit Chalcidem peti; quam

1688.

qui nihilo minus manet ad exercitum.

Coronatur lætitia magna militũ.

Seditio in Creta.

Eo trãſmittit Maurocenus:

redit in Peloponneſũ. Concilium.

Statuunt

1688. quam ſi expugnaſſent, habitura deinceps Peloponneſus propugnaculum foret.

Chalcidem tentare.

Quare Maurocenus, ubi auxilia cætera, quæ præſtolabatur, Venetiis advenerunt; recenſet exercitum, expedirique claſſem ad profectionem jubet.

Athenæ diruuntur.

Quia teneri Athenæ ſine validis copiis nequibant, deduxerat illinc militem, & bellicum inſtrumentum, arcemque diruerat; Græcis incolis ex parte magna tranſportatis in Salaminam atque Æginam inſulas aut in Peloponneſum, ubi ſedes illis agrumque attribuit. Præſidium autem, quod fuerat Athenis, viſum ſufficere firmandis faucibus Iſthmi Corinthii: ſatis enim fidebat, dum Chalcis oppugnaretur, non fore laxamentum hoſtibus ad Peloponneſum invadendam.

Munitur Iſthmus Corinthius.

Profectio claſſis.

VIII. Id. Quint. ſolvit. Venerium octo celſioris formæ navibus, & Carolum Piſanum ſex triremibus ac biremibus aliquot, mittit ad Capharcum promontorium; ut inde circumvectarentur Eubœam; fretumque, quod contra Opuntem a Bæotia inſulam ſeparat, ingreſſi, litoribus Chalcidis ab ſeptentrionibus inveherentur. Ipſe claſſem navium varii generis centum ſeptuaginta, præter Atticæ oram, recta inducere in ſinum Euboicum parat. Omen ea navigatio ad rem terra gerendam fuit.

Navigatio eius adverſa.

Nam vixdum in altum dederant vela, cum oneraria navis, inſcitia gubernatoris illata in ſcopulum, frangitur; magno labore evadentibus militibus & nautis. Poſtea ſeptentrio acer, ne Sunnium promontorium ſuperarent, aliquandiu prohibuit. Triremes propter littora ad anchoram ſteterunt: naves cæteræ in ſalo diſſipatæ ſunt.

Maurocenus ſubit ſinum Euboicum cũ parte claſſis.

Ubi primum cecidit ventus; collecta denuo claſſe, proras in Euboicum ſinum advertunt. Ac quanquam tranquillo mari tardior curſus erat navium celſiorum: ratus tamen Maurocenus habere ſe ſatis copiarum in roſtratis ad exſcenſionem faciendam; quam maxime poterat incitato remigio prægreſſus, quinque ab Chalcide millibus, nullo impediente, exponit militem.

Exponit militem non procul Chalcide.

Inde primo Conigſmarchius cum equitibus trecentis procedit ad noſcendum ſaltum, qua

tra-

traducere ſtatuerat exercitum; ubi leve certamen cum Turcis commiſit, qui anguſtias inſederant. Mox Maurocenus turrim in proximo, ab hoſtibus deſertam, cum occupaſſet: tribus triremibus ſuccedit ad Chalcidem, ut ſitum oppidi, muros, & munimenta contemplaretur. Biduo poſt, quia nudo & aperto littore ſol torrebat corpora militum; non expectato dum eodem naves reliquæ pervenirent, jubet Conigſmarchium ad urbem ducere: quo & ipſe contendit triremibus omnibus. Uno ferme tempore uterque, Venerius etiam, qua parte fuerat imperatum, Chalcidem acceſſerunt. Piſanus ventis adverſis diu ad Andrum inſulam retentus, poſtquam nulla ope provehi illinc poterat ad Caphareum; Mauroceno revocante, contrario curſu reverſus ad claſſem eſt. Modico ab urbe intervallo caſtra poſuerat Conigſmarchius: qui ubi nihil aggrediebatur, quod militum abeſſet plus dimidium; opinati Turcæ ceſſare difficultate abſterritum, eruptionibus crebris laceſſebant. Ibi prœlia parva aliquot facta; in quibus tamen plures Turcæ ceciderunt, quam Veneti. Tandem undecimo poſt die claſſe alia adveniente, atque una quatuor triremibus Hetruſcis & navibus majoris formæ duabus, quibus præerat Camillus Guidus cum militibus ad nongentos: ad urbem ſubeunt. Quatuordecim millia erant peditum, equites octingenti, præter voluntarios & auxilia ſocium. Non facilis inciderat deliberatio, unde fieret oppugnandi initium. Sita eſt Chalcis littore ultimo Eubœæ inſulæ, qua a Bœotia arctiſſimo interſcinditur freto; omnino ubi Chalcis antiqua fuit, ante bellum Trojanum condita, cujus e ruinis excitata, quæ nunc viſitur. Urbem oblongam claudit murus circuitu bis mille paſſuum. Qua mediterranea inſulæ ſpectat, foſſa munit viginti pedibus alta, centum lata; firmatque vallum, noviſſime ab Turcis opere continenti hinc atque illinc ad littus perductum. Parte altera alluitur mari, quod ex patenti utrinque in anguſtias cogitur; ut primo intuentibus videantur gemini portus ore diver-

1688.

Succedit ad urbem.

Eruptiones Turcarum.

Claſſis cætera advenit.

Chalcidis ſitus & deſcriptio.

1688. diverſo. Is eſt Euripus Chalcidicus, ſtatio infeſta navibus, ſi qua alia. Etenim, præterquamquod octodecim dies ſenis horis accedit æſtus deceditque, quod autem reliquum eſt lunaris curſus, temere nunc huc, nunc illuc fretum rapitur; ſæpe quoque tempeſtates exiſtunt cum magnis procellis, quas venti ſubiti vehementeſque ex impendentibus prææltis montibus dejecti cient. Ibi urbs ponte in longitudinem quinquaginta paſſuum jungitur continenti. Medio ferme pontis impoſita turris eſt ingens: trecentos autem ab aditu paſſus, in Bœotiæ extremo, rupes ardua objicitur atque abſciſſa, Carababa appellant, cujus vertice arcem nuper inædificarant Turcæ, trianguli forma, via manufacta, quæ occulte ab arce ad pontem ferret; uſi conſilio atque opera Hieronymi Galloppi Guardiſtallenſis, qui cum in exercitu Veneto fuiſſet, quo tempore Nauplia obſidebatur, transfugerat inde ad eos; & Chriſto prodito, ab Mahumete impius ſtabat. Eundem ſecuti auctorem ab parte averſa urbis vallum, de quo diximus, oppoſuerant. Annos plus ducentos Chalcidem atque Eubœam omnem Veneti tenuerunt: eorumque inſigne marmorei leones in veſtibulo portarum & turribus ad hodiernum diem cernuntur. Anno ſeptuageſimo ſupra milleſimum & quadringenteſimum, ſeptendecim annis poſt expugnatam Conſtantinopolin, potitus erat Mahumetes II Turcarum rex. Amplius ſex millia lectorum militum tunc tuebantur. Muſtapha Baſſa præerat, promptus homo & militiæ peritus: eodemque paucos ante dies conceſſerat Heibrahimus, qui terreſtribus copiis in Eubœa imperabat. Oppugnaturis Venetis dubium primo eſſe, Chalcidem ne prius peterent, an arcem in rupe Carababa poſitam. Cenſebat Conigſmarchius, arcem univerſis ſtatim viribus aggrediendam: *haudquaquam enim facile futurum urbem capere, cui auxilia militum & commeatus libere ſuppeditari ex continenti poſſent*. Aliter videbatur Mauroceno. Nam cum miſſi dein ad loca circa inſpicienda pro comperto affir-

Euripus Chalcidicus.

Carababa.

Præſidium oppidi.

Conſultatio de oppugnando oppido.

affirmarent, *regionem inopem eſſe aquarum, ut minimum quinque inde millia paſſuum duntaxat aquandi copia ſuppeteret;* arcem autem ſitu ipſo permunitam exiguo tempore expugnabilem non fore intelligeret: neutiquam putabat, *in id diſcrimen adducendum exercitum, ut re tam neceſſaria, aqua laboraret*. Ac nihil ægre ducibus aliis perſuaſit. Hic tamen, ſi quibuſdam fides ſit, exploratores falſa renunciarant: ajunt nanque, læva flectentibus, haud longe puteos eſſe finteſque perennis aquæ. Ad urbem igitur oppugnandam verſis conſiliis; non ſatis conſtabat, utrum vi aperta, an operibus adorirentur vallum. Vi aperta malebat Maurocenus; fidens militibus, qui pro ſecunda quatuor annorum fortuna animos gererent. Contra exiſtimabat Conigſmarchius, *nec ſine periculo magno tentaturos ſeptum tam validum; neque ſpem ullam admodum invadendi eſſe: aggeribus ac vineis paulatim ſuccedendo, minima jactura peragi rem poſſe*. Et tenuit ad extremum, ut ſententiæ aliorum huc inclinarent. Cæterum eventus poſtea docuit, id maxime, ne caperetur oppidum, obſtitiſſe. Ingenti militum ardore perfectæ paucos intra dies munitiones: tametſi haud paulo plus ſpatii, quam oportebat, complexus fuerat Conigſmarchius. Mox operibus ac tormentis admotis, prid. Kal. Sext. inchoata oppugnatio eſt. Dum lente ea procedit; ex vehementi ſole, locis fere paluſtribus, ingruit morbi vis tanta, ut brevi plus quinque millia eſſent ægrorum: in iis Conigſmarchius, Hieronymus Delphinus præfectus caſtrorum, ac Mechatinus ductor Melitenſium. Multi quoque moriebantur non ſolum e vulgo militum, ſed etiam duces illuſtres. Deceſſerunt inter hos Carolus Ludovicus Palatinus, Herneſti Ducis Brunſvicenſis legatus, princeps ordinum Scipio Gaſpardus, & Matthæus Bonus Venetus patricius, qui voluntarie militabat. Conigſmarchii locum tenuit inde Princeps Maximilianus Brunſvicenſis, legato attributo Hermanno Philippo Orkio: ſuffectus Delphino Victor Vendramenus; huic in morbum paulo

1688.

Veneti aggeres excitant:

oppugnare adoriuntur vallum.

Morbi in exercitu.

Conigſmarchius æger, aliique duces.

1688. paulo poſt lapſo Petrus Donatus. Interim ſtrenue reſiſtebant Turcæ, quidlibet audentes ad oppugnatores arcendos; ut eruptionibus crebris nunc in opera, nunc in ſtationes, nihil vacare diſcrimine paterentur. Addebat animos vireſque præfectus terreſtrium copiarum in Achaja, qui cum ſex millibus armatorum caſtra ad Thebas poſuerat, quatuor circiter ab Chalcide horarum itinere; atque illinc auxilia militum nocte in urbem ſubmittebat. Hic poſtremo cum accepiſſet, erumpentes prima luce obſeſſos tumultus haud parum apud Venetos feciſſe: ſpem cepit, ſi conniterentur numero majore, ſubmoveri eos exuique caſtris poſſe. In id igitur millia duo peditum equites quadringentos mittit ad Muſtapham; qui XVI Kal. Septembr. antelucanis horis egredientes cum præſidii parte, tripartito in opera impetum dederunt. Et proſpere primo ſuccedebat cœptum. Alibi ſopitis cuſtodibus, alibi paucis cuſtodientibus, nulla prope contentione inſiliunt. Poſtea clamore atque ululatu magno invecti eum pavorem intulere, ut qui in proximis ſtationibus erant, putantes omnia a barbaris jam obtineri, fuga ſibi proſpicerent. Ac tantum non aggeres ſupervadebant tormentorum. Sed ibi vis paulum repreſſa, impavide obnitente Jo. Matthæo Bembo qui præſidebat. Interea ad opem ferendam ſpatium habuere Princeps Henricus Harcurtius cum globo voluntariorum, Corbonius cum equitatu, ac Marovilius cum manipulis aliquot Melitenſium, cohorteſque duæ Caroli Spar. Tum pluribus ſimul locis contrahitur certamen: in quo demum ſuperiores Veneti pepulerunt Turcas, ejectoſque perſecuti ſunt uſque ad vallum, cæſis plus quingentis; cum minus ducentos ipſi amiſiſſent. Multorum quidem ea pugna, at Harcurtii maxime enituit virtus; qui quamvis in manu & in latere vulneratus graviter, hortari tamen & dimicare ante non deſtitit, quam hoſtes munitionibus exigerentur. Eventus eruptionis ejus minuerat fiduciam Turcis. Non propterea tamen Venetis quidquam

Valide reſiſtitur a Turcis:

qui auxilia accipiunt ex continenti.

Erumpunt magno numero.

Rediguntur in vallum.

Minus ſuccedunt Ve-

quam eveniebat in ſummam belli. Et ſi, quam inierant oppugnandi valli rationem, in illa perſtarent; ſatis docuerat res ipſa, non modo aggreſſos opus longum, ſed exitus etiam valde incerti. 1688.

netis opera oppugnationis.

Ergo pertæſus Maurocenus moræ, vocatis in concilium ducibus: *quouſque cunctabimur*, inquit, *lenta ſpe trahentes bellum? Viginti dies intactis Chalcidis aſſidemus munitionibus externis; neque ad id locorum in effectu opera ſunt. Expectemus dum hæc vallo hoſtium injungantur: æſtas interim abierit. Libera ab continenti auxilia præſidium intus æque firmum præſtabunt: nos laboribus, morbis, prœliis conſumpti experiemur tunc denique vires noſtras; quibus integris & recentibus ſi uſi eſſemus a principio, jam non adoriri vallum, ſed per ſtragem murorum tranſcendere in urbem pararemus. Si quid tandem bellare cum Turcis didici; conandum profecto audendumque eſt: neque aliud nobis, qui inferiores numero copiarum ſemper fuimus, quam celeritas victoriam dedit. Quod ſalubriter primo cogitatum, ſeu errore ſeu pavore omiſimus, id ſine mora faciendum cenſeo. Agite, vi freti armiſque irruamus undique in vallum: ſpondet ſpes non vana, brevis horæ momento fore in noſtra poteſtate, quod, aggeres, pluteos vineaſque dudum moliendo, fruſtra petimus.*

Maurocenus auctor valli armis invadendi.

Oratio eius.

Præter Ducis auctoritatem, re quoque inclinante animos, aſſenſere cuncti. Quapropter edicit illico militibus, *corpora curent, atque arma expediant: poſtero die invadendum vallum eſſe*. Is dies fuit a. d. XIII Kal. Septembr.

Impreſſionē parat.

Biduo ante naves Venetiis opportune advenerant cum militibus Germanis mille ferme & ducentis; ut, exſcendere juſſis claſſiariis remigibuſque ad mille & ſeptingentos, jam, quibus uti poſſet valentibus, millia undecim armatorum eſſent. Alia aliis deſtinat, quæ ſub ducibus certis aggrediantur; ſubſidia ad longioris pugnæ caſus diſponit: tum triremes complures proxime littora admovere jubet trierarchos, qua extremum alterum pertingebat valli; ut plus uno tempore terroris hoſti incuteret. Vixdum luceſcebat, cum ab quinque ſimul partibus Veneti ſubierunt; nequicquam in eos vim jaculorum creberrimæ gran-

Fit a Venetis impetus.

1688. dinis modo effundentibus Turcis. Præſenſerant enim Mahumetes & Heibrahimus: itaque præſidium fere totum ex urbe eduxerant ad vallum tutandum. Prœlium fuit acre & cruentum. Venetorum alii vellere vallum, alii per tela igneſque inſcendere: Turcæ omni vi obſiſtere, ac detrudere; ſicubi autem vallum aperiretur, corpora conferti opponere, ne penetrabile quidquam eſſet. Bis illi impreſſione data ſcandentes, multis vulneribus acceptis, repulſi ſunt. Sed tertio connixi vehementius, de- *Vallum ſuperant.* turbatis propugnatoribus, ſuperant demum. Primi irrupere Hetruſci, cohors tribuni Furietti, manuſque Illyriorum: cæteri deinde parte quique ſua. Excepit ibi novum certamen. Nam medio ſpatio inter vallum foſſamque Turcæ ſic reſiſtebant, Muſtapha ipſo cum ſubſidiariis firmante; ut qui modo vicerant, pene referrent pedem. Interveniens cum equitatu Corbonius non confirmavit modo pugnantes, ſed etiam impetu illatus, impulit hoſtes, turbatoſque in fugam conjecit. Prævertere inſuper curſu, ne magnus numerus eorum in urbem *Clades Turcarum.* perfugerent, potuit. Quocirca alii occiſi; alii, effugium nullum cum pateret, dederunt ſe præcipites in mare. Major cædes fuit, quod cuſtodes portarum ab metu, ne victores victis permixti urbem intrarent, claudere præfeſtinantes, non paucos excluſerunt ſuorum. Mille & quingenti Turcæ cecidere, in quibus Heibrahimi filius. Ab Venetis deſiderati ſeptuaginta ſupra ducentos; inter quos centuriones aliquot. Damni tamen multum acce- *Hieronymi Garzonii fortis animus.* ptum eſt morte Hieronymi Garzonii, ſenatoris, bellica laude præſtantis: qui ab prima adoleſcentia muneribus plurimis functus præclare, adminiſtrataque nuper claſſis præfectura; tunc, ut quem teneret gloriæ militaris cupiditas inſatiabilis, voluntarius in exercitu erat. Is, cum intra vallum dimicaretur, conſpicatus nutantem manum voluntariorum, eo advolans, corpuſque objectans ipſe ſuum, prœlium ſuſtinuit, retuditque hoſtem. Inde certaminis ardore paucis ſequentibus progreſſus, cum ex

urbe

urbe plumbeis glandibus tormento emicantibus ictus eſ- 1688.
ſet in fœmore & genu dextero; poplite ſubſidens, cruore oppletus, pugnam, ut poterat per vulnera, non omiſit; donec circumventus a Turcis, confectuſque eſt. *Mors.*
Futurum erat caput ejus jucundum in urbe ſpectaculum, propter viri virtutem famamque; niſi cum ſuis adproperans Joannes Gicca tribunus, interfectis qui occiderant, jamque caput abſcindebant, cadaver a ludibrio ſervaſſet: quod elatum eſt poſtmodum funebri pompa & mœrore magno exercitus; ſepultumque in propinquo colle, ubi templum Græcorum, D. D. Apoſtolis Petro & Paulo ſacrum. Vulnerati eodem prœlio amplius treccenti: in his duces complures, interque eos Turennius, princeps ordinum Dominicus Bonomettus, & tribuni tres, Gicca, Furiettus, Lanoja. Ibidem fuit in diſcrimine Michael Maurocenus, imperatoris fratris filius, *Mich. Maurocenus intereſt certamini:* adoleſcens mirifica animi atque ingenii indole; qui priore anno ad claſſem venerat, militiæ tyrocinium poſiturus. Quamvis a patruo prohibitus propter ætatem; amore bellicæ rei auſus clam proripere ſe ex regia trireme immiſcereque ordinibus, illuc proceſſit, ut ictum plumbeæ glandis vix evaderet, trajecta tamen veſte & *leviter ſauciatur.* genu perſtricto. Tormenta ænea majora quatuor & quadraginta in vallo inventa ſunt cum ſignis militaribus aliquot. Ita atroci quidem, cæterum brevi certamine, quod haud plus horam tenuit, ſuperatum eſt vallum. Fateri tunc ad unum omnes, *vera monuiſſe imperatorem; cujus quod in ſententiam ab initio itum non eſſet, periiſſe tempus* videbant, *quod integris copiis urbi expugnandæ ſuffeciſſet*. Nunciata res Conigſmarchio, qui nondum ex morbo convaluerat, miro fuit gaudio. Mittit illico, qui ab *Gratulatio Conigſmarchii:* ſe gratularentur imperatori victoriam, *quam vix ſperare auſus ipſe fuiſset: quod reſtaret, id pene in manibus habere eum; neque enim dubitare ſe ſe, quin foret propediem oppido quoque potiturus*. Ac paulo poſt prodivit etiam in caſtra; *qui venit in caſtra:* majoreque animo quam viribus interfuit rebus gerendis.

1688. dis. Veruntamen recidens mox in morbum, vigeſimo poſt die, macie confectus extinguitur: dux haud dubie terreſtrium pugnarum arte cuivis clarorum imperatorum par; conſilio celer, invicti ad laborem corporis; placatus præterea, æquus, & militi acceptus: quo gravius deſiderium viri eſſet, obiit cum arduum tempus operam ejus maxime poſtularet. Cura expugnandi valli defunctus Maurocenus, auctuſque Germanis aliis militibus mille, miſſis noviſſime Venetiis, inſtrui cuncta ad urbem oppugnandam jubet. In munientes biduo poſt ab Turcis mille & quingentis ſubita tentatur eruptio. Primo ſtationibus duabus nonnihil injecerant tumultus: mox eo accurrentibus legato Orkio & Corbonio, in urbem rediguntur, trecentis deperditis ſuorum. Exigua Venetorum jactura fuit: cæterum vulnus in pectore accepit Princeps Vvirtembergenſis, in pede Aurelius Marcellus, quem Maurocenus in præfectura caſtrorum ſuffecerat ægrotanti Donato. Munitionibus circumdatis, duabus ab partibus adoriuntur oppugnare. Læva turrim non procul mari, dextra turrim aliam magno inde diſtantem ſpatio petebant; aggeribus tormentorum, quos propius urbem admoverant, præpoſitis Petro Juſtiniano & Nicolao Marcello. Eodem tempore & ollæ igniferæ intro conjiciebantur; & ad arcenda ſubſidia ab continenti, grandioribus balliſtis in littore collocatis, pons infeſtus fiebat. Maurocenus quotidie circumire ſtationes, urgereque laborem, laudare fortes, caſtigare ſegnes, nulli denique rei deeſſe; hoc intentior, quod duces alii plerique impliciti morbo jacebant. Ac tametſi prohibere uſque conabantur obſeſſi; inſerebantque damna non levia, occiſo inter alios magiſtro machinatorum Verneda: tamen quindecim intra dies haud parum proceſſerant opera; rueratque ab ſiniſtra parte aliquantum muri. Tum Valerius Uber, ſubcenturio Germanus, profeſſus ſe cum militibus quinquaginta inſcenſurum, captoque in ipſa ruina ad muniendum loco, facturum a-

ſed paulo poſt interit.

Veneti urbem ipſam oppugnant.

Dejicitur aliquid muri.

liis

liis viam ad invadendum; ſpem imperatori accendit. 1688.
Dati milites, quos petebat: delectaque robora centurionum qui cum expeditiſſimis præſto eſſent munienti, ac, ſi iter aperiretur, in urbem penetrarent. Præſtitit quod fuerat pollicitus, Germanus. Foſſam nanque, ingeſtis cæſpitibus, fidenter tranſgreſſus, eluctatuſque difficultatem ruinæ, in ſummum cum evaſiſſet; ſigna ibi duo fixit. Et ex nec opinato ea conſpecta ſic perculerant Turcas, ut velut amiſſa jam urbe paſſim trepidarent. Veneti contra rati certam victoriam eſſe, clamore ſublato, undique eodem concurrunt, ut pariter tranſmittentes inſiliant. Expugnari illo ipſo tempore Chalcis potuit, ni ſtudium nimium feſtinandi conatum irritum feciſſet. Cupiditate prædæ acti milites, dum neglectis centurionum imperiis ſuccedere quiſque nititur primus, conglobati in anguſto, aditum interclufere ferentibus neceſſaria ad objiciendum vallum. Magno tunc in diſcrimine verſari Uber. Nam neque conſiſtere ibidem poterat, niſi adverſus vim hoſtium ſe communiret; neque ire pergere, niſi prius congeſta terra molliret deſcenſum, qui propter altitudinem eſſet valde præceps. Materia, quemadmodum fuerat conſtitutum, non ſupportata; egregie nihilominus perſtabat in audacter commiſſo: ut quamvis Turcæ, refectis paulo poſt animis, certatim in eum inferrentur, acriter repugnando, impetum aliquandiu ſuſtineret. Fortuita res ſubito repulit ab incœpto. Uni militum pyxis ſulphurei pulveris temere accenſa ſuſpicionem aliis injecit cuniculi mox erupturi. Tunc trepidos ac turbatos premere vehementius barbari. Jamque ultra tolerari aſſultus nequibat; ut Uber recipere ſe denique in tutum cogeretur. Fugere inde præcipites, qui prope aberant parati ad conſcendendum. Explicari fuga tamen haud potuit ſine cæde multa. Etenim procella telorum incidente, ſupra quadringentos interfecti ſunt aut ſauciati; in eis fortes viri, principes ordinum, & centuriones non pauci. Caſus hic

Valerius Uber evadit in ſummã ruinam.

Turbatur inceptum.

Uber recedit.

1688. hic ſegniorem ad pericula fecerat militem: ac quanquam imperator remitti propterea ulla parte oppugnationem minime patiebatur; attamen curam ejus fortuna ſuperabat infeſtior in dies. Circumagente ſe æſtate calores deferbuerant; indeque cœperat ſpem, ſalubriora militum corpora fore. At latius tunc graſſante labe, eo paucitatis devenit poſtremo exercitus, ut vix ſex millia hominum eſſent, qui per valetudinem obirent munera. Ad duces cæteros correptus morbo eſt legatus Orkius; extinctus Aurelius Marcellus, mox Matthæus Quirinus: machinatores autem prope omnes, alii pernicie ea interierant aut ægrotabant periculoſe; alii, dum inſtant foſſoribus, occiſi paſſim vulnerative. Ob hæc tardius fiebant opera. Præterea facile haudquaquam erat promovere per foſſam aggeres; aqua impediente, cujus prorſus avertendæ ratio non inveniebatur. Cuniculorum vero agendorum facultatem adimebat murus fornici impoſitus. Itaque, qua ope una pandi latius poterant ruinæ, conſtitutis in proximo gravioribus balliſtis, noctem juxta diemque quatiebantur mœnia. Statu tali oppugnationis, autumno jam procedente, abierunt ſocii Hetruſci, militibus trecentis & navibus duabus ibi relictis; poſt aliquanto Melitenſes. Interea creverat obſeſſis impenſe ferocia; qui cernerent vires ſeneſcere oppugnantium, atque aliquid ipſi militum nocte ex continenti identidem acciperent; præſertim poſtquam præfectus Turcicæ claſſis invectus triremibus Pelaſgicum ſinum expoſuerat armatos bis mille & quingentos, ut & ii venientes Thebas terra, per occaſionem intrarent in oppidum. Quamobrem crebrius quam ante cum erumperent, nullum permittebant obſidentibus locum tempuſve liberum a certaminibus vitæque diſcrimine. Semel atque iterum uno die aggerem tormentorum adorti, quem illi objecerant foſſæ labro exteriore, primo tormenta tria ferreis adactis clavis obſtruxerunt: inde egreſſi confertiores prope fuit ut aggere ipſo potirentur. Ordinum principes Vveinsfeldius, & Ri-

Augentur morbi.

Oppugnatio undique difficilis.

Hetruſci abeunt, & Melitenſes.

Eruptiones crebræ Turcarum.

& Ripetta impigre tulerunt opem: editaque cruenta pugna, dejectum hoſtem in oppidum tandem redegere. His prœliis plures quidem Turcæ cadebant, quam Veneti: quibus tamen, quod auxiliis recentibus jactura non ſarciebatur, carpi quotidie parvis damnis gravius erat. Amiſſus biduo poſt Corbonius, dum verſatur inter vineas ferrea pila tormenti majoris diſcerptus: fortis pugnator, qui in adeundis animoſe periculis primas ubique tulerat laudes. Vulneratus per eoſdem dies in pectore Ripetta, utilis uſque a principio opera ubique præclara. Ac jam pro tempore anni diu trahi nequibat oppugnatio. Quare, ubi primum ſatis patere viſum eſt decuſſi muri intervallum, Maurocenus de concilii militaris ſententia aggredi totis viribus urbem ſtatuit. Communicatis cum Principe Brunſvicenſi & legato Orkio, qui ex morbo evaſerat, conſiliis: placuit centurias utrinque aliquot Tranſmarinorum militum ante alios immitti, ut qui agilitate præſtarent corporum; ſubſequi ab ſiniſtra permixtos Italos Germanoſque mille & ſexcentos, ducentibus Principe Darmſtadienſi & Spar; ab dextra alios mille & quadringentos, quos regeret Jo. Aloyſius Magnaninus ordinum ductor: reliquæ copiæ voluntariique locati in ſubſidiis. Tum claſſici expoſiti ex navibus gravioribus & roſtratis, pars quoque remigum, ut, ſicubi uſus eſſet, adjuvarent, ſimul ut exercitus majoris ſpecies fieret propugnatoribus. Ne qua autem auxilia ab continenti in urbem interea mitterentur; juſſi ſuccedere ad Bœotiæ littora, qua pons urbis pertingit, parte altera Alexander Bonus Adriatici ſinus præfectus triremibus decem, altera Venerius navigiis armatis aliis; deſcenſionemque ſimulare. Cæteris omnibus, quæ utilia ſuis, adverſa hoſtibus poterat, inſtructis proviſiſque, apta oratione hortatur milites imperator, ut memores priſtinæ virtutis ac victoriarum, quas ex eodem illo hoſte reportaſſent, ad invadendum parati eſſent in diem ſequentem. Ea die, erat autem a. d. IV. Id. Octobr. ſigno

1688.

Corbonius interficitur.

Maurocenus aggredi urbem ſtatuit.

Fit impetus

gno

1688. gno dato, cum labrum foſſæ mœnibus objectum, cuniculis ſuccenſis everſum oppleſſet foſſæ partem; reliquum faſcibus ſarmentorum injectis raptim compleverunt: eaque velut ponte ſtrato trajicientes, urbem adoriuntur. Ab ſiniſtra nitentibus obſtabat altior, quam putarant, ruina muri: inſuper Turcæ ſaxis, ignibus, ſagittis ſubjectos inceſſebant. Nihil illi tamen retardati, ſimul cum loci iniquitate, ſimul cum hoſte pugnantes, aliquandiu conati ſunt conſcendere. Poſteaquam, multis ſuorum cæſis, nihil proficiebant; vertunt alio impetum. Turrim proximam, quam multos ante dies occupaverat Uber, invadunt capiuntque. At concurſu Turcarum ad eam repetendam ſtatim facto; vix primam procellam cum toleraſſent, turbati recipiunt ſe ad ſuos. Plus ignominiæ fuerat, quam cladis acceptum: eo adhortari duces non deſtitere, donec impetu denuo ſumpto, dejectis hoſtibus, ſecundo inſcenderent. Veruntamen quid ibi ſequerentur conſilii, incerti hærebant. Nam præterquamquod edita turris non præbebat deſcenſum facilem; congeſſerat etiam Turca ad ima ejus tædam picemque, atque utres ſulphurei pulveris, paratus incendere, ſi ſe demitterent in oppidum. Nec, ſi obtinere turrim vellent, quæ exiguum modo numerum hominum caperet, ſpes oſtendebatur quidquam ea parte tentandi. Ergo aliquandiu cum repugnaſſent, cedentes inde, conatu omni abſtitere. Interim ab dextra ſatis initio ſucceſſerat cœptum: poſtea haud diſpar eventus fuit. Per vulnera ac tela ſubeuntes Tranſmarinos non abrupta ruinæ, non ſuperſtantes armati prohibuerunt, quominus certatim aſcenderent. Ac ſummum jam tenuerant. Sed ne ultra pergerent, vallum impediebat introrſus oppoſitum: poſt id autem conferti ſubſtiterant Turcæ; gradibuſque aſtructis, illinc velut e muro vim jaculorum conjiciebant in adverſos. Fecit ibi fortiter Antonius Medinus, dux Tranſmarinis datus. Quamvis loco valde iniquo, hortando ſuos, pugnando ipſe, ut refracturus mox vallum vide-

ab duabus partibus.

Neutrobique ſucceſſit res.

videretur, ancipiti diſcrimine rem aliquandiu ſuſtinuit. 1688. At cum haud pauci interea caderent, multi deficerent labore; nec, ut præceptum ab imperatore fuerat, recens miles ſuccederet in auxilium, ceſſante per ignaviam Magnanino: viribus deſtituentibus, incœptum tandem omiſit. Oppugnantium ceciderunt plus mille; ſauciati ad ſexcentos, inter quos Princeps Darmſtadienſis & Spar. Eodem tempore periculum magnum ſubierunt triremes, quas ſubito rapuit eo æſtus vehemens; ut Turcæ ex oppido intra teli jactum haberent. Quatuor præſertim male mulctatæ, Gradonici, Orii, Pizzamani, Nanii, tum Georgii, quem etiam fragmentum ferreæ glandis ita percuſſit in cervice, ut ſui mortuum crederent; milites vero remigeſque permulti occiſi aut vulnerati. Hoc gravius ictus eſt Maurocenus exitu impreſſionis ejus, quod ſatis credenti, ſi deinde conniteretur, in poteſtatem ſe redacturum urbem, jam partibus pluribus nudatam ruina murorum, intus autem, ut transfugæ non uni affirmabant, quaſſatam paſſim ſtratamque; facultas tamen oppugnationis continuandæ non dabatur. Et tempeſtas anni minime apta erat; &, nihil remittente ſævitia morbi, haud plus quatuor millibus militum uti in præſentia poterat. Anxius cura, multaque meditatus ſecum, certus ad ultimum quidlibet pati potius, quam ut re infecta exercitum abduceret Chalcide: etſi valetudinem & ipſe adverſam per trium menſium labores gravitatemque cœli contraxerat; tamen convertit huc animum, ut ibidem hyemando extraheret bellum. Affatim materiæ præbituram inſulam videbat ad hybernacula circa ædificanda. Aſſidendo autem per hyemem, impediendoque ne dejecti muri ab Turcis reficerentur; non dubitabat quin vere primo, ſuppleto exercitu, expugnaturus eſſet. Stetit per Germanos, quominus exequeretur propoſitum. Negare hi, *injungi ſibi operam novam debere, ut annuam oppugnationem perferrent*: Contra Maurocenus agere cum ducibus, qui cauſam verterent

Ignavia Magnanini.

Diſcrimen damnaque triremium.

Cura Mauroceni.

Conſtituit ibi hyemare.

1688. in militem, ut inducerent ad perſtandum. Ubi comperit, duces ipſos auctores eſſe militibus detrectandi imperii; jamque palam recuſantes iidem defendebant, *ejuſmodi ſe condicionibus ex Germania accitos, ut per hyemem quieta & commoda hyberna haberent*: ſpem potiundæ urbis dimittere eſt coactus. Tormentis primo, ægriſque impoſitis in naves, poſtea militibus; XIII. Kal. Novemb. Eubœa ſolvit. Secuti abeuntem inſulanorum ad millia ſex; ut qui palam facto ſtudio in Venetos, non ibi tuto futuri forent. Horum agmen, dum naves petunt, carpentes Turcæ plus trecentos interfecerunt aut vivos cepere: fuerunt, qui ne in iratorum redirent poteſtatem, in mare ſe ſe dejicerent. Conceſſum inde Naupliam in hyberna eſt. Venetiis, aſſuetæ per quadriennium Civitati ſecunda audire, nunciata res triſtitiam attulit. Patres, ut ex Mauroceni literis cognoverunt ordinem adminiſtrati belli; quæ ſolicitudo & labor ejus fuiſſet; quamque obſtitiſſet prope in cunctis caſus adverſus: reſcripſere ſtatim: *bono animo eſſet & tranquillo: impleſſe eum optimi imperatoris partes: ſcire ſenatum, permulta in bello regi arbitrio fortunæ: vehementer autem rogare, ut ad exercitum maneret; neminem enim eſſe, cui civitas credita mallet arma ſpeſque ſuas*. Tum fit decretum, ut Conigſmarchio ſtatua locaretur in Navalis veſtibulo. Simul cum duces alii pro meritis affecti præmio, tum Henricus Harcurtius ex Principibus Lotharingiæ, qui voluntate in Eubœa militarat: is ſequenti anno conductus eſt ſtipendio, ut in exercitu cum imperio eſſet. Habita etiam ratio nonnullorum, qui, excellenti opera præſtita, in oppugnatione occubuerant, utili beneficentia poſteris eorum. Æſtate eadem, qua Chalcis tentata, in Illyrico capitur Tinninium. Oppidulum eſt ad Titium fluvium, quadraginta fere millia paſſuum a mari, naturali ſitu munitum. Obliquo colli inſidet: ambit duplex murus cum crebris turribus; firmat arx loco alto ac præcipiti. In propinquo parem altitudinem collem alium in arcem emunie-

Abnuunt Germani milites.

Claſſis ſolvit Eubœa.

Re audita, Senatus reſcribit Mauroceno.

Decernit Conigſmarchio ſtatuã: & præmia alia aliis.

Tinninium:

deſcriptio ejus.

rant

rant Turcæ; propugnaculum ut eſſet pontis, qua tranſitus eſt in regionem Titium interjacentem Neſtumque. 1688.
Ex Tinninio ager Sicenſis & Jadertinus ſubinde incurſabatur. Id maxime movit Cornelium, ut potiri conaretur. Itaque cum intellexiſſet, magnam partem militum ex provincia juſſos ab Viſſirio quamprimum trajicere in Pannoniam: diem præſtituit Illyriorum copiis, qua die ad Derniſium, decem circiter millibus paſſuum diſtans Tinninio, convenirent. Interim, ne ſuſpicio rei, quam moliebatur, hoſti fieret; præcipit illis, ut quam maximum poſſent tumultum, populando urendoque regione alia inferrent. Stato tempore Scardonam appulſa claſſe, exponit milites atque inſtrumentum oppugnandi: continuo Tinninium petit. Septem millia peditum habebat, quos ducebat San-Polus, & principes ordinum duo, Borrus ac Mutiæus: Zenus quoque cum equitibus mille & ducentis aderat. Octavis inde caſtris, quippe via valde aſpera ac difficili, perventum ad oppidum; accedentibus eodem tempore ab Derniſio Illyriis: nec mora collem, cujus dorſo impoſitum eſt, circumſedit; *Cornelius oppidum aggreditur.* & tormentis ex clivo, qui paſſus illinc abeſt centum triginta, præpoſito Franciſco Grimano legato ſuo, oppugnare intendit. Cuſtodiebant milites ad quingentos, quorum dux Atlaglichus; is idem, quem Boſnæ præfectura amotum, indicavimus. Ac valide quidem ex mœnibus repugnabant turribuſque. Brevi tamen ab Veneto decutitur muri aliquantum; ut jam impetus pararetur. Præverterunt illi, in ſeptum alterum murorum concedentes: *Turcæ concedunt in ſeptum alterum.* ſed qui paulo poſt, cum ingreſſi pars Illyriorum ad prædam avide diſcurrerent, in palatos facta eruptione, plus quadraginta occiderunt. Supervenit pars Illyriorum alia ab San-Polo celeriter inducta. Et primum parva contentione intra muros hoſtem redigunt: mox extantia ſaxa apprehendentes, qui habitus corporum atque aſſuetudo eſt eorum, turrim capiunt, qua aqua aſſervabatur. *Illyrii turrim capiūt.* Magnum damnum fecerant Turcæ, puteos

Digitized by Google

1688. nullos intus habentes, vaſis modo collectam aquam per domos, in dies non multos ſuffecturam. Acriter nihilominus hortatu exemploque ducis reſiſtebant: ſpes etiam ſuberat, cito ſubſidium alicunde adventurum. Sed omni ope urgenti oppugnationem Cornelio præbuit ſe inſuper fortuna. Immiſſa glans ignifera promptuariam cellam bellici pulveris accendit: quæ res, quanquam nondum erat id muri dirutum, ut iter pateret oppugnantibus ad invadendum; Baſſam tamen & præſidium ſic exterruit, ut de ſalute una cogitarent. Atque, quando condicio hæc dumtaxat ferebatur, dedunt ſe in arbitratum hoſti. Cornelius arcem ingreſſus, deſtinat remigio viros; fœminas prædam partitur inter duces: Chriſtianos captivos centum quinquaginta jubet liberos eſſe: Baſſam autem cum centurionibus aliquot Venetias mittit; qui deinde aſſervati Brixiæ in arce ſunt. Fama capti Tinninii tantum circa formidinis incuſſit, ut intra paucos dies arces aliæ, ſatis munitæ, ſine certamine venirent in poteſtatem. Legati ſtatim ab Verlicca, viginti ferme ab Tinninio diſtat millibus, haud procul Neſto flumine, adfuerunt, deditionem facientes. Poſtea Zuonigradum, parvaque caſtella aliquot cis Tedanium fluvium, abeuntibus metu Turcis qui præſidebant, occupata. Inde copiæ in Liccam inductæ, ſic dicunt regionem proximam Liburniæ: ubi validum caſtellum, Graſſatium, captum firmatumque præſidio. Tum Cornelius utendum ratus pavore hoſtium, trajicere ad Citclutum oppugnandum conſtituit, arcem ad flumen Naronam; qua expugnata, tractum ingentem adjecturus provinciæ eſſet. Ergo Tinninium dat tuendum Antonio Lauredano cum idonea manu militum. Continuo mittit illuc terra Grimanum legatum cum equitatu copiiſque Illyriorum; ipſe reliquo exercitu rediens ad triremes, Scardona proficiſcitur. Tardior navigatio fuit propter ventum adverſum & procelloſum; ut onerariæ, machinas portantes, in alto diſſiparentur. Dum eas opperitur, Norinum adoriri placuit.

Incendio territi Turcæ dedunt ſe.

Verlicca ultro venit in deditionem;

& Zuonigradum.

Graſſatiũ occupatur a Venetis.

Cornelius petit Citclutum.

Ab

Ab terra Grimanus, ab flumine triremes invectæ Naronam, oppugnabant. Vallum pro muris objecerant Turcæ. Poſteaquam id diſjici tormentis triremium videre; diffiſi viribus, noctis ſilentio dilabuntur. Cornelio tamen res non latuit. Inſequi juſſi levis armaturæ equites, non paucos interfecerunt aut ceperunt vivos, præfectum inter hos. Ut autem intellexit ex agreſtibus, ſi pontem cepiſſet Trebiſati flumini, ita vocant, a Turcis injectum, facile dein obſtiturum ne quod auxilium Citclutum intromitteretur: eo extemplo cum equitatu peditumque Illyriorum cohortibus duabus contendit. Præter opinionem pons cuſtodiebatur præſidio militum quingentorum: vallum præterea ſuperandum erat. Commiſſo certamine, quando loco iniquo parum proficiebat; retro unde venerat, redit Norinum. Et jam procedebat autumnus; ut ſi inchoaret arcis oppugnationem, perfecturus ante hyemem non eſſet. Quare Spalatum reducit copias in hyberna. Hoc quoque anno res Cæſari in Pannonia ad optatum evenerunt; nihil per hyemem omiſſa cura belli apparandi propter mentionem pacis, quam reſcierat hoſtem moturum. Novus Viſſirius, qui uſque a principio pro certo habuiſſet, nullum ante calamitatum fore finem, quam pax fieret; omni ſtudio regi conatus fuerat perſuadere, ut huc intenderet conſilia. Abnuebat rex religioni deditus. Quanquam enim illatum injuria bellum ab fratre confitebatur, tamen in leges Mahumetis prophetæ ſui peccaturum ſe putabat, ſi ſe demitteret ad pacem orandam. Nihilominus in concilio Viſſiriorum reperta ratio eſt trahendi eum in ſententiam, quæ una cunctis videretur ſalutaris. Cum ab novis regibus Turcarum mitti conſueſſent accenſi, Chiauſios dicunt, qui Principes Moldaviæ & Valachiæ certiores facerent de occepto regno: hortabantur, *ut legaret tunc ipſe Viennam etiam certos homines cum literis ad Cæſarem, Poloniæ regem, & ſenatum Venetum, quibus literis idem illis nunciaret; tum veluti per occaſionem indicaret leviter, non eſſe*

1688.

Norinum deſerunt Turcæ.

A Citcluto tentando abſtinet Cornelius.

Viſſirius auctor eſt pacis quærendæ.

1688. *eſſe ſe a pace prorſus alienum, quo a mutuis cladibus populorum aliquando reſpiraretur: legatione non decreta præcipue ad petendam pacem, nihil declinaturum ab culmine dignitatis, receſſurumve ab voluntate prophetæ.* Ita argutando temporis cauſa nebulones acuti, regi pavitanti ſcrupulum evellerunt. Iſtiuſmodi ergo poſiturus initia pacis, deligit Sulficar Effendum, habitum ſolertiæ multæ catumque, qui literas perferret, & condiciones, ſi ſpes fieret tranſigendi, audiret ederetque: adjungit vero ſocium Alexandrum Maurocordatum, callidum Græcum ac vafrum. Hic juvenis in Italia fuerat, Romæ primum, ut latinis literis daret operam, deinde cauſa medicinæ diſcendæ, Patavii; qua in urbe capitalia auſus, cum vim judiciorum fuga evaſiſſet, damnatus abſens, Conſtantinopolin ſe contulerat: ibique varia uſus fortuna, tandem in principum dignationem pervenerat, eratque nunc primo loco in regis interpretibus. Dum profectionem legati parant: unum interea agebat Viſſirius, ut milite firmaret fines; deſtinato conſilio, nihil committere dubiæ ſpei pugnarum, ſed defendendo oppida ſingula arceſque, hoſtes fatigare. Quæ cura felix illi in Eubœa fuit: in Pannonia accidit longe ſecus. Cæſar redactis in ditionem, quæ inter Dravum Savumque flumina ſunt, prope omnibus; ultra Savum ferre arma decreverat, ac Taurunum ipſum adoriri, in quo momenti eſſet plurimum ad Pannoniam reliquam ſubigendam retinendamque. Graviter ægrotanti Lotharingio Ducem ſufficit Bavariæ, qui ſummo cum imperio præeſſet exercitui; ad eumque colligendum Capraram veris initio Murſam mittit. Interim alibi ab ducibus aliis proſpere gerebatur bellum. Placuerat tentari Albam Regalem, urbem amplam atque opulentam Pannoniæ Inferioris, ad Urpanum amnem, triginta ferme ab Strigonio & Buda millibus. Circumſederat numero haud exiguo armatorum Areyzaga tribunus; ſeptiſque paſſim viis, milites atque oppidanos fame dudum macerabat. Hi ut admoveri jam opera, com-

Perſuadet regi, qui legatos deſtinat Effendum,

& Maurocordatum.

Dux Bavarorũ exercitui præpoſitus a Cæſare.

Alba Regalis

por-

portarique machinas videre; undique coorti in Baſſam defenſionem inſtruentem, approperare coegerunt deditionem. Non multo poſt venit in poteſtatem Lippa, Pannoniæ Superioris oppidum, ſuper Maruſium flumen; cujus infeſtam navigationem præſidium, quod erat intus, faciebat. Præmiſſo Veteranno cum mille equitibus ad loca circa inſidenda; paucis poſt inde diebus cum reliquis quas habebat copiis accedens eodem Caraffa, vineis ac balliſtis oppugnare cœpit. Biduum reſtiterunt incluſi. Ubi diruta parte murorum, neque animi ſatis, neque virium ad impreſſionem ſuſtinendam ſuppetebat: urbe incenſa, in arcem confugiunt. At brevi illinc quoque detraxit terror oppugnationis: pacti id modo, ut incolumes eſſent, in arbitrium conceſſere. Nec expectare vim auſi, qui Solmozium, ſic arcem appellant ultra Maruſium, parvo ab Lippa intervallo, tuebantur; poſtmodum qui Lugas, arcem aliam ad amnem Temes, quindecim ab Lippa millibus paſſuum: nam ſimul vocavit Caraffa ad deditionem, paruerunt. Præſidiis impoſitis, dum pergit ad exercitum, quem Caprara cogebat circa Murſam; Tibiſco etiam, arce ad cognominem fluvium, qui non inde procul Iſtro incidit, levi certamine potitur. Capraræ item præter ſpem obſecundarat fortuna. Savum flumen tranſducturis copias, videbat fore haud tutum relinquere ab tergo Petro-Varadinum & Illok, id nomen eſt arci itidem ſuper Iſtrum, quæ ab hoſte tenebantur. Ergo, dum Bavariæ Dux adventat, experiri oppugnationem ſtatuit. Vixdum profecto repente affertur, Illok exceſſiſſe Turcas, parte ædificiorum incenſa. Eo itaque citato progreſſus agmine, non reſtinguere ſolum incendium potuit, ſed etiam abeuntes perſequi: quos adeptus prope Savi ripam, multos occidit cepitque, & impedimenta ademit. Tendebat mox Petro-Varadinum. Sed hoc pariter deſertum oppidum fuga hoſtium comperit; qui, præparatis ante cuniculis, pluribus locis mœnia disjecerant. Igitur, aſportato ab

1688.

deditur.

Lippa oppugnatur.

deditur:

inde Solmozium,

Lugas,

& Tibiſcũ.

Caprara occupat Illok,

& Petro-Varadinũ.

Illok

1688. Illok bellico inſtrumento, neutiquam omittendam Petro-Varadini cuſtodiam ratus; reficit confeſtim muros, præſidioque militum firmat. Hæc cum agerentur, venit ad exercitum Bavariæ Dux. Quadraginta millia Germanorum militum erant præter auxilia Pannoniorum. Quando autem quæ præmolienda viderentur, omnia Capraræ perfecta invenerat cura; non dubitavit ducere protinus Taurunum. Optimum cenſuerat duobus ferme millibus illinc paſſuum Savum tranſire, qua diviſum inſula flumen trajectum breviorem facit. At in motus quoſvis intenti Turcæ inſulam jam inſederant. Quare ſilentio dextra flectit: tectuſque arboribus, queis condenſæ ſunt ripæ, modico ſupra inſulam intervallo commodum nactus locum, conſtituit nocte proxima tranſmittere. Rates ad hoc magna copia plauſtris vehebantur. Dejici eæ tamen in flumen nequiere, quin Turcæ perſentirent. Et illuc concurſu facto, ex adverſa ripa temere, ut in tenebris, jaculantes prohibere hoſtem tranſitu conabantur. Diffugere tunc territi remiges. Quod ubi animadvertit imperator; præmio propoſito, aureis binis, quibuſcunque ad remigandum animus eſſet, plurimos accendit. Atque exiguo tempore, præeunte Aſpremontio legato, quinque millia peditum & multitudo foſſorum, Turcis repulſis Tartariſque ac centuriis aliquot Pannoniorum, qui Tekelio duce appellentes arcebant, tranſvecti ſunt. Luce prima Tauruno mittitur denuo Tekelius cum delectis cohortibus atque ala equitum, ut munientes Germanos inde ſubmoveret. Sed, conſerta pugna, mox fuſus cum cæde eſt: ergo jungitur haud cunctanter ponte flumen, exercituſque omnis trajicitur. Tum recta pergunt Taurunum. Satis magno ab urbis muris ſpatio vallum continens perduxerant Turcæ ab Savi ripa ad ripam Iſtri: nam ſic poſitum Taurunum eſt. Qua Savus in Iſtrum cadit, angulo Serviæ extremo ſita urbs, hinc Savi, hinc Iſtri aquas ſub ipſis fluentes mœnibus habet. Qua autem flumina intermittunt, claudebat

Dux Bavarorum ad exercitum.

Repulſis hoſtibus,

Savum ſl. trajicit.

Tauruni ſitus, & vallum,

debat vallum, milliaque militum octodecim tutabantur; ut appareret plurimum laboris operiſque oppugnationem munitionis ejus præbituram. Veruntamen cuncta ſimul inclinante fortuna, præter opinionem nihil ibi fuit certaminis. Præerat Oſmanes, princeps, ut expoſuimus, ſeditioſorum ad Sophiam: cui Viſſirius, ut tolleret tumultum, permiſerat imperium copiarum; quod antea denegatum in prava conſilia ſuperbum hominem impulerat. Is ſtatim atque Germanos tranſiiſſe flumen audivit; obſidionem expectare non auſus, vicis inter vallum mœniaque, qui frequentius prope quam urbs habitabantur, ſubiecerat ignes. Continuo relictis tribus millibus peditum, quibus ſuper præſidium aliud uteretur Muſtapha Baſſa ad urbem defendendam: ipſe cum exercitu cætero abiens, ultra Margin flumen ſe recepit; deducto etiam milite, dum ea feſtinaret, ex Spenderobi item ad Iſtrum, oppidoque incenſo. Præmiſſus Eugenius Princeps Sabaudiæ cum ala equitum, nullo prohibente, vallum ingreditur: cauſamque rei inſperatæ intelligit ex occurrentibus ac ſupplices ad eum tendentibus manus, Græcis Raſciſque, qui vicos incolebant. Hi multitudine magna excluſi oppido, ne oneri forent, effugioque per flumina non reperto, quia deficiebant navigia; conquerentes ſe deſertos, fidem Germanorum implorabant. Juſſi habere ſpem bonam. Nemo violatus eſt: ac, qui eorum apti præcipue bello eſſent, in militiam poſtmodo volentes adſcripti. Inventa ibi horrea commeatuum referta copia, quæ amens pavore Oſmanes corrumpere prætermiſerat. Primo autem adventu Bavariæ Ducis cum univerſo exercitu, oppugnari ab duabus partibus urbs cœpta aggeribus vineiſque. Poſt aliquanto advecta Iſtro ſecundo tormenta admoventur: prœliiſque aliquot cum hoſte factis, qui ad diſturbanda opera eruperat portis; octodecim intra dies perventum ad foſſam eſt, & ruina murorum ſic patefactum oppidum, ut iter jam eſſet ad invadendum. Tunc moratus Dux tantiſper, dum foſſa

1688.

Oſmanes Dux Turcarum

deſerit vallum.

Urbs oppugnatur a Germanis.

1688. expleretur, & cuniculis minuerentur ruinarum abrupta; *Impreſſionẽ faciunt.* VIII. Id. Septembr. delectas cohortes dextra lævaque adoriri jubet. Magna vi ſuccedentibus Germanis, Turcis obſiſtentibus, utrobique dimicatio fuit atrox: atrocior tamen dextra parte; ut, niſi Dux ipſe ſtricto gladio eo accurrens inclinantes ſuos ſuſtinuiſſet, ceſſuri inde incœpto irrito viderentur. Hortatu atque exemplo ejus confirmati, acrius inferunt ſe ſe: nec conniti ante deſtiterunt, quam hoſtibus deturbatis, in ruina conſiſterent. Vallum foſſamque pro diruto muro oppoſuerant illi introrſum; ut novus de integro objiceretur labor Germanis. Sed recenti milite ſubmiſſo, eo mox impetu ſunt invecti, nulla ut ope reſiſti potuerit. Uno fere tempore qui ab læva pugnabant, perrupere: ſimul, ut in trepidatione ingenti, minus ad cuſtodiam locorum aliorum intentis barbaris, alibi capiuntur muri refringunturque portæ. *Urbem expugnant.* Agmina tum armatorum vadere in urbem, cunctaque tenere cædes: neque enim ullam in partem tutum perfugium erat victis; excluſis ab arce etiam, quo maxime fuga inclinarat, ut quæ capere multitudinem non poſſet. Arx ipſa, nequicquam parante tueri Muſtapha cum paucis, nam præ formidine cæteri detrectabant, paulo poſt traditur; accepta tantum fide, *Arce potiuntur per deditionem.* vitam ſalvam fore. Millia multa Turcarum ea die periere. Germanorum haud plus mille & ducenti, inter quos tamen nobiles duces non pauci occiſi, in iis Scharfembergius & Fruſtembergius; aut ſauciati, inter alios Princeps Commercii, Auſpergius, & Adamus Henricus Stenaus; Dux etiam Bavariæ leviter in gena ictus. Expugnata urbe tam valida, omnia late obtinente ſtrage & ruina; viſum accidere opportune, ut legati duo *Legatorum Turcarum adventus, & mæror.* Effendus & Maurocordatus, forte tum Budam illac contendentes, venirent ad deforme ſpectaculum cladis tantæ. Ferunt, Effendum non tenuiſſe lacrymas. Et pro fortuna gerens animum, cum Duce Bavariæ collocutus de rebus quarum cauſa mitteretur; complura executus

eſt

eſt de bello injuſte ſuſcepto ab Mahumete rege, cui fœdera rumpenti tam infeſtum fuiſſet numen divinum; deque lenitate & juſtitia Suleimanni: qui, niſi Cæſar abhorreret a conſiliis pacis, paratus eſſet arma deponere, & quidquid pepigiſſet, firmum atque inviolatum perpetuo ſervare. Datis qui in itinere ſalvos præſtarent, neceſſaria imperat Bavarus reficiendæ urbi tuendæque. Inde deſtinatis copiis aliis alio, præſertim in Slavoniam, relictoque Caprara qui cætero exercitui præeſſet; Viennam revertitur. Sed jam in Slavonia ductu Principis Ludovici Badenſis feliciter adminiſtrabatur bellum. Ad Vanam uſque flumen, quod eſt in Croatiæ finibus, progreſſus, arcem permunitam, Caſtanovitium, oppugnando acceperat in deditionem: poſtmodum Gratianam intrarat, ad ripam Savi, metu diffugientibus Turcis; Brodt etiam, quæ arx itidem eſt ad Savum, medio ferme loco inter Verbanum & Boſnas amnes. Ponte Savum jungenti, munientique caſtellis ſuperimpoſitis, ut, utralibet parte ſe ſe oſtenderet, occaſioni non deeſſet; nunciatur Baſſam Boſnæ ſeptem millia armatorum ad Deutam arcem, viginti inde millibus paſſuum diſtantem, collegiſſe, ut eum quamprimum adoriretur. Spem cepit, ſi hoſtem nihil minus opinantem opprimeret, terrore injecto, facile ſe ſuperaturum. Quare cum tribus millibus equitum profectus nocte, incerta adhuc luce eo cum perveniſſet: etſi majorem etiam, quam allatum fuerat, numerum Turcarum eſſe ſenſit; tamen audendum arbitratus, ferox invadit ab latere. Pedites ibi erant, nondum ſatis ad pugnam inſtructi. Hi equeſtrem impetum paulum primo ſuſtinuerunt; deinde turbati referunt pedem: urgentibus poſtremo acrius Germanis, haud dubie terga dantes equitatum etiam in fugam avertunt. Inſecutus victor ad mille & quingentos occidit; ſigna militaria quatuor & triginta ademit. Germanorum deſiderati haud plus ducenti. Quo tempore hæc Badenſis in Slavonia; Caprara invectus penitus in Moeſiam

1688.

Badenſis in Slavonia occupat Caſtanovitiũ, Gratianã, & Brodt.

Pugnat cũ Baſſa Boſnenſi ad Deutam:

eum ſuperat.

Caprara Moeſiam populatur.

1688. ſiam Superiorem, tractum non modicum perpopulatus eſt, pavore late incuſſo, vicisque & caſtellis multis dirutis incenſiſque. Veterannus quoque in Superiore Pannonia, jam ante potitus per pactionem arce ad Temes fluvium, viginti circiter ab Lippa millibus, Karanſebes vocant; arces deinceps plures & ignobilia caſtella nullo pene labore cepit, nudatis ab hoſte ferme omnibus præſidiis, patefactiſque bello. Triſtia hæc alia ſuper alia nunciata Conſtantinopolin tumultum exciverunt. Atque, ut ſunt mobiles multitudinis animi ibi potiſſimum, tædere novi cœperat regis. Non omiſere opportunitatem homines cupidi novandi res, tribuni aliquot, & principes ordinum, præfectuſque Janiſſarorum; ut qui conſiderent in magno motu primas quaſque dignitates ad ſe perventuras. Conſociant hi inter ſe conſilia de Mahumete reducendo in regnum, tollendoque ante alios principe Viſſiriorum. Sed indicio conſpirationis ad hunc delato per tribunum quendam, indignantem in partitione munerum non habitam juſtam ſui rationem ab cæteris conjuratis: comprehenſi illico omnes ſunt necatique. Rex, qui ſe non ſatis tutum crederet Conſtantinopoli, ubi, pro populi frequentia ingenti, turbæ facile exiſterent; Hadrianopolin haud ita multo poſt concedit: adducit autem eodem fratrem Mahumetem cum filiis, aſſervari juſſum arcta cuſtodia, ut haberet in poteſtate, ſi quando deſiderio ejus periculum ſibi immineret ab conjurationibus ſuorum. Inter tot adverſa tamen, ſpes interdum exoriebatur, meliorem in poſterum fortunam belli fore. Nam præterquamquod hoc anno ceſſaverant prorſus Moſchi; Poloni vero in annos ſingulos lentius agentes, Cameneciam hac æſtate obſeſſuri deſtiterant inter apparatum primum: Galliæ rex præterea intulerat nuper arma Cæſari, is autem ad reſiſtendum novo hoſti cogebatur avertere partem virium; quibus prementibus, diffideret ipſe continentia Pannoniæ ſe defenſurum. Non ſupervacanei operis fuerit tantiſper excedere

Veterannus capit Karanſebes, & loca alia.

Terror magnus Conſtantinopoli.

Conſpiratio in regem & Viſſirium: quæ detegitur.

Rex concedit Hadrianopolin.

Galliæ rex bello petit Cæſarem.

ad

ad enarrandum, quæ cauſæ impulerint Gallos, ut Cæ- 1688.
ſarem appeterent bello: quo factum eſt, ut Turca reciperet animum ab cladibus, quibus ſubinde cumulatis, ſatis creditur emoveri tandem Europa potuiſſe. Depoſitum aliquot ante annis bellum, paulo poſt redintegrarat Galliæ rex adverſus Cæſarem & Carolum Hiſpaniæ regem; quo tempore Argentoratum inter alia & Lucemburgum de iis ceperat. Altero poſt anno quam bellari cœptum fuerat cum Turcis, ut Cæſar copiis univerſis incumberet in curam hanc unam, tranſegerant Ratisbonæ; ut ab armis utrinque diſcederetur, induciæque viginti annorum uti eſſent. Aſt exinde complura intervenere irritamenta *Cauſæ belli ejus.*
irarum; quæ in dies auctæ, poſtremo ruptis induciis, iterum exarſerunt in arma. Obierat anno ſtatim ab induciis Carolus Elector Palatinus: atque proximus ei virilis ſexus, ex lege dati olim Principatus, ſucceſſerat Philippus Gulielmus, Dux Neuburgenſis, Cæſaris ſocer. De bonis autem, quæ Caroli fuerant libera & hæreditaria, contentio extiterat inter Philippum & Carlottam Eliſabetham, ſororem unicam demortui; quæ Duci Aurelianenſi, fratri regis Galliæ, quatuordecim ante annos nupſerat. Cauſam fratris ſuſcipiente rege, cum diu ultro citroque agitando convenire haud potuiſſet: ſumptus ex compoſito conciliator Pontifex Innocentius. Et ab Philippo quidem procurator in id Romam miſſus. Verum, quidquid obſtiterit, miſſus nullus ab rege: quin indicia interim apparebant commoti animi, infenſique non Philippo ſolum, ſed etiam Cæſari; cujus fretum illum affinitate, & conſiliis inſtinctum, de re minime dubia ſecum certare auſum arbitraretur. Acceſſerat alte- *Fœdus Auguſtanum*
rum, quod ægerrime ferret, fœdus ictum Auguſtæ Vindelicorum inter Cæſarem Civitateſque Germaniæ ac Belgarum, prælato titulo communis defenſionis. Neque ambigebatur vulgo, quin ſocietas hæc ſpectaret Galliæ regem ipſum ante alios, jam nimio plus ſuſpecta potentia ejus; præſertim poſtquam inaudita pridem forma judi-

1688. judicii, quam Metis inſtituerat, viſus erat ludibrio habere Principes finitimos. Curam his acuebant retentæ ab eodem urbes duæ opportunæ ad impetus in Germaniam inque Belgium faciendos, Argentoratum & Lucemburgum; tum autem arces in Galliæ finibus, quibus muniendis condendiſve intentum, coquere bellum novum, pro certo exiſtimabant. Rex, qui metueret ne, confecto ab Cæſare Turcico bello, omnes in ſe coorirentur; hoc agebat, ut iſtiuſmodi diſſolveret ſocietatem. Quare per Pontificem affert Cæſari condiciones: *ſi uxor fratris ſui induceretur in poſſeſſionem bonorum quæ propria Caroli fuiſſent, ſique infectum fieret fœdus Auguſtanum; paratum ſe eſſe pro induciis pacem perpetuam componere.* Nihil cum profeciſſet, quod eam pacem fore infidam rebantur fœderati: alia res interceſſit, quæ expectatione citius concitaret ad arma. Maximilianus Henricus Archiepiſcopus Colonienſis, ſenio & morbo invalidus, Archiepiſcopatum interea adminiſtrandum demandarat Gulielmo Friſtembergio, Epiſcopo Argentoratenſi; qui biennio ante, petente rege Galliæ, dictus Cardinalis fuerat. Is fultus opibus regis, adnitente Max. Henrico ipſo, perſuaſerat Canonicis Colonienſibus, quibus jus eſt eligendi Archiepiſcopi, ſe ut deſignarent ſucceſſorem. Non impetrabile a' Pontifice credebatur, ut probaret factum. Tum per ſe nequaquam pronum animum gerebat Innocentius in regem Galliæ, valde inter alia abalienatus ob legationem Lavardini: tum retrahebat Cæſar, qui nollet Friſtembergium, addictum illi ac velut auctoratum, induci in numerum Electorum. Timebat etenim ne impediret, quominus Joſephus filius ſuus crearetur rex Romanorum; inde vero, adjuvantibus Moguntino ac Trevirenſi Archiepiſcopis, quos Galliæ confines, habiturus propterea rex videbatur arbitrii ſui, rem inclinaret ad Delphinum filium ejus, quem adſpirare ad ſpem eandem dudum comperierat. Dum Pontifex deliberat, moritur Archiepiſcopus. Duo petebant; Cardinalis idem Friſtemberg-

quod rex Galliæ fruſtra conatur diſſolvere.

Contentio de ſucceſſione in Archiepiſcopatum Colonienſē

inter Card.

ber-

bergius & Clemens frater Bavariæ Ducis, Epiſcopus 1688.
Ratisbonenſis ac Friſingenſis jam deſtinatus. Et quoniam *Friſtembergium, & Clementem fratrem Bavariæ Ducis.*
per Canones non licet obtinenti Epiſcopatum mutare,
niſi permittente Pontifice; Pontifex autem Clementi annuens,
non ſolum non annuebat Friſtembergio idem
roganti, ſed etiam denegabat facultatem dimittendi Epi- *Clementi favet Pontifex.*
ſcopatus Argentoratenſis: deteriore loco hic erat minime
dubie, quippe quem, ob non impetratam a Pontifice
poteſtatem, ex lege neceſſe eſſet in comitiis Canonicorum
de tribus ſuffragiorum partibus duas ferre. Cum
ex ſuffragiis vigintiquatuor, tredecim tantum tuliſſet: *Clemens creatur Archiepiſcopus.*
judicio Pontificis Clemens, quanquam numerus minor
ſuffragati ei fuerant, renunciatur Archiepiſcopus. Pupugit
id regem Galliæ; qui nequicquam expertus omnia
apud Pontificem, ut pro Friſtembergio decerneret, prorſus
agi ibi dignitatem ſuam putaret. Interim militum *Milites Galli in terris Colonienſibus.*
aliquantum cum miſiſſet in terras Colonienſes, ſpecie
protegendi jura Canonicorum; re ipſa ut, ſi opus foret,
parata arma ad cauſam ſuam tuendam Friſtembergius
haberet: hoc vero pleroſque Germaniæ Principes,
Civitateſque vehementer offendit. Palam fremebant: *in- Querela Germanorũ.*
*ſidiari illum libertati Germanorum: aviditate potentiæ inexplebili
numquam quieſcere: impune violatum fœdus Noviomagenſe
animos facere in dies majores: huc tendere conſilia, ut, qui
fines antiqui Galliæ fuiſſent, alia atque alia occupando fraude,
regnum tandem terminaret Rheno flumine: niſi quam maturrime
obviam iretur cupiditati, profecto perducturum ad exitum quæ
ſpe immodica propoſuiſſet.* Alebat querimonias has Cæſar; *Cæſar,*
auxiliaque illis pollicebatur, quorum propter adempta
ab rege potiſſimum emineret dolor. Inſtigabat itidem rex *rex Hiſpaniæ,*
Hiſpaniæ; qui cum bello amiſſis, tum interceptis in pace
valde angeretur. Simul Belgas jam ſponte infenſos *Belgæ,*
ob illata negotiationi ſuæ maritimæ detrimenta cæteramque
regis aſperitatem in ſe, incitabat inſuper Gulielmus *Gul. Auriacus, infenſi Galliis.*
Auriacus: agitantis enim de invadendo Britanniæ regno
intererat diſtringi Germanico bello vires Gallorum, ne
inde

Digitized by Google

1688. inde Jacobo regi auxilium adveniret. Hi animi Principum ac Civitatum cum eſſent, & bellum ubique appararetur: providebat Ludovicus, ubi Cæſar impoſuiſſet Pannonico bello finem, quem haud longe abeſſe, ſpondebat decreta recens ab rege Turcarum legatio de pace, omnes ad ſe unum oppugnandum protinus conſurrecturos. *Rex Galliæ bellum movet.* Itaque non ultra diſtulit quin occuparet ipſe vim inferre; prius tamen cauſis editis, quamobrem ad id cogeretur. Vulgabat autem maxime has: *ut Friſtembergium in petitione Archiepiſcopatus, & jura Eccleſiæ Colonienſis ſuſtineret: ut fratris uxorem induceret in poſſeſſionem bonorum, quæ illi hæreditatis jure deberentur: ut eos perſeqneretur, qui ſuſpecti ſibi propter opes nimias eſſent; contraherent copias; jungerent inter ſe fœdera; pacemque pro induciis ab ſe oblatam repudiarent*. Tum orſus bellum ab urbe, quæ videretur aditum facilem præbitura Cæſari ad irrumpendum in Galliam, Philippoburgum aggreditur. *Delphinus filius ejus capit Philippoburgũ, Manhelmium, Francodaliam,* Præerat exercitui Delphinus filius ejus: qui triginta ferme dies cum oppugnaſſet, urbe potitus per deditionem, continuo Manheimium & Francodaliam adoritur; quæ oppida ferebantur ad uxorem Ducis Aurelianenſis inter alia pertinere. *Aug. Trevirorum, Heidelbergam, Vvormatiã, Spiram, Moguntiã, Bonnã, Bingium.* His quoque captis, nec ita multo poſt Auguſta Trevirorum, Heidelberga, & Vvormatia: Electoris Palatini terras igne ferroque evaſtavit. Eodem tempore Spira, Moguntia, Bonna, & Bingium portas victori aperuerunt: quibus tamen avaritia militum, imperio ducis potentior, non pepercit. Hac expeditione proſpere commiſſo bello, *Rex edit condiciones deponendi belli:* ſcriptum rex promulgat: *quæ indignitatibus multis compulſus arma retractarit, niſi honeſtæ condiciones recuſarentur, ponere paratum eſſe: Philippoburgum, everſis muris, redditurum antiquo domino Epiſcopo Spirenſi, Friburgum Cæſari: pecuniam accepturum pro iis, quæ deberentur fratris uxori, dicto pretio per æſtimatores: ſi qua autem diſceptanda cenſerentur, uſurum libenter arbitrio regis Britanniæ & ſenatus Veneti*. *quæ ab hoſtibus reſpuuntur.* Neminem hæc permoverunt. Præoptare bellum univerſi; magna ſpe, conjunctis Germaniæ atque Hiſpaniæ

co-

copiis, recuperaturos ſe, quæ poſt fœdus Noviomagenſe 1688. vi atque injuria parta haberet; ſubacturoſque ad ſubeundam pacem hujuſmodi, unde haud facile ſolicitare in poſterum Germaniæ ſtatum poſſet. Itaque Cæſare, Germaniſque prope omnibus, & rege Hiſpaniæ conferentibus in unum exercitus, bellum accenſum ingens eſt, quo decem perpetuos annos flagravit Europa. Britanni quoque de principio ſtatim hoſtes facti; converſione ſubita rerum, quæ ibi Catholicam religionem, attollentem ſe ab gravi caſu, denuo miſere afflixit. Facinus reddit memorabile in paucis magnitudo & atrocitas ejus. Rex Britanniæ erat Jacobus, hoc nomine ſecundus; qui triennio ante Carolo fratri mortuo ſucceſſerat. Catholicæ Fidei ex animo deditus, non ſolum aperte ipſe profiteri non dubitarat ritus Romanos; ſed etiam hanc primam fecerat curam ſuam, ut ad eoſdem regnum univerſum, ſublata hæreſi, revocaret: in quo tamen uti eſt viſus initiis haud paulo acrioribus, quam contumaci ingenio populi paterentur. Illico enim abrogare conatus fuerat jusjurandum, quo inituri magiſtratus ſe obſtringebant, abdicaturos Catholicam religionem: munera publica nonnulla Catholicis hominibus fungenda mandarat: ubique Britannicarum inſularum patere voluerat templa colendis Romanis ſacris: legatum etiam, ut monuimus loco ſuo, more uſitato Orthodoxis regibus, Romam miſerat; miſſumque invicem a Pontifice palam acceperat. Quando iniquo animo ferebant Britanni, expulſam legibus religionem reduci arbitrio regis; detrectabantque plurimi imperium: incutiendum arbitratus terrorem, cum in aliis multis ſeverum ſe præbuit ac rigidum, tum Anglicanæ ſectæ Epiſcopos aliquot, abnuentes promulgare edicta regia, ex quibus libera facultas fiebat Romanæ religionis exercendæ, in judicium vocavit: VIIvirum quoque inſtituit magiſtratum Anglicanis erroribus coercendis. Tum vero gens ferox & impotens, odium, cui per metum moderata ad eam diem fuerat, non ultra te-

Converſio rerum in Britannia.

Jacobus rex Catholicæ religioni addictus.

Severe agendo irritat Heterodoxos.

1688. tenuit. Conjurationes extemplo initæ de rege ejiciendo. Filiam ejus Mariam in matrimonio habebat Gulielmus Henricus Naſſavius, Princeps Auriacus, magnæ auctoritatis inter Belgas, præſes apud hos perpetuus armorum; ſagax conſilio, & impiger ad meditata perficienda. Et ipſe dudum ingreſſus ſpem fuerat jure uxoris ſuccedendi in regnum, quod ſocero ſtirps nulla virilis eſſet: & principes Britannorum, ex quo Jacobum cœperant averſari, converterant in eum ſtudia. Fefellerat ſpem natus ſub idem tempus Jacobo filius ex uxore altera, Maria Beatrice Eleonora Eſtenſi. Sed perciti furore ac rabie Britanni ad illud extremum cum decurriſſent, ut maligne quædam nefarieque confiċta de partu eo diſſeminarent: nihil cunctati ſunt clandeſtino agere cum Auriaco, fide data, *ſi, ab Civitatibus Belgarum impetratis auxiliis, claſſe trajiceret in Britanniam, dicturos ipſum regem*. Nihil factu facilius erat, quam anxie idem cupienti perſuadere. Neque Auriaco defuit ſolertia, ut e veſtigio Belgas, quo vellet, duceret. Etenim cum tenuiſſet, ut ab Ordinibus proceres tres deligerentur, collata poteſtate ſtatuendi ſecum de maximi re momenti, quam in præſentia tegi occulique e rep. foret: iis aperit, *ſi præſto eſſent Belgæ, brevi futurum ut Britanniæ regno potiretur. Hoc ad utilitatem Civitatum vel plurimum pertinere: habituras nanque regem amicum, fidumque ſocium in quavis fortuna, pro Jacobo infeſto; qui, ſi ſerva omnia, quod jamdiu moliretur, in Britannia feciſſet, conaturus deinceps quidlibet videretur, ut Belgas quoque ſuperbo ſervitio premeret*: tum pollicetur, *ſimul atque regnum ipſe occepiſſet, bellum indicturum communi hoſti Galliæ regi: inde, quæ graves controverſiæ inter Britannos & Belgas cauſa maritimæ negotiationis ad Indos intercederent, eas ſe condicione Belgis æquiore ſublaturum*. Illico aſſenſum eſt. Quamobrem ab Civitatibus decreta haud gravate pecunia Auriaco; juſſaque claſſis ornari, quantam duceret neceſſariam ad quæ in animo volveret, exequenda. Magni apparatus fama audita, Britanniæ & Galliæ reges, id

Conjurant principes de eo expellendo, & accerſendo Auriaco.

Auriacus tenet a Belgis ut ſe adjuvēt ad occupandū regnum.

Inſtruitur claſſis in Belgio.

id quod erat, ſuſpicati ſunt. Ac, poſtquam per legatos 1688.
exquirenti utrique ex Belgis, quorſum ſpectarent ea arma, indicia obſcura fiebant, Britanniam peti: inſtrui ſumma cum cura defenſio cœpta. Exiguo tempore ab Jacobo ſimul claſſis quadraginta celſioris formæ navium, ſimul exercitus terreſtris quinque & viginti millium contrahitur: ſi inteſtina abfuiſſet fraus, virium ſatis ad ſe regnumque tutandum. Minus cautus in reputanda fide ſuorum; qui acerbe inimici, benevolentiam tamen ſimulando, peſtifera ſuadebant, hortantes, ut nihil prorſus militum aut navium ex Gallia acciperet, ne infeſtiores non credendo faceret Britannos, neve Belgas in ſuſpicione ſanciti cum Ludovico fœderis confirmaret: oblata omnis generis auxilia recuſavit. Ita in tanto diſcrimine copiis Galliæ regis, quibus unis tuto ſalutem commiſſurus ſuam fuerat, non eſt adjutus: quin hæc illi amicitia non parum obfuit. Nam cum apud Belgas nudaſſet animum rex Galliæ, profeſſus ſe regi amico & ſocio, ſi armis appeteretur, non defuturum: effecit, ut ſolicitudo impenſe creſceret Civitatibus, quæ putarent quotidie magis, clandeſtinum inter duos reges fœdus non Britannis magis, quam ſibi demum fore exitiabile. Ergo his apparatum terreſtrem & navalem approperantibus: Auriacus, ad quem proceres ſubinde alii atque alii ex Britannia ventitabant orantes ut maturaret trajicere, III. Kal. Novembr. proficiſcitur quinque & ſexaginta navibus majoribus, navigiiſque aliis formæ variæ ferme quadringentis, quibus armatorum millia quindecim bellicumque inſtrumentum tranſportarentur. Prohibuit tempeſtas, ne ante diem XVII. Kal. Decembr. Britanniam teneret. Cæterum nullius ibi contentionis res fuit: omninoque viſus eſt in vacuam poſſeſſionem venire. Nemine vim arcente cum exſcendiſſet; Exoniæ primum ei portæ patuerunt. Inde non ſolum exceptus eſt magno ubique civitatum gaudio, vindicem vocantium religionis & libertatis: ſed etiam pars maxima militum

Deceptus Jacobus recuſat auxilia Galloru͞.

Auriacus navigat in Britanniã.

Patet ei Exonium.

Deficiu͞t ab

 litum

Jacobo populi, & proceres, militeſque.

1688. litum naviumque Jacobi regis, tum primores prope omnes, gener ipſe alter, Georgius Princeps Daniæ, qui Annam filiam ejus aliam habebat uxorem, intra paucos dies, derelicto poſſeſſore legitimo regni, ad occupantem defecerunt. Fœda interim edita paſſim exempla impietatis: violata templa, aræ everſæ disjectæque, Divum imagines exculcatæ; ut viderentur cum Superis ſacrilego & furiali ſcelere bellum ſuſcepiſſe. Tum rex, viribus nullis ad obſiſtendum, ſpeque nulla in

Jacobus cũ uxore & filio recipit ſe in Galliam.

populorum caritate, cedere ante ſtatuit fortunæ, quam quidpiam in ſe triſtius ii auderent, jam aſſueti parricidiis regum ſuorum. Uxorem primo ac parvulum filium, datis cuſtodibus qui fallerent inſidiatores, in Galliam mittit: paulo poſt extorris & ipſe regno, mentita veſte habituque ſequebatur. Repulſum vento cognitumque reducit in regiam læta multitudo; ab levitate indutis repente in eum animis aliis. Verum, dum ſcriptis inde ad generum literis experitur, ſi poſſet de concordia tranſigere: nihil cernens ſibi tutum, jamque prope eſſe, ut ab illius milite, qui poſtmodo urbem intrarat, haberetur in cuſtodia: rurſus abiens recipit ſe Raſſam; unde mox in Galliam tranſ-
1689. miſit. Omnino conſtat, habiturum fuiſſe Auriacum in poteſtate, ſi voluiſſet; dediſſe tamen ſpatium ad elabendum, ut ſocerum crudelitati Britannorum ſubtraheret: in quo, ut cætera injuſtus, apud veros tamen æſtimatores laudem tulit aliquam humanitatis. Sub regis abitum frequenti concilio gentis ſcitum fit: *abrogari regnum Jacobo, qui regnum deſeruiſſet, & qui præoptaret religionem Romanam: ſuffici in locum ejus Principem Auriacum, dicendum exinde Gulielmum Tertium, cum uxore Maria in Britannicis inſulis regnaturum: ſi decederet Maria ſine liberis, placere hunc ſuccedendi ordinem eſſe; ut Mariæ ſoror Anna liberique ejus, inde filii Auriaci, ſi quos ex alia uxore procreaſſet, ad regnum obtinendum vocarentur.* Præſtitit extemplo novus rex, quod ſpoponderat Belgis:

Britanni regem pronũciãt Auriacum;

nam,

nam , Ordinibus regni aſſentientibus , bellum indixit 1689. regi Galliæ. Continuo cum ejus hoſtibus jungit fœdus: *qui bellum Gallis indi-* ſeorſum autem cum Cæſare , & Belgis paciſcitur , *ſcit.* *Hiſpaniæ rex ſine ulla ex ſe ſtirpe moreretur , ut Britanni & Belgæ conjunctis viribus jura Cæſaris tuerentur in regnum Hiſpaniæ.*

FINIS LIBRI DECIMINONI.

HISTORIARUM
VENETARUM
LIBER VIGESIMUS.

1689. JAm revocarat Cæſar ex Pannonia millia aliquot militum, quibus uteretur adverſus novos hoſtes Gallos. Percommode videbatur contigiſſe, ut tali tempore pacem Turcæ peterent. Et Lotharingius ante omnes auctor illi erat finiendi utique belli ejus. Capto enim Tauruno, quod velut propugnaculum tutam præſtaret Pannoniam; non tanti eſſe quæ adimi deinceps Turcis poſſent, ut occaſionem dimitteret frangendæ aliquando potentiæ Gallorum, quos graves tandiu infeſtoſque vel in pace media expertus fuiſſet. Igitur Cæſar, verſis huc conſiliis, ſimul Lotharingium ipſum ire jubet Budam, qui noſceret in quas condiciones amicitiæ reconciliandæ mandata ab Suleimanno rege accepiſſent Effendus & Maurocordatus; ſimul ea de re Poloniæ regis & Senatus Veneti voluntatem ſciſcitatur. Ubi non prorſus abhorrere hos a pace cognovit: quia Lotharingius Budam veniens reciderat in morbum; conventum legatorum haberi Viennæ placuit. Acciti Effendus & Maurocordatus literas Cæſari tradunt regis ſui, tum oratoribus Veneto ac Polono literas alias ejuſdem ſententiæ, quas curarent perferendas ad Senatum & regem. Viſum Senatui tribuere poteſtatem paciſcendi Federico Cornelio equiti, oratori tunc apud Cæſarem; mittereque, ut ei adeſſet, Joannem Capellium a ſecretis Decemvirum, qui Turcica valde calleret. Ab rege Poloniæ deſtinatur Palatinus Pomeraniæ, Potoskus eques; juſſo interim Michaele Racquosko, quem jam pridem legarat ad Cæſarem extra ordinem, intereſſe concilio, poſtulataque certa edere,

Lotharingius ſuadet Cæſari, ut bellum cum Turcis finiat.

Conventus legatorum Viennæ.

re; & quæcunque ibi diſceptarentur, ad ſe perſcribere. 1689.
Tres continuo in rem eandem delecti ab Cæſare, Starembergius curator apparatus bellici, Kinskius Aulæ Cancellarius, & Caraffa. Qua die primum collocuti ſunt inter ſe legati, duo flagitabant ab Turcis Germani: *ut ante omnia Tekelius concitator belli dederetur: utque ordine exprimerent, quibus legibus pacem compoſituri advenissent.* De Tekelio ſic negatum, ut prorſus appareret non conceſſuros. Condiciones autem has ponebant ſummas: *regem ſuum paratum eſſe, utrum Cæſari & Veneto placeret, pacem aut inducias facere: ſi induciæ pangerentur; non recuſare quominus retineret quiſque, quæ armis occupaſſet; ita tamen ſi Tranſylvani, quod fiebat ante bellum, tributum Cæſari ſimul & regi Turcarum penderent: ſin pacem mallent, partem repetere eorum, quæ hoc bello ademiſſent.* Adjiciebant, *rationem quoque habiturum Polonorum;* ſpe injecta Cameneciæ, everſis muris, reſtituendæ. Mirari legati Chriſtiani, poſtulare Turcas, quæ vix ab victis impetrabilia eſſent. Quare cum vocarent ad honeſtiora; negaret vero Effendus quidquam ultra ſibi mandatum; interea, ut contra ipſi condiciones proferrent, peteret: tunc orſi Germani ejuſmodi protulere: *cederet Turca regionibus, quæ olim ad Pannoniæ regnum attinuiſſent, id eſt Tranſylvania, Valachia, Moldavia, Boſna, Servia, & Bulgaria: Sepulcrum Chriſti Domini, Græcis amotis, cuſtodiendum redderetur ſacerdotibus Franciſcanæ Familiæ: ut Chriſtianis Terram Sanctam inviſentibus tutum & liberum iter eſſet; itidem tutus & liber cultus religionis Chriſtianæ toto imperio Turcarum: tum uti Tekelius debito afficiendus ſupplicio traderetur.* Hæc uſque eo immodica atque intoleranda Effendo viſa & Maurocordato, ut, exequi porro parante Cornelio quæ æqua ſibi putaret Venetus, interfati, *nolle pacem eos, qui poſcerent tam abſurda*, audire abnuerent. Aliquot tamen poſt dies audiverunt. Erant poſtulata Cornelii: *concederent Turcæ inſula Eubœa, & ora maritima ab Iſthmo Corinthio ad Corcyram inſulam, quam oram prope omnem in poteſtate Venetus*

Poſtulata Germanorũ prima.

Reſponſum Turcarum.

Poſtulata alia Germanorum.

Viſa Turcis intoleranda.

Poſtulata Venetorum.

Digitized by Google

1689. *tus jam haberet: uti regionibus certis terminaretur Illyricum; itaque quidquid inter Titium & Barbanam flumina interjacet, a mari uſque ad montes, Veneto itidem cederet: ut nominatim maritimæ arces duæ, quæ quondam ditionis ejus fuiſſent, receptacula nunc prædonum, Olcinium & Antibarum, ab Turca reſtituerentur.*

Polonorum.

Racquoski autem: *ut damna ſarcirentur a Tartaris jam ab longo inde tempore illata Polonis: ut impenſam, quam feciſſent in bellum, præſtaret Turca: ut Camenecíam redderet: cederet Valachia, Moldavia, Tartaria Crimæa, & tractu terrarum inter Iſtrum & Boryſthenem flumina: uti Locorum Sanctorum Palæſtinæ cuſtodia penes unos Latinos eſſet: utque jus eſſet Chriſtianis, ubique terrarum Turcici imperii, ritu ſuo religionis colendæ, reficiendi templa vetera, nova ædificandi, parandique in id fundos: neve in poſterum vectigal ullum Turcis penderent.*

Pariter ut immodica reiiciuntur a Turcis.

Tum vero certatim Effendus & Maurocordatus increpare ſuperbiam poſtulationum: negareque, *ſe in eas ſimilesve condiciones de pace agere*. Sæpius deinde ventum in colloquium fruſtra cum fuiſſet; legati Britanniæ regis & Belgarum, qui ægre ferrent turbari ſpem tranſigendi, apud Turcas omni ope inſtiterunt, ut ad molliora deſcenderent. Poſtquam, ſive quia in id tantum, quod propoſuerant a primo, definita mandata habebant, ſive quod, propter recentem converſionem rerum inter Chriſtianos Principes, novos ſumpſerant ſpiritus, nihil mutabant:

Suadente Kinskio, Effendus petit a rege facultatem majorem.

juſſu Cæſaris ſuadet Effendo Kinskius, ſcriptis literis peteret ab rege ſuo poteſtatem ſibi ampliorem in pacem diſceptandam. Prorſus enim ſic ille ſtatuebat, optime ſe hac via exploraturum, vere ne, an fallaciter armorum finem hoſtis quæreret. Dum Viennæ nequicquam colloquuntur de pace, ſedulo bellum Conſtantinopoli inſtruebatur. Jam haud dubius rex Turcarum quin, diſtendente Germanos certamine cum Gallis, par ipſe viribus futurus exinde in Pannonia foret, omnem pacis curam abjecerat.

Viſirius ſeditiones tollit in Min. Aſia, & in Albania.

Intentum in apparatum angebant tum pecuniæ penuria militumque, tum ſeditiones in Minore Aſia & in Albania, ducibus iiſdem

dem quibus antea, denuo excitatæ. His tamen cunctis 1689.
Viſſirius per tempus occurrit. Nam adverſus eos, qui
in Aſia rebellarant, jamque Chalcedonem uſque proceſſe-
rant populabundi, juſſis arma ſumere, quibus religio eſ-
ſet cordi; non ſolum conjuratorum copiæ prœlio fuſæ
fugatæque ſunt, ſed etiam dux ipſe ad Iconiam ex in-
ſidiis interiit. Poſt aliquanto arte eadem in Albania Oſ-
manem ſuſtulit ad Lychnidum. Tum, quod oneris in- *Pecunia*
juncturus aliis erat, ſubiit ipſe primus; vi magna pri- *vim magnā comparat:*
vati argenti ſui collata in ærarium. Inde tributum gra-
ve imponit populis, exigitque etiam ab illis, qui ſacris
præſunt; nequicquam Turcarum legem objiciente anti-
ſtite ſacrificulorum. Nihilo mitior in exercitu comparan-
do, cum alibi paſſim delectus cujuſvis generis hominum *auget exer-*
indicit, tum ternos milites in ſingulos vicos urbis, ſubje- *citum, & claſſem:*
ctæque regionis imperat pagos: eoque cum multum au-
xiſſet vires, validioribus præſidiis firmavit oppida arceſ-
que in finibus; præſertim Chalcidem, quam iterum peti- *Chalcidem*
turos Venetos ſuſpicabatur. Octo minimum millia arma- *munit.*
torum ibi eſſe placuit: Baſſæ autem, qui præſidebat, ne-
gotium datum, ut vallum & mœnia ſedulo reficienda,
noviſque, ſicubi opus eſſet, operibus munienda curaret.
Juſſus itidem dux terreſtrium copiarum Thebas contrahere
decem millia militum: eodemque Græcorum millia quin-
que mox acceſſere, duce Liberio Gerachario Pelopon- *Lib. Gera-*
neſio (Liberachium vocitabant) qui, quamvis patria re- *charius ab Turcis.*
licta, quod adhuc tamen auctoritate polleret inter popu-
lares ſuos, erexerat Turcas in ſpem Peloponneſi recu-
perandæ. Neque maritimæ rei diligentiam omiſit. Ete-
nim claſſis præfecto naves decem celſiores egregie inſtru-
ctas tradidit ac triginta triremes, quibus naves viginti
adderentur Afrorum: ut ſi minus prœlio congredi poſ-
ſet cum Venetis, at Chalcidenſibus, ſi oppugnarentur,
ſubſidio eſſet. Hæc comperta per exploratores, Mauro-
cenum ab conſilio Chalcidis eo anno rurſum tentandæ *Ægrotat*
averterunt. Per hyemem, ab curis aſſiduis, difficili cor- *Maurocenus.*

Digitized by Google

1689. reptus morbo fuerat: cujus periculo permoti patres, Hieronymum Cornelium, qui ſummæ, ſi quid de illo fieret, præeſſet, ex Illyrico tranſmittere voluerunt in Peloponneſum. Principio tamen veris cum ſe aliquantum confirmaſſet, vocatis in concilium ducibus, facile perſuaſit cogitationem oppugnandæ Chalcidis in præſens deponendam. Neque enim eas copias tunc ſuppeditare, quibus aggrederentur rem tantam; neque auxilia ſatis valida Venetiis adventura, propter edictum Cæſaris, ne qui milites educerentur ex Germania, quibus ipſe indigeret ad bellum contra Gallos. Reliqua erat conſultatio, quam partem præſentibus viribus bello peterent. Alii Albaniam atque Illyricum ſpectantes, Aulonem cenſebant Olciniumve adoriendum: placebat aliis mari Ægæo non abſcedi; itaque Cydonem oppugnari aut Theſſalonicam. Maurocenus, cauſis expoſitis, quare nihil horum videretur opportunum, ſtatuebat obſidendam Epidaurum Limæram; quæ una urbs Peloponneſo tota in Turcarum poteſtate etiamnum eſſet. Hac vincente ſententia, Jacobum Cornelium, præfectum provinciæ, idoneum numerum Peloponneſiorum jubet conſcribere, quibus Iſthmi fauces teneret; mittitque eodem cum militibus bis mille & ſeptingentis Harcurtium legatum: ipſe, reliquis copiis machiniſque impoſitis in naves, contendit Epidaurum. Poſita eſt ſuper ſinum Argolicum, non procul Malea promontorio, quinque millibus paſſuum ab veteri Epidauro; cujus, ut & Æſculapii delubri nobilis veſtigia viſuntur adhuc. Alta rupes & aſpera eam habet. Undique cingit mare; jungitque oræ Laconicæ, a qua paſſus abeſt ſexaginta, pons lapideus. Via una aditus relinquitur ad mœnia; propterea Monobaſiæ fecere Græci ſua lingua nomen: illac autem iter præruptum eſt, ac binis dumtaxat in frontem peditibus patens; ut pauci armati ſuperſtantes facile prohibere quantamvis multitudinem poſſint. Quingenti tunc cuſtodiebant inſtructi copia rerum omnium, aquæ etiam; cujus inopiam levaturi

Cornelius trajicit in Peloponneſum.

Recreatus Maurocenus conſultat cum ducibus.

Epidaurū obſidere ſtatuunt.

Eo contendunt.

Epidauri ſitus.

vaturi olim Veneti Epidaurum obtinentes, urbis medio 1689.
locum ſubterraneum excipiendæ conſervandæque aquæ pluviæ, ſumptu magno, ſaxo quadrato ſepſerant. Maurocenus unicam potiundi ſpem eſſe ratus, ſi incluſos ad deditionem compelleret fame, obſidionem parat. *Obſidio inſtruitur.* Caſtella duo modico inter ſe diſtantia intervallo objicit: alterum adverſus pontem, cujus extremum illi permunierant vallo; alterum contra lævum latus inſulæ, ut inde vicum ædificiis frequentem, ad radices acclinatum rupis, tormentis utcunque verberaret. Tum armatis terra marique ita diſpoſitis, ut neque exitus obſeſſis ab inſula, neque foris aditus ad ſubſidia intromittenda eſſet: virum impigrum, Antonium Molinum, præfectum Peloponneſi extra ordinem, caſtris operibuſque præponit. Pontis munimentum haud multum oppugnanti præbuit moræ. Eo dejecto, ad pontem ipſum conſtituit balliſtas, unde incendiariæ ollæ in urbem conjicerentur. Atque, ut cœptis ſuccedebat opus, ita non diuturnam obſidionem ſperabat futuram: affirmabant quoque transfugæ, propter crebra incendia ingentem intus pavorem eſſe. Inter hæc accipit, Hieronymum Cornelium cum auxiliis navium, quæ miſſa Venetiis fuerant, ex Illyrico jam profectum. Veritus autem ne, Afrorum navibus infeſto mari, periculoſa navigatio foret; Auguſtinum Sagredum duodecim triremibus, atque una Laurentium Venerium quatuor navibus maximæ formæ ad Zacynthum jubet venienti occurrere. *Maurocenus obviam Cornelio mittit Sagredum & Venerium:* Sagredus, vixdum ſuperato Malea, cum ab Venerio paulum abſceſſiſſet; haud procul Oenuſis inſulis, ſexdecim conſpicatus naves, eſſeque illas arbitratus, quibus obviam iret: eo præmittit triremes duas Petri Donati & Henrici Papafavii. *qui ad Maleam incidunt in Afros.* Jam appropinquarant; cum apparuit piraticas Afras eſſe. Ferreis pilis inde accidentibus, conari fugam uterque. Ac Papafavius quidem, paucis ſuorum amiſſis, evaſit. Donati vero triremis, quæ ſubiiſſet propius, telorum obruta multitudine, quamplurimis interfectis, capitur. Donatus ipſe ſau- *Donati triremis capi-*

1689. *tur ab Afris.*

cius & Franciſcus frater ejus venerunt in poteſtatem barbarorum. Ubi Cornelius cum auxiliis Epidaurum tenuit; viſum Mauroceno biremes obſeſſorum aliquot incendere, quas murus vico circumdatus tegebat. Quatuor Venerii naves ad id deſtinatæ: Venerius, quem ſibi hanc operam depoſcentem paſſus non fuerat diſcrimen adire, rei ſpectator in ponte conſtiterat. Placuit cohortes tres per pontem eodem tempore in inſulam transgredi, ut occaſioni ne deeſſent vici occupandi, ſi quam trepidatio hoſtium dediſſet. Conſilium eventus deſtituit. Minimum tamen in eo fuit mali, quod venti adverſi, ne naves illuc accederent, prohibuerunt. Nam cum interea Turcæ ſuperne effunderent vim jaculorum; non modo ſubmoti qui tranſierant pontem, nonnullis occiſis, ſaxoque graviter ictus Franciſcus Grimanus: ſed etiam cecidit Venerius ipſe ferrea balliſtæ majoris glande capiti incuſſa. Ob jacturam ducis ejus fuit claſſis universæ triſtitia quædam inſignis: adeo militares virtutes omnes ſummæ ornabant. In locum Venerii ſublectus Dominicus Diedus, cito imminuit id gaudium hoſtibus. Paucis enim poſt diebus non ſolum biremes Turcicas flammis abſumpſit; verum ex proximo quoque tormentis inceſſendo, murum diruit locis pluribus. Hæc ita auxerant animos, ut Carolus Felix Gallianus Dux Guadagnæus Gallus, quem Senatus ſuffecerat Conigſmarchio, trajiciendum extemplo in inſulam militem cenſeret, vicumque invadendum. Aliter tamen ſtatuit Maurocenus; qui, præterquamquod anguſta erant & difficilia ad tranſitum loca, ſub ictibus etiam ſuperſtantium in rupe Turcarum pugnam valde iniquam futuram provideret. Itaque, firmatis ubique cuſtodiis, huc incubuit ut quam minimo damno ſuorum inſulam in poteſtatem redigeret. Interea ne unam tantum rem ageret; quod navium ſatis ad obſidendum videbatur, relicto, claſſe alia evehitur in Ægæum, navali prœlio decertaturus, ſi forte incideret in naves Turcarum, quas circum maris

Maurocenus parat incendere biremes Epidauriorũ.

Res non ſuccedit.

Venerius interficitur.

Dom. Diedus paulo poſt rẽ perficit.

Maurocẽnus evehitur in Ægæum.

ejus

ejus inſulas vagari intellexerat. Verumtamen vix exceſſerat ſinu Argolico, cum denuo adoritur eum morbus gravis. Ob id redit Epidaurum. Ac poſt aliquanto liberatus quidem eſt præſenti periculo. Cæterum lente adeo reficiebatur, ut appareret in dies magis, parem non fore belli laboribus perferendis. Ergo qui cerneret fruſtra ſe eſſe apud claſſem; ea Cornelio tradita, Id. Septembr. triremibus quatuor Venetias proficiſcitur. Abeuntem proſecutæ ad Saſonem uſque inſulam, in ipſis faucibus Adriatici maris, Melitenſium triremes. Spalatum mox adveniens, dies quadraginta ibi ſubſtitit, ad peſtilentiæ ſuſpicionem purgandam, lege conſtituta Venetias petentibus ex Græcia. Moratus inſuper aliquandiu ibidem eſt, quod per valetudinem infirmam ferre jactationem non poſſet: paulum demum receptis viribus, ſolvit inde, proſperoque curſu Venetias IV Id. Januar. pervenit. Obviam ad littus progreſſi patres, Bucentauro navi regia exceptum, ferme incredibili navigiorum varii generis multitudine circumfuſa, in urbem deducunt. Continuo exequitur Civitas ſolemnia, quæ mos eſt in creatis novis Ducibus. Omnium confeſſione conſtat, ex tota antiquitate non memorari, qui æque clarus bellicis rebus ſupremam in rep. Dignitatem obtinuerit. Gloriam auctiorem diceres Chalcide expugnata. Prudenter tamen æſtimantibus, ac non judicio vulgi pendentis eventu conſilia magna, vel Chalcidis oppugnatio ipſa oſtendit maxime virtutem ejus: nec defuiſſet fortuna, ſi a principio bellum adminiſtrare de ſua unius ſententia potuiſſet. Obiit hoc anno Innocentius XI, dignus memoria ſingulari Pontifex; providentia divina reſervatus ad tempora difficilia & periculoſa reip. Chriſtianæ. Gravitate vitæ, robore animi, dictorum factorumque conſtantia, diſciplina cum primis reſtituenda & cuſtodienda Civitatis in labe ſæculi, vere exemplum ſeveritatis antiquæ: rigidiorem propterea appellant, qui nihil habent quod merito in eo reprehendant. Succeſſit Alexander VIII. Is

1689.

Recidit in morbum.

Redit Epidaurum;

Inde Venetias proficiſcitur.

Exceptus a patribus in urbem deducitur.

Moritur Innoc. XI. Elogium ejus.

Sufficitur Petrus Ot.

1689. Is erat Petrus Ottobonus, Venetus patricius, ſapientia & experientia rerum longe celebris, amore autem quodam eximio in patriam ſuam: quem etiam teſtatus officiis omnibus eſt, illo inſigni, quod præmium Mauroceno Principi miſit, ſummis tantum imperatoribus, ob merita inuſitata in religionem Chriſtianam, dari a Pontificibus Romanis ſolitum, Enſem & Galerum. Donum attulit Michael Angelus de Comitibus, honorarius Alexandri Cubicularius, primariæ inter Romanos nobilitatis; qui duobus & triginta poſt annis Pontifex Innocentius XIII fuit. Celebritate hominum magna in templo D. Marci Galerum capiti impoſuit, laterique Enſem addidit Joſephus Archintus, Theſſalonicenſis Archiepiſcopus, tunc Venetiis legatus Pontificis. Non paſſa Civitas ſe vinci ſtudio. Nam & Antonium Ottobonum, fratris ejus filium, equitem ac procuratorem Marcium juſſit eſſe; & Marcum, filium fratris alterum, ornavit titulo equeſtri, qui honos poſteros ejus, maximum quemque natu, perpetuo ſequeretur. Qua æſtate in Peloponneſo obſidebatur Epidaurus, eadem in Illyrico Alexander Molinus, Cornelii ſucceſſor, Citclutum tentavit. Arx eſt in tumulo edito, ad Naronam fluvium, quindecim millia paſſuum a mari: quam ſi cepiſſet, regionem omnem Spalatum inter Aſcriviumque ſperabat ſe contentione exigua adempturum Turcis. Eo terra mittit cum equitatu Italico, & quatuor ferme millibus Illyriorum, Antonium Lauredanum præfectum Tinninii: ipſe reliquo exercitu impoſito in naves, Spalato ſolvit; invectuſque Naronam, deſcenſionem facit loco opportuno, tum, conjunctis cum Lauredano copiis, ducere pergit ad Citclutum. Quingentos inde paſſus diſtat mons, D. Stephani appellant, ab fano, quod in vertice olim erat, ubi nunc caſtellum eſt. Vallem mediam occupat vicus; quem aggredi Illyriis juſſis, uno tempore cohortes duæ duce Corponeſio tribuno ad caſtellum oppugnandum in montem ſubiere. Sed ad ſpem eventus haudquaquam reſpondit. Jam Baſſa præfectus

[margin:] tobonus, Alex. VIII dictus; qui Mauroceno mittit enſē & Galerū.

[margin:] Ant. Ottobonus Proc. Marcius creatur; Marcus Ottobonus, eques.

[margin:] Citclutum tentatur a Molino:

Digitized by Google

ctus provinciæ, quid molirentur Veneti, ab exploratoribus admonitus, equites quingentos ac numerum haud paulo majorem adduxerat peditum: auctoque præſidio caſtelli, & cunctis ad vici defenſionem celeriter comparatis, hoſtis adventum opperiebatur. Ubi ergo Illyrii, nullo ſatis certo ordine, ut qui rem minime arduam animo præcepiſſent, appropinquabant; multis ſimul partibus erumpitur. Ac ſubitam procellam illi vix ſuſtinentes, turbatis pavore mentibus, fugam fœde arripiunt. Succeſſus hic elicuit illico ad eruptionem eos quoque, qui caſtellum tuebantur. Nec difficile per proclive depulerunt ſcandentes; nonnulliſque interfectis aut vulneratis, Corponeſium, inter primos verſantem, cepere vivum. Fieri ibi multum potuit damni, ni equitatus inſtructus in propinquo Turcas ab inſequendo abſtinuiſſet. Quies inde uſque ad noctem tenuit. Tum Molinus, qui opinione longiorem atrocioremque fore oppugnationem cerneret, ratus cœptum omittendum; primis tenebris revertitur ad naves, Caſtrumque Novum petere intendit. 1689.

qui re irrita, abſcedit.

Non procul oppido expoſitis armatis, partem eorum in Tribunii vallem inducit, Rhyzonico agro finitimam; quidquid inter eum agrum, amnemque Oriundum interjacet, qui media ferme fluit valle, Caſtro Novo additurus. Quingenti Turcæ prope flumen occurrerunt: quibus levi certamine fuſis, decem caſtella, munimentum obtinentibus vallem, terrore oppugnationis vixdum oblato, redigit in poteſtatem. Tria, quæ majora eſſent, milite viſum firmare. Reliquis dirutis, Caſtrum Novum, atque illinc protinus claſſe redit Spalatum in hyberna.

Tribunii vallem occupat, & decem parva caſtella.

Diuturna tamen vallis poſſeſſio non fuit. Etenim præfectus Turcarum paulo poſt cum manu valida eo deſcendit: obſidendoque caſtella ſingula, fame ſubegit præſidium ad deditionem. Hoc anno Coſmus III. M. Hetruriæ Dux, ac Ranutius II. Dux Parmæ in controverſia finium cepere judicem Senatum Venetum. Terrarum utriuſque terminus eſt Apenninus mons, qua Macra amnis

Turcæ paulo poſt caſtella recuperant.

Controverſia finium inter Hetruſcos & Parmenſes. Sumptus ſenatus iudex,

1689. mnis in Apuanum agrum defluit. Ranutius ſuas definiebat vertice ipſo Apennini: aliquantum adjiciebat ſibi Coſmus ultra verticem. Poſteaquam diu jure certatum fruſtra erat; crebræ, ut fit in poſſeſſionibus dubiis, inter Parmenſes atque Hetruſcos injuriæ oriebantur. Miſſi a patribus in rem præſentem Alexander Zenus ſenator, unaque Jo. Maria Bertolus, Senatui ab conſiliis in Jure. Inſpecta referentibus; multos dies orata a patronis in Senatu lis eſt. Tandem cunctis fere ſuffragiis ſecundum

Secundum Parmenſes pronunciat.

Ranutium ſententiam tulerunt. Hæc Veneti domi foriſque. Fœderati reges interea varia fortuna geſſerant bellum. Inter Polonum & Moſchum compoſitum pridem ſic fuerat, ut uno tempore hic Tauricam Cherſoneſum; ille Tartaros, qui ad extrema incolunt Iſtri, aggrederentur. Cæterum Polonus tunc vix credens auſurum Moſchum rem tantam, animo ipſe imminebat Valachiæ; qua potiri valde utile eſſet nec difficile propter populorum eorum voluntatem tacite averſam ab Turcis. Pro-

Dum diſſident inter ſe Poloni,

poſiti tamen exequendi non fuit facultas. Præterquam enim gravate, nobiles præſertim, militiam ſequebantur; in comitiis quoque gentis convenire nequiit de ſtipendio quod exercitui numeraretur: neque, ut de ſuo conferret, permiſſum regi ab Senatu; metu, ne largitate ea obnoxium ſibi faceret militem, non ſine periculo liber-

Tartari Volhiniam pervaſtant:

tatis. Polonis ceſſantibus: uſi opportunitate Tartari, trajecto Boryſthene, irrumpunt in Volhiniam; nulloque vim arcente, regionem ferro atque igni perpopulantur. Fama cladis cunctantes excitavit denique ad arma. Profecti valido exercitu ſummus regni copiarum præfectus, armorumque Lithuaniæ præſes, quia ſerum auxilium erat Volhiniæ rebus: nam Tartari, abductis plurimis in captivitatem, intra fines ſuos receperant ſe ſe: Camene-

Poloni Cameneciam petunt.

ciam adoriri conſtituunt. Conſilium fuerat noctis ſilentio ſupervenire nihil minus expectantibus. Sed cum errore viarum appropinquaſſent multo jam ſole: repugnantes e muris Turcæ, facile primum impetum repulerunt.

Digitized by Google

lerunt. Vanum inceptum haud minuit animum Polonis. Oppugnare aggreſſi, tribus ſimul non ita diſtantibus inter ſe locis machinas admovent; in id intenti, ubi, terrore injecto, in defenſionem ejus partis propugnatores avertiſſent, tum ut parte alia ſubito complerent foſſam, muroſque tranſcenderent. At ſenſere illi. Quare non modo nuſquam remiſerunt murorum operumque cuſtodias: ſed etiam auſi paulo poſt tribus portis ſe ſe effundere, tumultum fecerunt pavoremque ingentem; ſexcentis interfectis, ſauciatis pluribus, ſeptemque muralibus balliſtis in oppidum avectis. Ea re perculſi duces, poſtquam accipiebant, excitos auxiliares Tartaros adventare, objiciebaturque timor, ne multitudine ipſi opprimerentur: relicta oppugnatione, militem reducunt in fines. Nihil præterea ab iis hoc anno tentatum. Nec felicius conata evenerunt regibus Moſchorum. Exercitum Gallizino imperatori vere primo tradiderant, quo Taphron, caput atque arcem regni Tartarorum, Præcopiam nominant, invaderet. Fuiſſe ferunt millia armatorum minimum quadringenta, cum tormentis muralibus mille & trecentis, ac propemodum incredibili inſtrumentorum militarium aliorum copia. Ingreſſus Gallizinus fines hoſtium, & ſua & aliorum opinione celerius ad Cherſoneſi fauces pervenit, ubi ſita Præcopia eſt. Ac protinus urbem bipartito adoritur oppugnare. Sed ſtrenue vim ſuſtinentes qui cuſtodiebant, ſpatium ſuis præbuerunt ad ferendum undique auxilium. Tum Moſchi diſtineri cœpti. Hinc obſeſſi in opera ſtationeſque ſæpe erumpebant; hinc regionem circa omnem reddebat infeſtam numerus ingens Tartarorum. Iiſdem nunc hac, nunc illa parte prope ad caſtra ipſa ſuccedentibus, nulla neque die neque nocte obſidentibus dabatur quies. His tametſi Gallizino ſpes minuebatur expugnandi: tamen viribus fretus quatere muros non deſtitit, donec Tartari agmine uno in munimenta caſtrorum ſe intulere. Et qua fecerant impreſſionem, cum pene ſtatim perrupiſſent; tanta

1689.

Oppugnant.

Eruptio Turcarum.

Poloni omittunt inceptum.

Exercitus Moſchorū

Inducitur a Gallizino in Tartarorum fines.

Fruſtra oppugnatur Præcopia.

Tartari cogunt oppugnationem relinquere,

1689\. *Moſchorum millibus 30. caeſis.*

Moſchis paſſim incuſſa eſt formido, ut nemo fere pugnandi cauſa reſiſteret. Cæſa ad triginta millia; tormenta amplius quadraginta capta: latiuſque manaſſet clades, ni Coſacci ſtationes ſuas impigre defendiſſent. Nullum inde Gallizino dubium fuit, quin, omiſſo quod inchoarat, illico abſcederet. Non ſolum nanque creſcentem in dies hoſtium multitudinem vehementer timebat: ſed etiam angebat cura, ne vaſtatis agris incenſiſque, ad ſummam inopiam mox ipſe adduceretur. Impune ta-

Abeuntes perſequuntur.

men abire Tartari paſſi non ſunt. Inſecuti pertinaciter, multos in itinere interficiunt, nonnullos vivos capiunt; numerumque haud parvum adimunt carrorum & jumentorum omnis generis, tum balliſtas æneas plus centum. Cæterum ut domum rediit victus exercitus: reges, tanquam ab re proſpere acta, imperatorem duceſque alios affecerunt præmiis; incertum, acceptæ ignominiæ obtegendæ ſtudio, an quod haberent victoriæ loco auſos ſuos ſedem ipſam regni Tartarorum armis appetere. Longe diſpari exitu geſtum bellum ab Cæſare.

Sigetum deditur Germanis.

Initio anni Sigetum, Pannoniæ Inferioris urbs, ſepta paludibus inviis, decem millia paſſuum ab flumine Dravo, quam Germani annum jam obſidebant, non ultra tolerabili fame incluſis, deditionem fecit. Poſtea admirando ſucceſſu ſecunda plurima conſecuta. Imperabat

Badenſis copiarum Cæſaris ductor,

Nyſſā proficiſcitur.

exercitui Princeps Ludovicus Badenſis: qui ſimul intellexit, Turcas vim frumenti & tormentorum, aliumque apparatum bellicum Nyſſam, Moeſiæ Superioris oppidum, convexiſſe; cupiditate potiundi incenſus, Margi flumini ponte impoſito, tranſductiſque copiis, illuc proficiſcitur. Viſa primum fortuna conſilio adverſari. Viæ erant inexplicabiles imbribus; ut commeatus machinæque terreſtri inde itinere comportari non poſſent. Ita-

Prohibitus fœditate viarum, redit unde venerat.

que, expeditione in aliud tempus dilata, retro unde moverat, convertit agmen. Jamque militum partem maximam trajecerat flumen; cum Rechebus Turcici exercitus imperator, qui inter Margin atque Iſtrum quin-

qua-

quaginta millia contraxerat armatorum, citato gradu ac- 1689.
ceſſit ad Margin, ut nihil tale opinantes incompoſitoſ-
que opprimeret. Tranſmiſſurus ipſe, qua hoſtis minime *Pugnat ad Moravum cum Turcis.*
ſentiret, cum omni peditatu; decem millia equitum fe-
ſtinare ad eos aggrediendos jubet, qui nondum flumen
tranſierant. Ægre reſiſtebant Germani, utpote pauci &
inter ſubitum tumultum trepidantes: obrutique forent
multitudine, ni eo celeriter regreſſus Badenſis cum ro-
bore equitatus rem periclitantem ſuſtinuiſſet. Pari utrin- *Vincit; inde trajicit flumen.*
que illata cæde acceptaque, victor demum Germanus
Turcam repulit. Tum conjunctis uterque copiis ſuis,
modico inter ſe intervallo metantur caſtra. Haud multo
poſt Badenſis, quanquam millia ſummum quatuor &
viginti habebat militum; tamen animo ac virtute eorum
fretus, venit in ſpem non dubiæ victoriæ, ſi juſto prœ-
lio congrederetur. Nec detrectaverunt Turcæ. Quin et-
iam numero confiſi, equitatus præſertim, quo longius
præſtabant, agmine inſtructo ad certamen, procedenti ul- *Iterum cum Turcis confligit, eoſque fundit:*
tro occurrere. Pugnatum multas horas marte dubio.
Superati ad extremum Turcæ: quos perſecutus aliquan-
diu Germanus, haud paulo plures in fuga quam in
prœlio cecidit. Caſtra capta & direpta: ubi ſuper aliam *Caſtra capit.*
prædam fuere tormenta majora amplius centum. Reche-
bus, collecto vix dimidio diſſipati exercitus, tutam ſe-
dem circumſpiciens, ad Nyſſam recipit ſe ſe. Ibi læva *Turcæ conſiſtunt ad Nyſſam.*
flumine Niſſava, dextra oppido, ab tergo ſeptus mon-
tibus, vallum objicit a fronte. Eodem quindecim ferme
millia militum poſtmodum acceſſere; ab principe Viſſi-
riorum, qui una cum rege venerat Sophiam, ſubſidio
miſſa. Nihilominus Badenſis, hoſti trepido ratus inſtan-
dum, loca Nyſſæ proxima petit agmine expedito. Co- *Ad eos denuo ducit Badenſis.*
gnita autem per exploratores forma munitionum, cir-
cumducit ſatis magno ſpatio exercitum: tum delectis co-
hortibus in fronte locatis, inter flumen monteſque ca-
ſtris ſuccedit. Labore haud parvo impulſi Turcæ, qui *Tertio prælium conſerit; & ſuperat.*
denſis ordinibus inſederant anguſtias. Cæterum ubi pri-

Digitized by Google

1689. ma perrupere ſigna, tantus totis caſtris tumultus exortus pavorque, ut magis quam pugna, cædes eſſet. Ad decem millia barbarorum obtruncati aut hauſti flumine; capti millia plus tria. Reliqui cum, qua cuique proximum fuerat, diffugiſſent; caſtris Germani primum, mox oppido etiam potiuntur. Paucorum ibi dierum quies conceſſa militi. Fluctuarat interim Badenſis animo, utrum recta pergeret oppugnatum Sophiam, an oppidis circa Nyſſam arma inferret. Inclinabat ſententia, dum recens eſſet terror, Sophiam tentare, locum opportunum ad Thraciam invadendam. Ergo mittit Piccolomineum cum ala equitum, qui noſceret ſitum ejus. Poſtquam hic referebat, tranſitus difficiles viarum, obſeſſoſque ab reliquiis fuſi hoſtium exercitus anguſtos ſaltus eſſe: mutato conſilio, quatuor millibus militum Nyſſam dat tuendam; ipſe copiis cæteris proficiſcitur Viminacium. Situm eſt in Iſtri ripa, non procul veſtigiis pontis Trajani. Illic etiam proſpera uſus fortuna, multitudinem Turcarum, quingentos ab urbe paſſus, disjecit, ad duo millia occidit, amiſſis ſuorum vix quadringentis. Multo minore certamine urbs ipſa in ditionem venit: nam ſimul intentavit oppugnationem, fuga cuſtodum in arcem eſt facta. Poſtridie vero ejus diei, pacti ut incolumes dimitterentur, eam tradiderunt. Celeritate ſimili Dux Holſatiæ legatus, parte altera, acceptis a Badenſi equitibus bis mille & trecentis, regionem ſubigit, quæ ab Nyſſa ad Æmum uſque montem pertinet. Omnibus ultro ſe dedentibus, ne ii quidem repugnare auſi, qui Scupis erant; Uſcopiam vocant, emporium frequens ad Macedoniæ fines. Urbem ab ſuis deſertam cum incendiſſet: vicinum intranti ſaltum obviam fiunt quinque millia ex Macedonia equitum. Congreſſus audacter, quamvis longe impar numero, duo fere millia cecidit, fugatis reliquis, levi jactura ſuorum; non enim plus ſeptuaginta duo deſiderati. Hæc in Mœſia. In Liburnia, Herbeſteinius Caroloſtadii præfectus, haud exigua militum coacta manu,

Nyſſa potitur.

Viminaciū redigit in poteſtatem.

Dux Holſatiæ Uſcopiā deſertam incendit:

V. millia equitum ſuperat prælio.

Herbeſteinius Licca expellit Turcas:

nu, Turcas exigit Licca: caſtellum quoque in regionis ejus finibus, ab Venetis ſuperiore anno captum ac magna ex parte poſtea dirutum, Graſſatium, occupat. *Graſſatium occupat.* 1689. Hujuſmodi eventu re geſta contra Turcas; nihilo felix minus Cæſar fuit adverſus Gallos. Cum in conventu Ratisbonenſi rex Galliæ judicatus hoſtis eſſet; undique Germani in eum arma ceperunt. Primus commiſit bellum Brandeburgicus Elector; qui viginti armatorum millibus Cæſariſverdam aggreſſus, Germaniæ Inferioris oppidum ad Rhenum flumen, inter Nuetium & Dunysburgum, Keiſerſvvert nuncupant, paucos intra dies expugnavit. *El. Brandeburgicus Coloniam Traianam expugnat.* Poſtmodo collectis ad Francofurtum Cæſaris copiis; ibidem Electores Bavariæ, Saxoniæque, & Haſſiæ Lantgravius in unum contulerunt vires. Exercitus inde univerſus, cui Lotharingium præpoſuerat Cæſar, de concilii ſententia ducitur Moguntiam; diverſiſque regionibus, ſuo quiſque milite adoriuntur oppugnare. *Exercitus Germanorũ duce Lotharingio, Moguntiam oppugnat.* Oppidum egregie munitum, idem qui munierat, Uxelleſius cum decem millibus armatorum tutabatur. Duos pene menſes vim Galli ſic ſuſtinuerunt, ut nullus interea modus eſſet erumpendi in ſtationes operaque Germanorum. Tandem dejecti externis munimentis, ſex millibus ſuorum amiſſis, atque expectatione nulla auxilii; priuſquam per ſtragem murorum fieret impreſſio, oppidum per pactionem dediderunt. *Urbs deditur.* Protinus illinc Lotharingius Bonnam petit, quam dies jam multos Brandeburgicus circumſidebat. Ibi quoque & arte Asfeldii, qui præerat urbi, & militum virtute, quæcunque imperarentur alacriter obeuntium, diu reſiſtitur: donec interfectis plurimis, ac duce ipſo graviter vulnerato, urbs deditione in Germanorum venit poteſtatem. *Lotharingius Bonna potitur per deditionem.* Cumulavit Cæſari proſpera hujus anni creatus filius rex Romanorum, etiamſi annum ætatis duodecimum vix ineunti lex obſtaret; qua cautum ne octodecim annis minor rex dicatur. *Joſeph. fil. Cæſaris creatur rex Romanorũ.* Dudum ejus dignitatis deſiderium animo inſidebat Ludovici regis Galliæ: fuerat etiam prope ſpem, Electores in

Del-

1689. Delphinum filium ſuum creandum conſenſuros. Poſtquam inferendis armis, proceres Germaniæ pleroſque ab ſe abalienarat: Electores, Auguſtam Vindelicorum convenientes, voluntatibus in Joſephum Cæſaris filium verſis, hunc annali ſolutum lege, regem juſſerunt. Interim ille nihil contra Germanos arbitratus movendum, ut qui frangi primos impetus Moguntia & Bonna oppugnandis vellet; neque ferenda ope exercitus ſuos diſcrimini objici pugnarum: cum ex oppidis aliquot Palatinatus Rheni, quæ non intereſſet retinere, præſidia deduxiſſet; Vallocuria modo Hannoniæ urbe fruſtra tentata, alio contulit curam.

Rex Galliæ bellum infert Hiſpaniæ.

Satis credebat, regem Hiſpaniæ, tantum quia præſentes deerant copiæ, quieſcere: tum, ut haberet pro non dubio ſocio Cæſaris, ad cauſas alias faciebat præſertim, quod, mortua conjuge Ludovica Aurelianenſi, duxiſſet in matrimonium Marianam Neuburgenſem, ſororem uxoris ejus. Hunc ergo tanquam certum hoſtem bello aggreditur: eodemque tempore Jacobum Britanniæ regem adjuvat ad regnum recuperandum.

Adjuvat Jacobum ad repetendum regnum:

Neutrum tamen ſucceſſit e ſententia. Nam Dux Noallius inducto milite in Cataloniam, qua celeritate Campum-Rotundum cepit, eadem amiſit: nec poſtea, coacto raptim ab Hiſpanis juſto exercitu, vires ad alia ſuffecerunt. Jacobus autem Brivate profectus claſſe magna cum perveniſſet in Hiberniam, ſtudiis quidem populorum effuſis Dublinum caput regni deductus eſt; ibique expleto triginta millium exercitu, Londino-Deriam adortus, in ſpe fuit urbis fame expugnandæ.

qui trajicit in Hiberniam, & Dublinum ingreditur. Londino-Deriam fruſtra tentat.

At cum ob intromiſſum fraude ſubſidium diſcedere inde re infecta coactus eſſet: dilapſis mox partem maximam militibus, urbes pleræque Duci Schombergio, qui, attributis ab Auriaco copiis, terrorem paſſim circumferebat, portas aperuere. Haud diſſimilis exitus in Scotia.

Victoria Dondæi in Scotia.

Fuſus primum fugatuſque a Dondæo, qui ab Jacobo ſtabat, Auriaci exercitus. Dein, ob acceptum in pugna vulnus mortuo Dondæo, militum plurimi abſceſſere brevi ab

Sed, eo mortuo, di.

ſignis:

Digitized by Google

ſignis: hoſtes autem uſi opportunitate, cum oppida alia, tum Edenburgum, & cum eo regnum univerſum in Auriaci ditionem redegerunt. Adverſa hæc Gallorum viſa Turcas etiam attingere; quibus expediret ubique ab illis bene rem geri, quo major belli moles in Cæſarem inclinaret. Sophiæ adhuc Suleimannus morabatur rex, cum eſt allatum, victos ſuos prœlio altero. Veritus ne Badenſis ferocem victoria militem eo continuo duceret; deſtinatis qui cuſtodirent viarum anguſtias, Hadrianopolin ſe trepidus receperat. Ac ſolicitus diſcrimine præſenti, vertit rurſus animum ad conſilia pacis: mittitque actutum Viennam, qui Effendo & Maurocordato perferrent mandata de ea facienda in leges, quas Cæſar & Veneti non viderentur recuſaturi. Summa erat condicionum: *uti Cæſar regione omni, quæ inter Iſtrum Savumque eſt, retenta, Taurunum reſtitueret: ut ipſe invicem Temeſvariam ei traderet: Veneti vero ut haberent, quæ armis occuparant.* Hæc nihilominus non ſtatim edita ab legatis, qui leviſſimo damno regis ſui imponi bello finem vellent. Eadem, quæ multos ante menſes, proponere: augere præterea verbis male geſta Moſchorum & Polonorum, ſecunda Cæſaris elevare: occulte interim ſpondere Hieronymo Venerio equiti, oratori Veneto apud Cæſarem, pactiones utiliores, ſi ſeorſum ab ſociis pacem Senatus componeret. Reſpuerunt patres rem alienam a fide ſociali. Cæſar quoque, qui tum tranſierat Auguſtam Vindelicorum, ludificari ſe ab hoſte ratus, de ſociorum ſententia, dimitti legatos juſſit. Sed paulo poſt ejus finiendi belli cupidus, cum revocaſſet ex itinere: tunc denique, quæ nova de pace mandata accepiſſent, aperuerunt. Neque ab conſilio Tauruni reddendi prorſus abhorrebat. Dum deliberat cum ſuis: Suleimannus timens ne nihil tranſigi cum hoſtibus poſſet; ſi unquam ante alias, tum vero maxime anxius eventus erat belli univerſi. More barbaræ gentis æſtimantis duces ex fortuna duntaxat, Rechebum ob hoc unum, quia non

1689.

labūtur miles, & omnia trāſeunt in poteſtatē Auriaci.

Rex Turcarum pacem quærit.

Condiciones offert Cæſari, & Venetis:

aliam ſeorſum Venetis,

qui prorſus abnuunt.

Cæſar legatos dimittit: inde revocat.

1689. non vicerat, laqueo perimit. Spoliatum dignitate boniſque Muſtapham quoque Viſſiriorum primum ablegat Agoram; ubi paulo poſt conſumpſit mœror. In ejus locum ſurrogat Muſtapham Cuperlium, filium fratremque Viſſiriorum, qui in paucis de Imperio Ottomanico meriti optime fuerant. Ac ſuos imitatus is, præſtitit operam egregiam; præcipue quod populos ultra gravari tributo immodico jam impoſito non eſt paſſus. Pecuniam autem, quanta fere ſufficeret ad bellum, collegit ex nimiis aut vanis ſumptibus coercitis ſublatiſve; inducto rege etiam, ut impenſas in familiam ſuam minueret: qua æquitate ac ſolertia tantum ſibi favorem vulgo conciliavit, ut, cum propter invidorum criminationes periculum eſſet ne excideret honore; palam ferrent milites præſertim, ſi quid Viſſirio fieret injuriæ, non futurum impune regi. Eodem tempore indicti delectus potiſſimum in Aſia. Concilium inde habitum Viſſiriorum & Baſſarum; in quo cum alii *pacis conficiendæ cauſa* cenſerent, *uno alterove cedendum oppido;* alii, quia id lege religioſa vetitum Turcis eſt, *re nulla cedendum* contenderent: decernitur ad poſtremum, *ſi, facto damno levi aliquo, Taurunum recuperetur, placere eam pacem fieri: Tauruno non reddito, pacem quamlibet diſplicere.* Ad exercitum autem profeſſus Viſſirius ipſum ſe iturum, ſpe ingenti

1690. animos erexit. Cum hæc Conſtantinopoli agerentur: Venetiis nihilo ſegnius comparabantur neceſſaria ad bellum, conducendo milite in ſupplementum, augendaque & inſtruenda rebus omnibus claſse. Ut ad hæc ſuppeditaret pecunia, tum aliunde non parum confectum exiguo tempore eſt, tum Alexandri Pontificis auxilium in id expetitum. Pontifex, qui & ultro eſset voluntate propenſa; & magnopere cuperet beneficio recenti reſpondere patribus, qui, ſe rogante, reſtituiſſent per hos ferme dies in gratiam M. Antonium Barbadicum Cardinalem: jus antiquum exigendi decumas Clericorum, triennio ante ab Innocentio interdictum, renovavit; atque Abba-

Novus Viſſirius Muſtapha Cuperlius,

tributum minuit:

aliunde pecunias conficit.

Favor in eũ militis.

Concilium habet rex de pace.

Veneti ſupplent exercitum.

Auxiliatur Pontifex.

Abbatiam Monachorum Camaldulenſium, appellatam 1690. Carcerum, amplis reditibus, ſuppreſſit; pretiumque ex bonis divenditis addixit ærario Venetorum in Chriſtiani nominis hoſtem. Juvit claſſe quoque, multiplicato numero navium, præſidioque impoſito militum ad mille & quadringentos: triremes ſimul impetravit duas ab Civitate Genuenſium. Antequam copiæ hæ ſociique Melitenſes, principio veris domo profecti, convenirent Epidaurum: Cornelius imperator, nihil remiſſa per hyemem urbis obſidione, huc intenderat curam, ut ne quod ſubſidium ab claſſe Turcarum, quam egreſſam Helleſponto acceperat, intromitteretur. Itaque multo, quam antea, diligentius ſervari voluerat cuſtodias, naveſque alias alibi in ſtatione eſſe. Et conſilium quidem ſucceſſit, at non ſine jactura aliqua. Naves duæ, quibus Alexander Valerius imperabat, conſtiterant non longe ab inſula Melo. Præter inſulam eandem naves decem Turcarum cum ferrentur; accidit, ut nocte, quæ præceſſit diem x Kal. Apr. utrique, lumine indicante, cernerent hoſtem cernerenturque. Turcæ opinati id quod erat, lumen ſuum extinxere. Non idem contra fecerunt Veneti, piſcatoria navigia eſſe putantes. Secuti illi lumen, multo mane Venetas naves jam circumvenerant. Valerius re improviſa, ſed magis multitudine hoſtium perculſus, ubi elabendi non oſtendebatur ſpes, comparat ſe ad certamen; juſſis gubernatoribus, quantum interea poſſent, ad Maleam curſum dirigere, quo citius ſubveniretur ab navibus, quas inter Maleam atque Epidaurum præfectus primus earum Marcus Piſanus tunc habebat. Vixdum commiſſa pugna, e ſpeculis montium conſpexere Veneti periculum ſuorum. Et confeſtim præcipit Piſano imperator, ferre properet Valerio opem. Veruntamen, quæcunque tandem cauſa fuerit, cunctatus eſt Piſanus; neque deinde adventus ejus quidquam profuit. Interim navium alteram poſt quatuor horas abſumpſit incendium. Valerius, qui altera vehebatur, fortiter

Cornelius arctius obſidet Epidaurum.

Valerii naves duæ ad Paron circumventæ a Turcicis.

Piſanus cunctatur ferre auxilium. Navis altera conflagrat:

1690. titer dimicans, uſque ad occidentem ſolem extraxerat prœlium: ſed ibi denique ferrea majoris tormenti pila diſcerptus eſt. Sub caſum ducis vulnus in capite acceperat Auguſtinus Petrina præfectus præſidii: cumque militum & nautarum interfectis plurimis, navis ipſa multis ictibus perforata pene mergeretur; plerique eorum, qui ſupererant, in ſcapham deſilientes, vix ægreque ſalvi effugerunt. Tum demum navi potiti Turcæ: quæ calamitas graviter omnium affecit animos. Neque tam amiſſæ naves angebant, quam Alexander, virtute præſtanti dux, interemptus. Grati patres equeſtri honore Petrum auxerunt parentem ejus; Bertuccio fratri mandaverunt magiſtratum, unde legi in Senatum poſſet. Piſanum vero placuit cauſam dicere ex vinculis: nec multo poſt pœna carceris damnatus eſt. Propterea imperator, ne, ſi longior eſſet obſidio, claſſe hoſtium proximum mare obtinente, cjuſmodi detrimenta alia fierent: conſiliis ab obſidenda urbe ad oppugnandam verſis, quæ ſententia præfecti Guadagnæi a primo fuerat; delectas cohortes in inſulam immittit, quæ armis operibuſque vicum aggrediantur. Haud parum laboris fuit, ut idoneo loco oppugnaturi conſiſterent. Ubi enim primum ſubiere; ſimul ex vico facta eruptio eſt, ſimul ex oppido cœpta devolvi ſaxa pondere ingenti, & generis cujuſvis tela dejici. Ducenti ibi occiſi, ac fere totidem ſauciati. Perſtantes tamen cæteri, mediocri a muris intervallo caſtra locarunt. Objiciendo vallo deerat materia: lapidoſum nanque ſolum eſt. Et ratio non inveniebatur, qua admoverent tormenta majora; ut ſexaginta amplius dies vix quidquam aliud quam aſſidentes conſumerent. Sub hæc Romanis ac Melitenſibus ſociis advenientibus, conſultare duces de integro, utrum pergerent utcunque oppugnare; an, revocato ex inſula milite, lentæ rei exitum obſidendo expectarent. Ac extra unum Guadagnæum cenſere omnes abſiſtendum conatu eo; quando quotidie aliqui ferreis glandibus ſaxiſque & ſagittis

altera, occiſo Valerio, capitur a Turcis.

Pater Valerii creatur Eques.

Piſanus damnatur carcere.

Oppugnatio Epidauri

difficilis.

gittis

gittis ſuperne petiti cadebant aut vulnerabantur. Sed dum ille de induſtria recedendi facit moram; expugnandi ſpes ex nec opinato oblata eſt. Medio ferme ſpatio inter vicum & caſtra, ſepulcra notavit Mutonus: ſecutuſque conjecturam, terram rudem ibidem reperit quæ fodi poſſet. Quare paucos intra dies aggere excitato, & ſuperimpoſitis balliſtis, verberari mœnia cœperunt. Minuit id animum incluſis; qui, donec tutarentur muri, nihil Veneto ſucceſſurum, pro certo habuiſſent. Deventum præterea erat prope ad ultimum inopiæ: menſem enim jam quartumdecimum obſidebantur. Reſiſtebant tamen, ſperantes in horas ſingulas, levaturos Cydone advectos commeatus. Ubi naves duas portantes illinc frumentum Venetus interceperat; & Turcæ aliquot, iis capti in navibus, juſſu Cornelii ſoluti venerant in urbem, auxilii adempti teſtes: tum victa tandem patientia eſt. Tertio Id. Sext. deditionem in hæc pacta fecere: *ut captivos redderent, traderentque fugitivos & transfugas: bellicum inſtrumentum relinquerent: rerum autem ſuarum tantum ferentes, quantum corpore ſuo quiſque poſſet, in Cretam inſulam tranſveherentur.* Exierunt ad mille & ducentos. Inter transfugas decem inventi Chriſtianæ religionis deſertores. Novem ſuſpenſi antennis triremium. Unus rei tormentariæ eximie gnarus, qui proximo anno Laurentium Venerium deſtinato ictu interfecerat, quando ne mortis quidem metu dimovebatur ab pertinacia in Turcica ſuperſtitione, minime uſitato ſupplicio afficitur; diro quidem illo, fœdique ſpectaculi, mitiore tamen quam pro inſanabili ingenio, ſuper fidem humanam proditam, habendi etiam tunc Chriſtum infra Mahumetem. Quatuor triremibus admotis, in roſtra earum diſtentum illigant: quæ deinde in curſum diverſum concitatæ, corpus in quatuor partes lacerum diſtraxere. Recepta Epidauro: quia nondum tempus abierat gerendi rerum, deliberatum eſt, ducerent ne univerſas copias adverſus hoſtium claſſem Ægæo vagantem mari; an, parte navium

1690.

Demũ ſuccedit.

Auxilia Turcarum intercipit Venetus.

Deditio urbis.

De transfugis ſupplicium ſumit Cornelius.

1690. vium ad id relicta, cæteris viribus ad Aulonem, maritimum Albaniæ oppidum tentandum tranſirent. Inclinabat huc ſententia Cornelii, qui in Illyrico ſecunda fortuna uſus antea eſſet. Inclinavit & aliorum: quare placuit Hieronymum Delphinum navibus maximæ formæ duodecim perſequi claſſem Turcarum. Dein tribus millibus militum datis Jacobo Cornelio, cujus erat Peloponneſus *Munit Iſthmum.* provincia, ad cuſtodiendum Iſthmum Corinthium; accitoque Andrea Naugerio præfecto inſularum, qui maritimam Corinthi oram cum iis, quas habebat triremes, *Aulonem tranſmittit.* tutaretur: imperator reliquis copiis Aulonem contendit. Utrobique æquavit ſpem eventus. Cythnum provectus *Delphinus præfectus navium Lesbum petit.* Delphinus comperit, claſſem Turcicam duarum & triginta celſioris formæ navium, ſex & viginti triremium, ſtare ad inſulam Lesbum. Tanta virium imparitate nihil retardante, confeſtim proras illuc dirigit. Et ſinum vixdum intrarat, cum Turcæ fuerunt in conſpectu. Itaque expediri illico milites jubet & nautas ad prœlium; acie ſic inſtructa, ut ipſe a fronte eſſet, Bartholomæus Contarenus, navium præfectus alter, agmen clauderet. Ac primo quidem lenis Africus in hoſtes ferebat eos. Ve- *Pugna ejus cum claſſe Turcarum.* rum ſimul prætoria Delphini intra teli jactum fuit, vis omnis venti repente reſedit. Tum in unam fit undique ab Turcis impetus: & roſtratarum remigio adjuti, propius ſubeuntes indeptique, haud pauci in eam tranſcendere. Præterquam multi Venetorum cadebant, jam- *Vulneratur.* que prora hoſtes potiebantur; Delphinus etiam graviter ſauciatur, majoris balliſtæ globo læva mutilata. In ſummo diſcrimine tamen, victo dolore vulneris, animos deſpondentem militem voce exemploque ita confirmavit ad pugnam, ut paulo poſt male mulctati qui invaſerant, navi expellerentur. Eminus inde gerebatur res: ſed erat iniquum certamen Veneto, qui e plurimis ſimul navibus peteretur; ipſe ne latera quidem navis ſuæ deinceps obvertere in illas poſſet. Nihilominus horas tres cum reſtitiſſet; jam vento afflante, circumagi navis cœ-

pta.

Digitized by Google

pta . Tunc Delphinus vim glandium ferrearum velut 1690.
imbrem undique in hoſtes effundere . Mox auxilio ve-
nientibus navibus duabus Bartholomæi Contareni & Fa-
bii Bonvicini ; invectus ultro , ſic perculit , ut trepidan-
tes conſternatique fugam penitus in ſinum arriperent . *Conjicit hoſtes in fugam.*
Poſtridie egreſſos in altum , navibus tamen paucioribus
(nam quatuor in prœlio quaſſatæ manſerant ad Mityle-
nem , multæ longo intervallo , quod partem amiſiſſent
armamentorum , ſequebantur) provocavit nequicquam ad
pugnam . Tertio die uſus vento , fidenter ſuccedebat ex-
preſſurus vim ad dimicandum . At illi prœlium utique
detrectantes , ventum eundem nacti ſecundum , in Hel-
leſpontum tranſmiſerunt : nec deinde hoc anno neque
ſequenti prodire auſi ſunt . Ea ex re Delphinus conſe- *Equeſtri dignitate ornatur.*
cutus laudem eſt minime vulgarem . Fortiter factum pen-
ſavit etiam Senatus equeſtri dignitate collata . Inter hæc
Cornelius imperator Corcyram prætervectus , Saſonem
appulerat claſſem . Biduum ad inſulam retinuit tempe-
ſtas ; ut ſpatium eſſet Turcis inſtruendæ defenſionis , fi-
nitimis populis ad arma excitis . Et jam extrema oræ
ejus inſederant , parati acceſſu littorum prohibere . Sed
vix ulla contentione , terrore tantum injecto , demovit
inde Cornelius . Dum ipſe a mari , late explicata claſ- *Cornelius exſcenſionē facit.*
ſe , miſſilibus inceſſit ; terra Epirotas quingentos , qui
paulo ante in voluntariam deditionem venerant , in latus
jubet incurrere . Primo , ut multi ferreis globis icti ca-
derent , locum tamen ſatis conſtanter tuebantur Turcæ .
Poſteaquam magno clamore ac tumultu aderant Epiro-
tæ : multitudinem rati inſtare longe majorem , pericu- *Turcas disjicit.*
lumque eſſe ne mox terra marique circumvenirentur ;
paulum receſſerunt . Melitenſes tunc ad ſeptingentos e-
greſſi in terram . Hos ſecuti Illyrii & cohors Caroli
Spar legati : qui reſtantes barbaros ultro adortus , pri-
mo impetu disjecit , perſecutuſque trepidos uſque ad
colles eſt . Poſtero die copiis omnibus expoſitis , octo
millibus peditum , equitibus quingentis ; viſum Cani-

nam ,

1650. nam, quam vocant, arcem prius aggredi, ut facilius
Aulonis ſitus, poſtmodum Aulone potirentur. Abeſt a littore Aulon
paſſus ſeptuaginta, crebris circum ſepta turribus, inſtru-
cta etiam arce, quæ fere ad occidentem vergit, maxi-
meque deſpectat mare. Urbi imminent colles, quibus
regio paſſim aſſurgit: tria autem millia illinc paſſuum
& Canina. Canina ſita eſt, duo millia a mari, inſidens tumulo, na-
tura magis quam munimento tuta. Huc expeditum e-
rat Turcis undique convenire; inde vero per occaſiones
ſubmittere Aulonem auxilia. Venetis per abrupta plera-
que ad Caninam ſuccedentibus vix parumper obſtitere,
qui pridie illuc ſe fuga contulerant: ibi ductor Meliten-
ſium, eques Giannettines, plumbeæ glandis ictu vulne-
ratur. Pars receperunt ſe in vicum frequentem tectis,
ad radices collis Caninæ; cæteri vicum prælati, conſtite-
Canina vicum adoritur. re loco opportuno, objeceruntque vallum. Tum vim
omnem in vicum vertit imperator, tormentis majoribus
advectis labore magno militum & claſſicorum. Ubi mu-
ri, quo cingebatur, aliquantum proruerat: jubet uno
tempore Spar legatum tribus millibus peditum, equiti-
bus quadringentis, ire ad adoriendum vallum; & præ-
fectum Guadagnæum cum cohortibus delectis per pate-
factum ruina iter tentare irruptionem in vicum. Vallum
conatu ferme nullo ſuperatum eſt; Turcis ſub initium
ipſum pugnæ diffugientibus. Ad vicum hæſit aliquandiu
expugnat. ambigua ſpe certamen: at, quanquam non parva cæde,
victor tandem Venetus expugnavit. Nicolaus Borrus le-
gatus cecidit inter impreſſionem primam: vulnerati ad-
modum multi, in iiſque Ludovicus Sagredus qui ſti-
Arx oppugnatur: pendiis ſuis militabat. Extemplo adverſus arcem oppu-
gnationis opera fieri cœpta; quibus dum inſtat eques
Marovilius, præfecti Melitenſium legatus, luculentam ci-
catricem accepit in fœmore. Et jam cuniculi ageban-
tur; cum fodientium ſonitu territi incluſi, ut cederent
deditur. inde cum rebus ſuis, impetrato, arcem tradiderunt. Con-
tinuo Cornelius, fortunam totius rei principia ſecuturam
arbi-

arbitratus, Aulonem mittit, qui pertentarent Turcas, ſi 1690.
vellent metum obſidionis honeſta pactione prævertere.
Ad tolerandum vires non deficiebant: deficiebat animus,
quem, Canina amiſſa, copiiſque fuſis ſuorum, prorſus
abjecerant. Quamobrem diem cum petiiſſent, tanquam
deliberaturi de deditione, cæterum ut fraudem facerent; *Aulonem deſerunt Turcæ.*
ſarcinis raptim collectis, nocte dilabuntur. Primo diluculo mandarat denunciandum Cornelius, moram nullam
temporis dari. Ut cognovit patere portas, urbemque deſertam eſſe: victoriæ multo majoris ſpes oblata, Dyrrhachii ſubito adventu occupandi. Ergo Aulone firmata
præſidio, de ſententia concilii, protinus Dyrrhachium
proficiſcitur. At vix proceſſerat in conſpectum oppidi; *Vento prohibetur Cornelius appulſu Dirrhachii.*
cum coortus eſt ab oriente ventus vehemens, qui dies
complures ita tenuit, ut ad littus applicari naves non
poſſent. Neque aſpero atque importuoſo mari, autumno
jam ineunte, tuta erat ſtatio ea; & per idem tempus in
morbum inciderat imperator ipſe. Quocirca incœpto abſiſtentes, ſociis dimiſſis, Aulonem revertuntur. *Aulonem redit.* Morbo *Ibi decedit.*
ingraveſcente, paucos intra dies pene incredibili omnium mœrore Cornelius ibi moritur, anno ætatis duodeſexageſimo. In claris imperatoribus profecto numerandus; *Elogium ejus.* acer conſilio, manuque ſtrenuus; facilitate ac liberalitate militi impenſe carus; populis, quoſcunque adierat, propter expertam virtutem, gratus unice: & ob ea
quæ geſſerat in Illyrico atque Albania, confidebant vulgo, brevi, quidquid Illyricum interjacet & Peloponneſum, Veneto adjecturum imperio. Aliquot ante diebus
Catharinum filium, vix primam juventutem ingreſſum, *Catharinus filius eques dicitur:*
in D. Marci equitum ordinem adſcripſerat Senatus: nunc
Civitas in comitiis majoribus, decoratura memoriam demortui, procuratorem Marcium tranſtulit in fratrem Federicum, *Federicus frater Proc. Marcius.* illuſtrem obitis in Hiſpania & in Germania
legationibus. Dum hæc in Albania: in Illyrico Molinus, *Molinus in Illyrico infeſtus Turcis.* immiſſis in hoſtium fines copiis ductu Franciſci
Cruttæ, magnum tractum ferro atque igni vaſtarat. Ea

res

1690. res familias quidem multas perpulit, ut in loca Venetæ ditionis migrarent: at ſatis creditur, peſtilentiam ſimul importatam, quæ provincia tota fœde graſſata deinde eſt, ac mortales plurimos Sici præſertim abſumpſit. Anxii patres tum calamitate provinciæ, tum metu ne labes contagione ſerperet latius, IIIviros valetudini curandæ creant, Angelum Maurocenum, Alexandrum Zenum, & Jo. Baptiſtam Gradonicum. Placuit Maurocenum, aſſumptis Petro Baſadonna & Gaſpare Bragadeno, qui operam ejus adjuvarent, ire ſtatim in Illyricum. Zenus in Hiſtriam, Gradonicus in Carnos miſſus. Interim cuncta peſtilentia turbata occaſionem putavit eſſe Halius Baſſa Hercejovinæ opprimendi populos, qui ultra Tribunium ad Oriundum flumen colunt, Niſſichios & Cutios nomine. Adverſus hos ſtimulabat ira ob excurſiones, quæ in Chulmiæ fines crebro inde fiebant. Verum, dum ad id contrahit armatos: illi, explorato quid pararet, ſumptis armis, ſemitam arctam inſident, qua reſcierant tranſiturum, advenientemque ſubito adoriuntur. Et tantum nec opinatus tumultus valuit, ut Turcæ, quanquam longe præſtantes multitudine, tamen vix tentata pugna, verterent terga. Ad quingentos occiſi in fuga: cæteri, qua quemque ſors tulit, late diſſipati. Halium itinera devia cum paucis ſcrutantem quidam Rhyzinio exules, in eum forte delati, ceperunt: qui poſtea cum cuſtodia devectus Venetias eſt. Utendum intelligens Molinus trepidatione hoſtium, ad eas quas habebat copias, auxiliis populorum adjunctis, incolentium inter Neſtum & Naronam flumina: arcem medio poſitam ſpatio, Vergoratium, invadere ſtatuit, quæ oræ maritimæ ad Macarſcam munimento foret. Commodum aberat tunc præfectus arcis cum parte præſidii, ut compararet commeatus; quorum ſummam inopiam fecerant Illyrii regionem uſque populantes. Molinus, qua redeundum illi eſſet, ponte capto, deſtinatoque præſidio; exercitum reliquum arcem oppugnatum ducit.

Peſtilentia ibi.

IIIviri deſtinantur curandæ valetudini.

Halium Baſſam excipiunt Niſſichii, & Cutii,

funduntque.

Halius capitur.

Molinus Vergoratium adoritur.

1690.

ducit. Magno labore ſubierunt; eſt enim in rupe pene recta. Tum ſimul tormentis diverberari murus, ſimul pluteis & cratibus contecto loco cuniculus agi cœptus. Reſtitere obſeſſi, quandiu ſpes ſubſidii fuit. Ubi revertentem præfectum fugarant Veneti, qui pontem cuſtodiebant: diffiſi rebus ſuis, arcem dediderunt per pactionem. Hæc foris eo anno terra marique geſta ſunt. Domi diſceptatio juris publici tenuit: quæ quia principium habuit ab inſtitutis antiquis Civitatis, libet ad illa tantiſper altius narrando recurrere. Orta a parvis initiis, ut alia quævis imperia, Veneta res, creverat in opes ingentes cum ſtudiis omnibus belli & pacis, tum mirifice auctis Civium fortunis mercatura exercenda. Opportunitatem præbebant vires mari prævalidæ, ſituſque regionum, quas ditione ſua complectebatur; ut confluentibus ad urbem undique, præſertim ex Aſia negotiatoribus, ipſa terrarum orbis emporium maxime celebre, ac prope unum eſſet. Fiebat hinc, ut Venetam Civitatem plurimi expeterent non privatorum modo, ſed eorum etiam qui populis imperitarent; unde honor illis atque utilitas proveniret. Inclinati ad liberalitatem Veneti petentibus non gravate dabant; jure tamen vario pro diſcrimine hominum. Aut enim jus largiebantur Civitatis, ut in urbe tantum haberentur numero Civium; vocabantque *jus de intus*: aut facultas ut foret mercaturæ ſimul faciendæ; *jus de intus, & extra* nuncupabant: aut ut præterea munera publica capeſſerent ejus generis, quæ Cives nati ex Civibus obire ſolent; hujus juris compotes *Cives originarii* dicebantur: aut denique ut, ſuper jus mercaturæ, majorum quoque comitiorum participes eſſent, quos appellabant *nobiles*. Anno trecenteſimo trigeſimo octavo ſupra milleſimum, Thaddæus Peppolus, Bononiæ præfectus perpetuus, & Zeira, fratres germani in Civitatem accepti; impetrato jure *intus & extra* ſibique & poſteris ſuis. Sæculis intermediis ferme quatuor, Hercules & Cornelius germani itidem fratres, Thad-

accipit in deditionem.

Juris publici diſceptatio Venetiis, cauſa Peppolorum.

Jus civitatis varium.

Hercules & Cornelius

1690. Thaddæi ſanguine orti, jus tributum quondam ſtirpi, ſed immemorabili ſpatio temporis non uſurpatum, tabulis apud Triumviros Advocatos reip. rite prolatis, repetebant; agentes ut liceret uti jure comitiorum majorum. Nequaquam facile erat decernere, an æqua poſtularent. Poſtquam enim præter promontorium Bonæ Spei Africæ cœptum eſt navigari ad Indos; trahentibus ad ſe commercium inde gentibus aliis, cum Venetiis mercatura honore decidiſſet, memoria etiam juris ejuſmodi una cum uſu pene aboleverat. Plerique tamen, ut in re obſcura, conjecturam ſecuti, nihil ingratiis cauſæ favebant Peppolorum. Nam haud videbatur ſimile vero, familiam tam illuſtrem, propter quæſtum ex negotiatione, non propter decus nobilitatis, Civitatem quæſiviſſe. Quare, nequicquam contradicente Natale Donato Senatore, Hercules & Cornelius in patriciorum ordinem adſciti. Judicii hujus vulgata fama Guidum & Antonium patrueles fratres Peppolos Venetias excivit, rogantes idem, quippe ex eodem Thaddæo propagatos. Apparebat, alios atque alios deinceps exemplo Peppolorum petituros: itaque ergo digna res habita, quæ expenderetur maturius. Inſpectis monumentis comperiunt, familiis ſplendidi generis & nominis, Sfondratis & Columnis, jus unum *de intus* datum olim fuiſſe: *de intus* autem *& extra* Petro a S. Superano Peloponneſi Principi, Theodoro Palæologo avo Emmanuelis Imperatoris Conſtantinopolitani, Gualterio Duci Athenarum, Stephano regi Serviæ aliiſque plurimis, per legatos id contendentibus: quos tamen ob talia tributa jura in patriciis Venetis non annumeratos, inde cognoſcunt, quia Malateſtæ Ariminenſes & de-Rubeis Parmenſes, quibus ob militarem virtutem eadem hæc conceſſa fuerant, aliquanto poſt ob recentia in remp. merita jus comitiorum majorum impetraſſent: quæ jura nihil attinuiſſet ſeparare, ſi unum eſſent. Quocirca lex perlata hoc anno eſt, *ne exinde ratio illorum haberetur, qui allegantes jus anti-*

Peppoli petunt uſurpationem juris:

impetrant.

Idem petũt Guidus & Antonius ex eadem ſtirpe.

Conſulũtur monumenta.

Lex de hac re perſcritur obſervanda in poſterũ.

antiquum, nobilitatem peterent, niſi jus eis comitiorum majorum nominatim collatum fuiſſet. In cauſa nihilominus Guidi & Antonii, quos conjunctio ſanguinis Herculi & Cornelio jam aggregatis exæquaret, gratia magis valuit quam jus. Semeſtre tempus iis conſtitutum, quo eſſe ſe ex eadem ſtirpe recte probarent. Quod cum feciſſent, in patriciorum numerum relati ſunt. Memorandis aliis inſignis annus. Late prolatis Illyrici finibus, totaque jam Peloponneſo ſub jus ditionemque redacta: quando utrobique neceſſaria cuncta habendis Epiſcopis inſtruxerant, juſſus ab Senatu Joannes Landus Pontificem orare, jus perpetuum Veneto impertiretur eligendi Epiſcopos atque Archiepiſcopos urbium, quas eo bello cepiſſet de Turcis. Annuit libenter Pontifex: facta inſuper Præſulibus, quos patres legerent, copia honores reliquos, ſacerdotia, eorumque reditus aſſignandi menſibus omnibus. Liberalis ſimul erga Antiſtitem templi D. Marci, dignitatem ejus poteſtatemque munivit & amplificavit. Uſurpabat hic non pauca eorum, quæ jura & decora ſunt Epiſcoporum, jam inde uſque ab Joanne Particiatio Principe Venetiarum XI. a quo templum D. Marco Evangeliſtæ, corpore ejus translato tunc Alexandria Venetias, dedicatum exornatumque multiplici ordine ſacerdotum, uno præpoſito, quem Primicerium dixit. Nam & veſtes quales Epiſcopis, & jus in templis ſuis benedicendi populo, præficiendique ſacerdotes ſacris confeſſionibus audiendis, more Epiſcoporum erant: tum Tonſuram Primam conferebat Clericis ſibi ſubjectis; Ordinibuſque cæteris initiandos datis literis ad alios Epiſcopos dimittebat. Multorum uſu ſæculorum hæc jam aſſerta non confirmavit modo Pontifex, ſed auxit quoque: ut Primiceriis Templi Marcii ad quatuor Minores Ordines promovendi Clericos ſuos in poſterum eſſet facultas. Indumenta pretioſa dono addidit, quibus iidem uterentur diebus D. Marco ſacris. Voluit & aliud monumentum extare benevolentiæ ſuæ in patriam. Nam

1690.

Guido & Antonio jus comitiorum conceditur.

Veneti impetrant a Pōtifice jus eligendi Epiſcopos.

Pontifex dignitate auget Antiſtitem Templi Marcii.

Digitized by Google

B. Laur. Juſtinianus Sanctis adſcribitur.

1690. B. Laurentium Juſtinianum, primum Venetiarum Patriarcham, pietate inclytum & doctrina, in Sanctos adſcripſit: Jubilæo itidem conceſſo ad propitiandum Civitati numen divinum. Hæc Veneti.

Poloni ſegniter rem agunt.

Fœderatorum res alibi exiguæ admodum, alibi minus ſecundæ. Quæ Poloni in gentis conventu conſtituerant animis ingentibus, non eadem etiam præſtiterunt. Decretum fecerant: *ut copiarum vi quammaxima bellarent exinde cum Turcis: ut trium annorum debita ſtipendia militi perſolverentur: atque ut ad Tartarorum prohibendas incurſiones, exercitus in regni finibus hybernaret.* Æſtatis initium jam erat. Ducibus tamen lente omnia negligenterque adminiſtrantibus, nihil rei incipiebatur; querela magna populorum, qui frigeſcere conſilia vireſque, cum ipſi in bellum contribuerent, indignarentur.

Tartari fugant Polonos.

Mora hæc elicuit audaciam Tartaris. Qua caſtrorum parte præſidebat equitatus, eo repente illati perfregerunt vallum; turmiſque aliquot cæſis, tumultus tantum ac formidinis præbuerunt caſtris totis, ut armorum immemores Poloni ſtationes pleraſque deſererent. Credebatur haud dubie, imperatorem copiarum tunc demum exercitum inducturum in hoſtium fines ad ignominiam tollendam. Verum, quanquam rex inſuper magnopere extimulabat, principio ſolum autumni movit.

Poloni Moldaviam intrant: Socidavam capiunt.

Tyra flumine trajecto, Moldaviam ingreſſus, urbe parum valida Socidava certamine potitur vix ullo; oppidanis in montes effugientibus. At premente mox inopia commeatuum, nihil ultra auſus aggredi redit in Poloniam. Moſchis interim prorſus cunctantibus, multa Turcis proſpere evenerunt adverſus Cæſarem.

VII millia Germanorũ ad Priſtinã arcem excipiuntur inſidiis.

Septem ferme millia Germanorum, quæ ad Priſtinam arcem in Serviæ finibus hyemabant, dum Straſſeri tribuni ductu in hoſtium terras prædatum abeunt, præcipitavere in inſidias. Subito exorti Tartari & Turcæ, qui magno numero in vepribus ſylviſque conſederant, cædem fugamque fecerunt palatorum. Ad mille occiſi; ſigna triginta amiſſa; Straſſerus ipſe

cum

cum ducibus aliquot, Princeps etiam Carolus Hannove- 1690.
renſis, ſtrenue pugnantes interiere. Jacturam hanc pen- *Caniſia ex-*
ſavit Caniſia fame expugnata; oppidum permunitum *pugnatur.*
Pannoniæ Inferioris, haud procul flumine Dravo, quod
Germani obſidebant jam biennium. Sed interveniens
paulo poſt mors Lotharingii, pene viſa eſt portende- *Lotharin-*
re triſtia deinceps inſecuta. Viennam petentem, accer- *gius mori-*
ſitum ab Cæſare ad concilium, non procul Lentio ex- *tur.*
tinxit repens morbus. Ingens inde non Cæſaris ſo-
lum, ſed etiam Chriſtianorum omnium fuit dolor.
Propter animi magnitudinem, ac præſtantiam bellicæ
artis, reſque memorabiles geſtas, facile imperatoribus
ſummis æquiparaveris. Datus hoc quoque anno exer-
citui dux in Pannonia Badenſis, priuſquam Vienna pro-
ficiſceretur, fruſtra in concilio ſuaſerat, ut præſidia de-
ducerentur ex oppidis ultra Taurunum: neque enim
aliter quam contractis in unum viribus, pares ſe fore
Turcis, quos exercitum permagnum comparaſſe, undi-
que afferebatur. Cogitaverat id ſalubriter, ut eventus
poſtea docuit: diviſæ nanque copiæ ad ſingula tuenda
non ſuffecere. Taurunum veniens comperit ibi, in
diſcrimine verſari Tranſylvaniæ res. Michaeli Abaffio
Principi, paulo ante mortuo, ſurrogatus ab rege Tur-
carum Tekelius ſexdecim armatorum millia, Turcas *Tekelius*
ac Tartaros permiſtos, induxerat in provinciam. Jam- *Tranſylva-niam ingre-*
que tumultuario prœlio ſuperarat Germanos qui tutaban- *ditur.*
tur, plus mille cæſis, atque Heiſlero duce eorum ca- *Heiſlerum*
pto: tum indixerat conventum gentis, ut ſolemnia per- *ſuperat.*
ſolverent ineunti Principatum. Occurrendum ſine mora
ratus Badenſis, quindecim millibus militum aſſumptis, *Occurrit*
Iſtrum tranſgreditur; & reliquias ſibi adjungit copiarum, *Badenſis.*
quæ Heiſleri fuerant. Saluti adventus ejus fuit regioni.
Tekelius enim diffiſus ſimul animis populorum, nam
perquam pauci conveniebant ad edictum, ſimul viribus
ſuis, quibus crederet ſuſtineri Germanos non poſſe: ar-
te fruſtratus illum aliquandiu cum eſſet; ubi defugiendæ

pugnæ

Digitized by Google

1690. pugnæ facultas alia non dabatur, ſenſim recipiendo ſe, *Tekelinus excedit Tranſylvania.* Tranſylvaniæ tandem finibus exceſſit. Ita ea retenta auctiſque præſidiis oppidorum, vir fortis Veterannus legatus præponitur: demortuo autem Principi ſuccedit Abaſſius filius, probante Cæſare, cui annuum tributum Turcis pendi ſolitum, octoginta millia talerorum ferret. Cum hæc agerentur in Tranſylvania, jam mala in ſpe bellum erat in Servia. Quam maturrime explerat Viſſirius ad Sophiam ſexaginta millium exercitum præter *Viſſirius movet Sophia.* auxilia Tartarorum. Continuo movens illinc arcem ad Niſſavam flumen haud procul Scupis, Pirot appellant, prope ſine certamine receperat. Mox Nyſſam circumſedit, quam tuebantur tria millia peditum, equites quadringenti duce Guido Starembergio. Dies multos animis utrinque ingentibus oppugnata urbs eſt defenſaque. *Nyſſa ei deditur;* Poſteaquam locis pluribus corruerant muri; priuſquam ruinas ſupervaderent armati, fit deditio. Tum Viſſirius diviſas copias ad Viminacium & Spenderobim uno tempore oppugnandas mittit. Adjuvabant triremes ſex & minora navigia complura, ab Euxino Ponto, Iſtro ad- *& Viminacium.* verſo illuc accita. Et Viminacium quidem, conterritis qui cuſtodiebant, dies poſt paucos deditur. Pertinacius *Spiderobin expugnat.* reſtitum Spenderobi: nec ante finis repugnandi fuit, quam Turcæ per ſtragem muri irrumpentes in oppidum, præſidium omne conciderent. Crevit inde fiducia Viſſirio; ut ire protinus non dubitaret ad tentandum Taurunum. Sex millium præſidio tenebatur. Vir bello egregius præerat Dux de-Croy: legatos impigros habebat, Aſpremontium & Archintum: opera quoque adhibita Andreæ Cornelii Cretenſis, novas circa munitiones *Adoritur Taurunum.* vallumque perduxerat. Conatus Turca vi primo atque armis munitiones invadere. Ubi, multis amiſſis ſuorum, neutiquam proficiebat, pluteos admovet machinaſque. Sed ne ita quidem ſatis ſuccedebat cœptum; ea vi contra jaculantibus Germanis ac diſturbantibus munitores, ut octavum jam diem mole magna oppugnando,

vix

Digitized by Google

vix quidquam promoveret opera. Et, ut erant initia, 1690. incipiente autumno, haud videbatur expugnaturus. Veruntamen, unde nihil ſperare minus auſus eſſet, inde potiundæ urbis fortuna oblata repente eſt. Incertum caſu ne igniferæ glandis, an fraude inteſtina, accenſus *Incendium in urbe.* pulvis tormentarius, turri repoſitus in arce, motu ingenti ædificia plurima concuſſit ſtravitque: & late diffuſa momento temporis flamma pleraque eorum, quæ ſteterant, corripuit. Cunctis ſubito pavore exanimatis ac effugium quacunque quærentibus: per portas tres, inter *Effugiunt Germani.* eum tumultum patefactas, irruentes Turcæ potiuntur oppido & obvios fere omnes interficiunt; *Urbs capitur.* ut ex tota multitudine militum atque oppidanorum vix ſuperfuerint ſeptingenti, qui parvis excepti navigiis Iſtro aufugerunt, in his Dux de-Croy, Archintus, & Aſpremontius. Ab opinione perfidiæ Cornelius non abfuit; qui captus a Turcis, mox reſtitutus in libertatem, ſtipendia eorum non dubitando ſequi, fecit ut hæreret crimen. Ita nono die poſtquam cœptum fuerat oppugnari, Taurunum amiſſum: tantuſque ex ea re terror pervaſit Pannoniam univerſam, ut, niſi ceſſatum ab victore foret, Buda ipſa arx regni recuperari potuerit. Viſſirio Conſtantinopolin reverſo, Murſa nihilominus in periculo fuit. Repentino adventu ſexdecim millium Turcarum adeo *Murſa oppugnatur.* trepidatum eſt intra muros, ut antequam obſiderentur undique, deſerendæ urbis conſilia agitarent. Erecti paulo poſt ab Duce de-Croy externa munimenta tranſcendere conantes barbaros bis repulere. Tum tripartito erumpentes, *Turcas repellit præſidium.* eo tumultu ac cæde implerunt ſtationes, ut illi, parte armorum atque impedimentorum relicta, proximæ noctis ſilentio abſcederent. Diſſimili exitu certatum ad Lippam, quam pars Turcici exercitus, millibus aliquot adjectis Tartarorum, oppugnabat. *Turcæ Lippa potiuntur.* Reſtitit præſidium, quantum mœnia, quantum arma tueri poterant. Denique collabentibus jam muris, nemo opem cum ferret, urbs deditur. Ab Lippa ad Orſovam Turca perrexit. *& Orſova.*

Digitized by Google

1690. xit. Arcem, quia vires deerant ad propugnandum, diruerant Germani: in propinquam inſulam receperant ſe ſe cum armis rebuſque ſuis. Ibi multos dies nequicquam omnia experientes ut hoſtem ſubmoverent; inopia tandem adacti exceſſerunt. Converſionem hanc fecit maxime Gallicum bellum, quod Cæſarem coegerat copiarum partem aliam retrahere ex Pannonia; præſertim poſtquam in Italia ſimul bellari erat cœptum. Victorius Amedeus II, Dux Sabaudiæ, animi vir excelſi gloriæque percupidus, qui dudum pateretur ægre, oppida duo in finibus ſuis, Caſale & Pinarolium teneri ab Gallis; timeretque ne vis inde repentina exiſteret: occaſionem, qua eo ſe metu liberaret, bellum quod Galliæ regi eſſet cum Auſtriis, libenter arripuerat. Uſus ſolerti ingenio & opera Vincentii Grimani Abbatis, patricii Veneti, Auguſtæ Vindelicorum, in has leges ſocietatem junxerat cum Cæſare: *ut ipſe quoque fœdere comprehenderetur, quod inter Cæſarem, Hiſpaniæ, Britanniæque reges, & Civitates Belgarum intercederet: ut conjunctis cum Cæſare copiis dux itidem ipſe in Italia bellum gereret adverſus Gallos: uti rex Hiſpaniæ milite ac certa pecunia adjuvaret in menſes ſingulos: genus honoris exinde ſibi ut haberetur, quale ab regibus haberi regibus ſolet: tum ut magno auri pondere perſoluto, pagos vicoſque complures & parva quadam caſtella ad Liguriæ fines, beneficiario jure poſſidenda ab Cæſare acciperet.* Ubi primum hæc agitari ſenſit rex Galliæ; blanditiis ac promiſſis verſare animum Victorii, ſi poſſet a conſilio ſuſcepto dimovere; facta ſpe inter cætera augendi imperii, adjiciendique partem Inſubriæ, quam conſociatis armis adimerent Hiſpano: Ut nihil ars ea proderat, minis territare; deſtinato Pinarolium milite. Et viſus Victorius permoveri quieturum ſe affirmabat. Sed cum poſtulaſſet rex, arcem ut traderet Auguſtæ Taurinorum, & Verucam urbem, quæ pignus eſſent fidei; ille vero abnueret: tum millia ſexdecim armatorum duce Nicolao Catinato infeſtis ſignis deſcendere jubet in fines. Eodem tempore per oratorem

Bellum in Italia.

Cauſa.

Fœdus Ducis Sabaudiæ cum Cæſare & ſociis, ictum per Vincentium Grimanum.

Revocare a fœdere Ducem conatur rex Galliæ.

Catinatus intrat Pedemontium.

torem

torem ſuum. ſimul oſtendit Senatui Veneto, quæ cauſa 1690.
fuerit mittendi in Italiam exercitus; ſimul queritur, quæ
fœdera Victorius cum hoſtibus pepigiſſet ſuis, ea per
Venetum civem pacta. Accidit patribus permoleſtum mi- *Querelæ re-*
ſceri bello Italiam: audiebantque inviti, Grimanum con- *gis de Gri-*
tra leges patrias negotiis ſe externorum Principum im- *mano,*
miſcere auſum. Habita res, quam non ferret impune.
Juſſus igitur ab Xviris ad judicium adeſſe. Cum autem *qui damna-*
venire recuſaſſet; abſens damnatur, jure Civitatis abro- *tur.*
gato. Interim Galli, Sabaudia ferme omni in poteſta-
tem redacta, Sallutiis imminebant. Modico inde ſpatio
parantibus Padum vado tranſire ad Stafartam occurrit
Victorius. Numero præſtabat militum: nam, adjunctis
auxiliis Germanorum atque Hiſpanorum, exercitum tri-
ginta millium effecerat. At illi conſilio vires adjuvantes, *Pugna Gal-*
integris ordinibus paulatim cedendo, hoſtem multitudini *lorum &*
præfidentem in locum inſidiarum pertraxerunt. Tunc, *Sabaudorū.*
ſignis ſubito converſis exoneratiſque tormentis, quæ
apte inter arbores ac dumeta condiderant; prima Victo-
rii acies male mulctatur. Continuo in aciem ſecundam
præter ripam fluminis equitatus immiſſus. Ibi ſtrenue re-
ſiſtentibus peditibus Germanis præſertim Hiſpaniſque, in
multas horas extrahitur contentio: quæ ubi ſemel incli-
navit, intolerabilis Gallica vis fuit. Fuſus Victorii exer- *Vincuntur*
citus, parte impedimentorum, atque amplius quinque *Sabaudi.*
millibus ſuorum deperditis, quorum ſupra octingentos
vivi ab hoſtibus capti. Neque hi abiere victoria incruen-
ta: ad tria enim millia in prœlio ceciderunt. Secundum
eam pugnam, Sallutias ſine certamine occupat Catina- *Catinatus*
tus. Deinde in oculis Victorii, qui, collecto celeriter *potitur Sal-*
milite ſubſidio venerat, potitur Seguſio. Eadem æſtate *lutiis &*
& in Hiſpania arces aliquot tentatæ ab Gallis ſunt, quæ- *Seguſio.*
dam etiam expugnatæ: & in Alſatia Delphinus filius re-
gis obſtitit, ne quidquam moverent Bavarorum ac Saxo-
num Duces, qui copiis Cæſaris imperabant. In Belgio
autem Mareſchallus Franciſcus Henricus Montmorancius

1690.

Lucemburgici prœlium cum Hiſpanis & Belgis ad Floriacum.

Dux Lucemburgicus, exercitus Gallorum ductor, cum Belgis atque Hiſpanis ad Floriacum conflixit prœlio ingenti. Septem horas cum ſtetiſſet dubium certamen; ad ultimum, turbatos ordines reſtituere fruſtra conante Principe Vvaldevenſi, fœderatorum imperatore, victor fudit hoſtes, exuitque caſtris, tredecim millibus cæſis captiſve.

Vincit Lucemburgicus.

Mari quoque ſuperior Gallus fuit. Conjunctæ claſſes Britannorum & Belgarum, Toringtono atque Everſeno ducibus, in Gallicam claſſem, quam regebat Turvillius, Britannico mari contra Vectim inſulam, inciderunt.

Prœlio navali ſuperiores Galli ad Vectim inſ.

Belgæ, qui frontem tenebant, primos impetus impavide ſuſtinuerunt. Aſt ceſſantibus Britannis; cum ab Turvillio undique urgerentur, octo celſioris formæ navibus amiſſis, in fugam verſi ſunt. Unum modo Galliæ regi defuit in præſens ad belli felicitatem.

Perdita res Jacobi in Hibernia.

Jacobus rex, cui hoc quoque anno militum pecuniæque multum ſuppeditarat, adverſo prœlio in Hibernia ictus Dublinum profugit cum paucis: ac ne ibi quidem ſatis tutus, protinus inde redire in Galliam eſt coactus.

Fuga ejus. Deditio Dublini.

Fugam regis ſecuta deditio Dublini: jamque, extra Limmericum & Atlonam urbes, Hiberniam omnem ditionis ſuæ Auriacus fecerat. Spem tamen Jacobi reſtituendi in regnum non ideo prorſus abjecit Ludovicus; qui Hibernos præſenti metu coactos jugum accipere, ad conſuetum legitimumque imperium, ubi data occaſio eſſet, ſe averſuros ſatis confideret. Magis illud verebatur, ne per bella, quæ multa ſimul impediebant, non liceret mittere in Hiberniam exercitum novum. Grave maxime Italicum erat.

Galliæ rex pacem optat in Italia.

Curam ejus reconciliandæ commendat Venetis:

Itaque cupidus ejus terminandi, per oratorem ſuum Veneto Senatui commendat curam reconciliandæ cum Victorio pacis. *Cum cæterorum Italiæ Principum intereſſe non turbari ſtatum provinciæ, tum præcipue Venetorum, qui dignitate ibi atque opibus excellerent. Se, ut injuria Victorii ad arma compulſum, ita moram nullam, modo fraus caveretur, paci interpoſiturum. Quas, incerto belli eventu, condiciones illi tulerit, eaſdem victorem victo ferre; ut in ar-*

cem

cem Auguſtæ Taurinorum ac Verucam reciperet præſidium militum Gallorum, vinculum fidei. Revocaturum extemplo ex Italia exercitum; atque ut primum cum Germanis & Hiſpanis pax conveniſſet, arcem redditurum utramque. Ejus rei ſponſores eſſent Pontifex, & Venetus. Sin id placeret minus: non recuſare, quin arces eas cuſtodiret Venetus præſidiis ſuis, donec pax fieret; dummodo Pontifex, ac ſenatus, Magnuſque Dux Hetruriæ fidem obſtringerent, nihil interea moturos in Italia Germanos atque Hiſpanos: ſi autem cum his belli conſilia conſociaret denuo Victorius, tum ut arces ſibi traderentur. Laudavere patres regis ſtudium deponendi belli; gratiam ſimul profeſſi ob expetitam operam ſuam. At quando videbatur haudquaquam facile Victorio perſuadere, fidenti auxiliis quæ exinde majora expectaret ab ſociis: illud duntaxat ſuſceperunt, ut Cæſarem regemque Hiſpaniæ ad pacem enixe hortarentur. Sed concitati magis erant animi, quam ut æquis auribus audiri mentio ejus poſſet. Cæſar in primis non ignarus, quam incommodum ac difficile bellum in Italia accideret Gallis; omnino id alendum ratus, ſub autumni initium duodecim millia militum eodem miſerat. Horum adventu gravari populi ſunt cœpti. Aderat Ferdinandus Obizius, ad Germanorum hyberna diſtribuenda delegatus; qui, quæcunque regio beneficiario jure adſtricta Cæſari eſſet, ibi ternos nummos aureos ad belli uſum in ſingulas familias imperabat. Uno tempore, inſcio Ferdinando Mantuanorum Duce, inducta tria armatorum millia in Montem Ferratum, ubi locum caperent ad hybernandum. Tum poſtulare inſuper ab eo Obizius, *parem numerum militum ut acciperet in agrum Mantuanum: ut legatum ab ſe dimitteret regis Galliæ: utque aperte partibus Cæſaris ſe adjungeret.* Hæc Ferdinando acerba viſa & intoleranda. Itaque Venetias veniens, *quod in bello captos & hoſtes mos eſſet, id in ſe pacatum amicumque ſtatui*, queritur. *Nihil ad ſe attinere præſens bellum: imminui autem jus dignitatemque ſuam, ſi alieno arbitrio ad alterutros cogeretur accedere. Paratum eſſe ar-*

1690.

qui Cæſarē & regem Hiſpaniæ ad concordiam hortantur.

Germani milites graves Italis.

Ducis Mātuani querela Venetiis.

1690. *arcem, portamque unam urbis Mantuæ milite Veneto cuſtodiendas permittere, quo magis appareret, neutra ſe arma ſequi.*

Conſilium a ſenatu petit.

Quid ſibi in tali diſcrimine capiendum foret conſilii, patres monerent. Quidquid ſuaſiſſent ipſi, nihil prætermiſſurum. Interea pro vetere benevolentia prohiberent ne ultra ſibi injuria fieret. Quamvis premi immerentem, ægre ii ferrent: tamen propter bellum cum Turcis ſatis ſuperque ſuſtinentes oneris, ne moleſtias adderent ſibi forte alias, re-

Reſponſum ſenatus.

ſponſum dederunt: *qua poſſent tunc ope adjuturos, cauſa ejus per legatos Cæſari commendata: confidere ſe ſe, pro cætera*

Opera eius utilis Duci.

virtute, conſilium ipſi non defuturum. Et profuit illi ſtudium hoc Senatus. Primo nanque, cum millia ſex militum Hiſpanorum ex improviſo Gazolum occupaſſent, excuſarunt actutum, adito Collegio, oratores regis Hiſpaniæ & Cæſaris: *non cauſa Mantuani Ducis opprimendi factum*, affirmantes, *ſed ut continerent metu, ideo excludentem Germanos terris ſuis, ut, cum eſſet uſus, Gallos admitteret.* Viſus deinde Mediolani magiſtratus agere cum eodem mitius: ac brevi res inter eos compoſita eſt in certas leges, quibus inter alia cavebatur, *ne Dux hoc bello pro parte alterutra ſtaret: atque ut daret fidem ſenatus Venetus, ita futurum:* quanquam Senatui petenti remiſſum poſtmodum de ſponſione eſt. Inter hæc Venetiis, quo minus ſperabant conventuram pacem apud Chriſtianos, eo intentius neceſſaria ad bellum Turcicum parabantur. Providebant enim, levatos hoſtes parte magna periculi ab Cæſare, non defuturos occaſioni repetendi, quæ in Græcia atque in Albania amiſiſſent. Hieronymo Cornelio

Dominicus Mocenicus ſufficitur Cornelio imperatori.

imperatorem ſuffecerant Dominicum Mocenicum, qui legatus ſeptem ante annos fuerat in Illyrico. Juſſus hic maturare profectionem cum ſupplemento navibuſque omnium rerum refertis copia: injuncta autem maxime cura muniendi Aulonem & Caninam, de quarum ſtatu primo quoque tempore perſcriberet ad Senatum. Corcyram ut advenit Mocenicus, claſſe accepta ab Auguſtino Sagredo, qui interea præfuerat; quoniam undique acci-

cide-

Digitized by Google

cidebat fama, inſtrui ſedulo ab Turcis apparatum oppugnandi: imperat Theodoro Corrario & Jo. Matthæo Bembo, qui Auloni & Caninæ præſidebant, ut opportuna tolerandæ obſidioni contraherent celeriter intra muros. Tum Fabio Lanojæ tribuno dat negotium, ut uſus opera machinatoris Baſſignani Caninam, cui propter infirmitatem murorum præcipue timebatur, curaret vallandam. At præverterunt Turcæ. Numero nequaquam parvo, duce Caplano Baſſa, acceſſerant ad amnem Celidnum: & commeatibus intercipiendis fecerunt illico annonam anguſtiorem; ut multi eorum, qui Caninam cuſtodiebant, dilaberentur. Haud ita multos poſt dies Alilus, imperator copiarum in Albania, cum quinque millibus militum venit Neocaſtrum; abeſt locus Aulone duum dierum iter. Præceperat Viſſirius, ut vel media hyeme oppugnare aggrederetur. Ac exiguo conatu expugnandi fiduciam adjiciebant transfugæ, *invalidum intus præſidium, ac vixdum inchoata munitionum opera eſſe*, nunciantes: *partem quoque copiarum tranſmiſiſſe in Peloponneſum: nec metuendum quidquam a mari, ut in cura claſſis reficiendæ, & navibus pleriſque ſubductis*. His magis incitatus, ſimul advenit Suleimannus Baſſa, dudum profectus Scodra cum cohortibus tredecim & muralibus tormentis, procedit ad Celidnum. Jam Carolus Piſanus, qui non procul Aulone triremes quatuor in ſtatione habebat, quid pararent Turcæ, certiorem fecerat Mocenicum. Non aberat ſpes, aliquid modo temporis daretur ad muniendum, defendi Aulonem poſſe. De Canina, in diſcrimine ſubito, prope inops erat conſilii. Neque ſatis audebat injuſſu Senatus præſidium devocare; &, niſi ocyus devocaſſet, haud dubiam fore perniciem ejus cernebat. Ubi enim tranſitus anguſtos vicinorum montium inſediſſet hoſtis; & effugium quodvis intercludi obſeſſis, & ſe aditum non inventurum ad ferendum auxilium. Incertus aliquandiu ſententiæ maluit ad extremum, non expectata voluntate Senatus, ſervare præſidium vel periculo ſuo;

1690. Mocenicus munire inſtituit Aulonem & Caninam.

Præveniunt Turcæ.

Mocenicus conſilii incertus.

Digitized by Google

1690. ſuo; quam tutus auctoritate ejus, certæ cædi objicere. Aſſentiebant in concilio omnes: præſertim quod verebantur ne brevi expugnata Canina acciret Turcas ad Aulonem, antequam permuniretur, tentandam. Mandatum igitur Carolo Piſano, ut arcem ſubrueret: centuriæ datæ aliquot Illyriorum, quibus uteretur ad agendos cuniculos. Atque ita, ut imperatum fuerat, ab Piſano factum eſt; turbare fruſtra conante Caplano, quem modica adventantem manu, obviam progreſſus Lanoja in fugam conjecit. Quare deducitur inde ſine tumultu præſidium, inſtrumentumque avehitur bellicum univerſum: continuo, admoto cuniculis igne, diruta arx atque incenſa. Liber ea ſolicitudine imperator, ad Aulonem intendit animum. At propius aberat vis, quam ut ſpatium firmandæ juſtis operibus eſſet. Afferebant exploratores, plus octodecim millia armatorum Celidnum jam jam trajectura; deliberatumque eſſe ducibus ire confeſtim ad oppugnandam urbem. Tum vero ſcriptis ad Senatum literis aperit primum, quæ impuliſſent cauſæ, ut Caninam ſolo æquaret: deinde quanto in diſcrimine Aulon verſetur, edocet: *diffidere ſe ſe, oppidum in plano poſitum, minus validum munimentis, cui fere undique circum immineant colles oppugnantibus opportuni, retineri poſſe. Nec ſibi fore facile, cum facto opus eſſet, ventis procelloſis per hyemem plerumque mari illo ſævientibus, claſſem admovere; & pronum Turcis ab omni parte circumfundi, ſimulque aditum ſubſidiis terra precludere, ſimul tormentis conſtitutis inter mœnia ac mare, naves adventantes prohibere littorum appulſu. Ut autem incluſi reſiſtendo ſupra vires, in longum tempus oppugnationem producerent; haudquaquam tamen id ſibi eſſe copiarum, ut & in Albania gereret bellum, & objiceret exercitum irrupturis in Peloponneſum hoſtibus; qui timor valde tunc anxium ſe haberet. Quid in tam arduis rebus fieri vellent, patres indicarent.*

Caninam evertit per Carolum Piſanum.

Literæ Mocenici ad ſenatum de Aulone.

1691. Recitatis in Senatu literis; cum cenſerent Sexviri, *reſcribendum Mocenico, ut, adhibitis ducibus in conſilium, quod expedire videretur, ſtatueret*: adverſari Franciſcus Foſcarus:

VIvirum ſententia.

Contradicit

nihil

nihil minus committendum, quam ut poteſtas fieret cedendi urbe ſita in ipſis faucibus Adriatici ſinus, quæ piratis mare id omne infeſtantibus receptaculum jam diu fuiſſet. Ea retenta, non ſolum loci opportunitatem adimi Turcis, qui illinc ſæpe exercitus in Italiam tranſportaſſent; ſed etiam ſpem eſſe Venetis minime vanam, Albaniam recuperari univerſam poſſe. Qui populi Chimaram & Ceraunios montes incolunt, oſtendiſſe indiciis haud levibus, Venetum ſe imperium Turcico præoptare. Si qua vero parte parum tuta urbs munimento ſit, quin diligenter munirent? Sylvas cædendis arboribus ſuppeditare in propinquo, terramque circa idoneam ad aggeres extruendos. Claſſi quoque, qua tutaretur, commodam oram eſſe. Et ſuper vim quercuum, neceſſaria quævis navibus ſarciendis, ædificandis etiam, ac vel nigri bituminis copiam benigne regionem præbere; ut propterea Aulon antiqua haud procul poſita ab ea, qua nunc eſt, Navale diceretur. Magnopere vereri ſe, ſi tanti momenti oppido ultro deceſſiſſent, ne viderentur feciſſe non tam neceſſitate compulſi, quam quod animus ad retinendum defuerit. Adverſus hæc Michael Foſcarenus VIvir, eadem aut ſimilia iis, quæ ſcripſerat imperator, exequendo; oſtendendoque, *neque poſſe defendi urbem immunitam, neque, appropperantibus oppugnationem hoſtibus, munienda facultatem eſſe*, tenuit ut pars major patrum in Sexvirum ſententiam irent. At reſponſum Senatus antevenire coactus Mocenicus. Etenim ubi Turcicum exercitum, trajecto Celidno, appropinquare, trepidi ab Piſano nuncii afferebant: in ejuſmodi anguſtiis utique cavendum ratus ne veniret urbs incolumis in hoſtium poteſtatem; Piſano ipſi imperat, ut actis quam celerrime cuniculis deductoque præſidio, ſubverteret. Metuens tamen ut ſatis ad id eſſet ſpatii, mittit eodem cum expedita manu Spar legatum, qui, ſi præcurrant barbari, impetum moretur. Prorſus ita accidit. Jam ſubeuntes vicum, ex parte ab Venetis incenſum, occuparant: & expectatione citius aggeribus objectis, adorti ſunt tormentis oppugnare. Tum Piſanus & Spar, cogitatione ſubruendi in præſens

1691.

Franciſcus Foſcarus.

Permittitur arbitrium Mocenico.

Turca ſuccedunt ad Aulonem.

1691. ſens omiſſa; primo, quantum poterant pro tempore, infirmiſſima mœnium ſepientes opere tumultuario, vim

Oppugnatio Aulonis.

ſuſtinebant. Deinde millibus duobus peditum acceptis, quos triremibus duodecim advexerat imperator, tentare eruptionem conſtituunt. Dum ea inſtruitur, Jo. Matthæus Bembus & Spar infortunio miſerabili perierunt. Illi diſſiliens tormentum crus utrumque fregit; hic ferrea glande, ab ſuis imperite emiſſa, ictus in capite eſt, ut ambo protinus expirarent. Attamen nihil propterea de ardore remittentes, ad mille & quingentos magno

Eruptio obſeſſorum.

impetu erupere. Opera alia hoſtium disjecta, incenſa alia; admodum multis interfectis: quanquam ea re opinione minus eſt profectum. Nam non modo quæ corrupta fuerant, e veſtigio illi refecerunt, ſed etiam inſtituerunt nova; ut atrocior in dies oppugnatio eſſet. Auſus Venetus ſecundo erumpere. Poſtquam nulla parte depellere ſtatione Turcam poterat: redit Mocenicus ad priſtinum propoſitum, antequam via patefieret ad invadendum, demoliendæ urbis. Etſi erat haudquaquam fa-

Evertitur Aulon.

cile cura ſimul diſtentis arcendi oppugnantes; perfecit Piſanus tamen. Perfoſſis cuniculis, tormenta & militare inſtrumentum aliud, capto ſolerter tempore, exportat: omninoque priuſquam ſentirent Turcæ, ſilentio noctis, quæ præceſſit diem a. d. III. Id. Mart. abducit præſidium, imponitque in naves. Et illico, qui juſſi fuerant, ignem ſubjiciunt cuniculis; ut, muris disjectis, ſtratiſque ædificiis, oppidum pene totum momento abſumeretur. Ita utilitate quam minima hoſtium ceſſit Venetus Aulone. Nec res improbata patribus, pleriſque tanquam opportunum conſilium laudantibus; verentibus cæteris nequicquam reprehendere, quod factum mutari non poſ-

Mocenicus trajicit in Peloponneſum.

ſet. Tranſmittit inde claſſis in Peloponneſum. Ibi imperator præcipua oppida arceſque ſedulo inviſit: ut autem quodque minus tutum videbatur, ita milite armiſque & munimento firmat: nonnulla ſimul ſalutariter conſtituit, ut recte adminiſtraretur pecunia publica, at-

que

que ut populi juſto ac moderato imperio regerentur. 1691. Inter hæc octo ſociorum Melitenſium triremes, quibus portabantur pedites mille & octoginta Ordinis ejus equites, Naupliam pervenerant. Triremibus Romanis claſſis hoc anno non eſt adjuta. Deceſſerat Kal. Febr. Pontifex Alexander; fruſtraque dederat operam Dominicus Contarenus, orator Venetus Romæ, ut eas per interregnum impetraret ab Cardinalibus: qui collecti in comitiis, quinto tantum poſt menſe ſucceſſorem crearunt. Fuit is Antonius Pignatellus, Archiepiſcopus Neapolitanus, illuſtri ibidem genere, exiſtimatione magna virtutis, functus antea legationibus ad Hetruſcos, ad Polonos, ad Cæſarem, Innocentius XII. appellatus. Habito ab imperatore concilio militari; huc inclinarunt ſententiæ, ut claſſe univerſa trajicientes Helleſpontum experirentur ſi poſſent navali prœlio cum Turcis decernere. Illuc profecti ventis ſecundis, ſpe celerius fauces tenuerunt. Ad Abydum triremes eorum ſtabant plus triginta, & naves complures celſioris formæ. Itaque explicata protinus acie, copiam pugnandi facit Mocenicus. Ubi egrediebatur nemo contra; ipſe autem ſine magno periculo ſubire nequibat ad cogendum, quod claſſem adverſam arx tutabatur: dies poſt paucos, relicto incœpto, revertitur in Peloponneſum. Fuit opportunus reditus ad provinciam metu liberandam. Audita profectione claſſis Venetæ, ad Megaram contraxerat undique militem imperator Turcarum, occaſionem eſſe arbitratus Peloponneſi intrandæ. Miſerat inde millia aliquot, equitem maxime ſub expertis ducibus, qui pertentarent Iſthmi anguſtias. Haud procul Corinthi mœnibus Antonius Zenus legatus habebat caſtra. Hic, ut e montium ſpeculis conſpecti hoſtes, occurrere juſſerat primo Medinum tribunum cum equitum ala, mox cum equitibus aliis tribunum Pechium: ipſe poſtremo copiis cæteris eodem contendebat. Subſtitere Turcæ, ubi in ſe ultro venientes viderunt, ut ſe compararent ad dimicationem.

Mortuo Alex. Pontifici

ſuccedit Innocentius XII.

Claſſis Veneta ad Helleſpontum.

Redit in Peloponneſum.

Turcæ tentant Iſthmi clauſtra.

1691. nem. Verum nunciis uno fere tempore allatis, jam Cenchræas Venetam claſſem appuliſſe: diffiſi viribus, retro converſis ſignis, Megaram rediere.

Megaram ſerecipiunt.

Circa dies hoſce ad Saſonem inſulam navis amittitur onuſta commeatibus.

Navis Bartholomæi Mauri circumventa ab Afris.

Ducebat Bartholomæus Maurus: qui ab octo piratarum Afrorum navibus ſubito circumventus, multas horas ſtrenue cum reſtitiſſet; quando prope aderat ut hoſtes in navem ſuam tranſilirent; quæ una relinquebatur effugii via, Chimæræ littoribus illiſam navem incendit: unde naufragi more modoque egenus & inops, per devia atque abrupta, ad Buthroto proxima, illinc Corcyram pervenit.

Incenditur a Venetis.

Navis Bartholomæi Contareni diſcrimen ex proditione.

Mari eodem paulo poſt prætoria navis diſcrimen ingens ex inteſtino ſcelere præter ſpem evaſit. Galli quidam milites cum ducibus manipularibus ſuis de præfecto Bartholomæo Contareno tollendo, ac navi tradenda Turcis conjurarant. Ab tempeſtate ſæva ſeceſſerat is atque una centuriones duo in conclave, ut reficerent vires: cum rati illi tempus eſſe perpetrandi facinoris, effractis foribus, irruperunt; occiſiſque centurionibus, non longe abfuit, quin multis vulneribus præfectum etiam conficerent.

Vulneratur Contarenus.

Cruore oppletus cum per feneſtram in ſuperiorem partem navis ægre aſcendiſſet; confeſtim armis arreptis navarchus, nautæque Britanni, ac milites fidi alii conſurgunt in auxilium: atque proditores adorti, labore non magno uſque ad proram compellunt. Obſtinatum ibi certamen tenuit: nam & conferti facile obnitebantur, & animos dabat conſcientia ipſa, quantam culpam ea perfidia commeruiſſent. Tandem, deficientibus jam telis, pars ab deſperatione dedere ſe præcipites in mare; cæteri in ſcapham deſiluerunt. Horum aliquot, inde quoque repugnantes, interfecti: venere reliqui vivi in poteſtatem; qui mactati poſtmodum ſupplicio ſunt.

Navis ſervatur.

Suleimannus rex obit.

Interea Suleimannus rex Turcarum afflictatus diutino morbo perierat Hadrianopoli. Haud difficulter obtinuerat princeps Viſſiriorum Cuperlius cum ob inveteratam prudentiæ famam, tum ob recentem

belli gloriam auctoritate pollens admodum, ut rex ſalutaretur Achomates, tertius Suleimanni frater. 1691.

Achomates ſufficitur.

In hoc vix ullum erat ingenium ad curas imperii: itaque ſub rege bardo & excorde cuncta ipſe arbitratu moderabatur ſuo. Nihil reſederat ferocia ab re bene ad Taurunum geſta. Eo Budam dudum cogitabat; qua capta, confideret Pannoniam ſe univerſam recuperaturum. Spem auxerant poſtremo ſecundæ res Galliæ regis; qui hyemis exitu, dum Auriacus, Germanique, atque Hiſpani Hagæ Comitum tempus conſultando terunt, ingenti exercitu prævalidam Hannoniæ urbem Montes aggreſſus, quindecim intra dies ſubegerat ad deditionem: quibus iiſdem diebus Catinatus, appulſa Italiæ littoribus claſſe, Villam Francam primo, deinde Nicæam in Liguriæ finibus ceperat.

Galli potiuntur Montibus per deditionem.

Catinatus capit Villã Francam & Nicæã.

Propterea etiam Viſſirius arbitratus, non ſatis liberum fore hoſti ſupplere, quem in Pannonia habebat exercitum; avertere magis ab eo bello, ſtudium pacis uſque ſimulando, conabatur. Non decepit tamen. Nam Cæſar, qui optime noſſet, tum demum Turcas de pace vere acturos, cum ipſe ſe iis robore virium metuendum præbuiſſet; huc incubuerat primum, ut quamplurimum poſſet copiarum mitteret in Pannoniam. Quocirca millia armatorum ſexaginta decreverat Badenſi, quibus bellum hoc anno gereret.

Cæſar pacẽ tentat cum Turcis;

Ut autem pecuniam providit aliaque neceſſaria; viſum ſpem pacis tentare. Nihil tranſigi poterat per legatos ab Suleimanno miſſos; ut qui poſt colloquia fruſtra habita, excidiſſe ſe facultate paciſcendi cauſarentur; expectandoſque, dicerent, ab novo rege Achomate legatos alios. Verum veniens opportune Viennam Gulielmus Huſſeyus, legatus Britannus ad Turcas, tradidit illi literas Auriaci: in quibus adhortatio erat, *finem imponeret Turcico bello*: pollicitatio quoque operæ, *ſi ſe pacificatore uti vellet: ubi id in animum induceret*, copiam faciebat *adhibendi legatum eundem Huſſeyum, qui ab ſe mandata ad hoc accepiſſet*.

ad quam Auriacus hortatur.

Dubitavit nihilominus parumper Cæſar, quid ſtatueret. Videbat,

1691. bat, utilius fore, per ſuos Viennæ, quam per externos Conſtantinopoli de pace diſceptari: nec ſatis ſciebat, probaturi nec ne Poloni, & Veneti eſſent, qui nondum Auriacum pro rege Britanniæ habuiſſent. Attamen ſtimulante cupiditate belli ejus terminandi, ut vim omnem

Cæſar exquirit ſententiam Venetorum & Polonorum.

verteret in Gallos: Poloniæ regis, & Senatus Veneti voluntatem exquirit. Ac Senatus quidem, etſi non temere ſuſpicabatur, cauſam ſuam haud multum cordi futuram Auriaco; perſtans in propoſito, ab Cæſare non abſcedere, rem permittit arbitrio ejus: jubetque Hieronymum

Reſpondet Senatus:

Venerium affirmare coram, *ut eo ſocio bellum adverſus Turcas ſuſcepiſſet, ita pacem, quo ipſe tempore & per quos fieri mallet, non recuſare*. Pergratum Cæſari fuit; præſertim poſtquam ſententiam etiam de condicionibus, in quas pacem optarent, patres oſtenderunt per eundem Venerium.

quas optet condiciones, aperit.

Erant autem condiciones, *ut Peloponneſum univerſam retinerent: ut in Achaja atque in Epiro agri modus aquus ad Iſthmum Corinthium, & Naupactum, arceſque alias inter Naupactum ac Nicopolin tribueretur ab Turcis: Illyricum cis montes Boſnæ, Tedanium inter & Barbanam flumina, Venetæ ditionis uti eſſet: quæ alias pepigiſſent, præſertim de piratis, ea ut rata in poſterum firmaque forent: pro inſula Zacyntho ne quod tributum in poſterum penderetur Turcis; neve iis jus eſſet non penſum per bellum exigere*.

Sententia Polonorum.

Poloni quoque aſſentiebantur: cenſebant tamen, Huſſeyo ad hoc maxime utendum, ut ab Turcis quamprimum facultas paciſcendi de integro fieret Effendo & Maurocordato, aut in illorum locum alii in id ipſum deſtinarentur.

Aſſumpti conciliatores Britanni & Belgæ.

Facile perſuaſum Cæſari. Itaque reconciliatore pacis accepto Auriaco; datur Huſſeyo negotium, ubi Conſtantinopolin veniſſet, anniteretur, ut Viſſirium in ſententiam eandem perduceret. Ad rem adjuvandam accita etiam opera eſt legati Belgarum apud Turcas. Ut autem Huſſeyus ordine omnia cognoſceret, ſi præterea viam præſtruere aliquam poſſet ad pacta componenda: condiciones perſcriptæ ei traduntur, tum quas ſuperiore anno attule-

rant

rant Effendus & Maurocordatus, tum quæ contra ab Cæſare & Polonis ferebantur. Quantum ad Cæſarem; de Tranſylvania cum primis ambigebatur, quam is vindicabat ſibi, cum illi contenderent in ſtatum priſtinum reſtituendam. De Tauruno, quod armis interea recuperarant, nulla amplius erat controverſia. Nec diſcrepabat, quin, quod ultro obtulerant Turcæ, *finis utriuſque imperii Iſter & Savus flumina eſſent, terrarumque tractus inter Savi oſtium, ac Portam Ferream. Valachiam, & Moldaviam eodem jure eſſe, quo fuiſſent ante bellum*, non diſplicebat. *Fluvio Vana terminabatur Croatiæ provincia: confirmatiſque ſingulis, quæ temporibus aliis pacis cauſa ſtatuiſſent, triginta annorum induciæ ſanciebantur*. Diſerte additum, *pacem nunquam ſecum conventuram, ni ſimul cum fœderatis, Moſchis etiam, conveniret*. Eques Proskus Poloniæ regis legatus hæc poſcebat: *redderent Turcæ Podoliam, Ucraniam, Cameneciam urbem & agrum ejus; Valachia quoque cederent ac Moldavia, quæ jam Polonis penderent tributum; regionibus item, quas Budziacenſes Tartari Arpiique incolerent: finis Poloniæ Iſter uti eſſet: tum ne Turcæ paterentur, Tartaros Præcopenſes Poloniam incurſare; nen ad defectionem ſolicitarent Coſaccorum gentem: deducerent præſidia ex caſtellis, quæ in ripa Boryſthenis ædificaſſent; caſtellaque ipſa diruerent: impenſam, quæ facta eſſet in bellum, præſtarent: pacem tum demum ratam fore, ſi cum Moſchis pariter in amicitiam rediiſſent*. Quæ autem Veneti æquum cenſebant ſe habere, jam ab Venerio ſignificata Cæſari; ea ſcripta tradi non viſum Senatui, qui pro ſtatu rerum putaret, nihil tunc agi: ergo recitata duntaxat Huſſeyo ſunt. Is continuo magnis itineribus Conſtantinopolin contendit: ireque ſimul placuit Aloyſium Ferdinandum Marſilium, cumulata laude ducem, rerum Turcicarum notitia præſtantem, quaſi unum inter familiares ejus. Cum Viſſirio collocutus, prope ſtatim Marſilium remittit Viennam cum literis: *nolle Turcas Viennam decernere novos legatos; nolle itidem iis, qui tunc Comariæ detinerentur, poteſtatem conferre: ſtare ſententiam, non aliter audi-*

1691.

Condiciones Polonis Cæſar.

Poloniæ rex.

Huſſeyus, & Marſilius Conſtantinopolin eunt.

Marſilius Viennā redit cum reſponſo Viſſirii.

1691. *audire de pace ; quam ſi aut Viennæ legati Conſtantinopolim venirent, aut ſibi præſenti demandaretur diſceptatio*. Quando nihil horum ſatis probabatur, reſcriptum eſt: *ſi Viſſirius non mutaret propoſitum, tum denique curaret ipſe efficere, ut, cum exercitus ad fines acceſſiſſent, deſtinati ibi adeſſent ad agendum de pace cum legatis fœderatorum ea conventuris*. Credibile erat, non recuſaturos Turcas. Protinus itaque fœderati ſinguli deligunt e ſuis, quibus ſummam tranſigendi cum illis facultatem permittant, Venerium Senatus Venetus; Siradiæ præſidem rex Poloniæ: Cæſar autem mandat Badenſi, *impendat apud Viſſirium diligentem operam, ut concilium legatorum habeatur Viennæ: ſin ille utique abnuat, rem in caſtris conficiat: modo Tranſylvania retineatur, finiaturque ſimul cum Polonis & Venetis bellum, nihil cætera pacem morentur*. Profectus Badenſis ad exercitum, manſit tantiſper ad Petro-Varadinum, dum oppidum communiret, quo acciperentur tuto auxilia, quæ Vienna poſtea Iſtro adveherentur; & unde flumen ipſe, cum opus eſſet, trajiceret. Inde præter ripam procedit ultra Acumincum. Sub idem tempus Taurunum venerat Viſſirius. Hoſtem, ut putabat, neque parem viribus, &, ut in pacis ſpe, negligentius agentem, propediem aggredi ſtatuerat. Ut faceret incautiorem, velut futura mox pace, mittit unum ex Sciauſiis, qui adventum prolixe gratularetur: interim longe ab Tauruno Savum tranſducit militem. Ubi majorem opinione exercitum eſſe nunciabatur, paratumque ad dimicandum appropinquare: aleam certaminis repente timens, proxime Iſtrum & Savum regione conſedit ad muniendum opportuna, caſtriſque vallum circumdedit. Ac pugnam valde iniquam ſibi fore intelligens Badenſis, ſi intra ſepta adoriretur; retro ad Acumincum convertit agmen. Sed is ipſe receptus occaſionem deinde præbuit ſummi diſcriminis maturandi. Metu nanque ceſſum interpretanti Viſſirio fiducia rurſus exoritur; ut, eductis extemplo copiis, abeuntem inſequeretur. Et extremos adeptus, circiter nongentos cecidit, carroſque commea-

Reſcribit Cæſar.

Fœderati legatos deſtinant de pace.

Badenſis ad Acumincũ.

Viſſirius Taurunum venit;

caſtra ponit inter Iſtrũ & Savum.

Captant invicem.

commeatibus onuſtos cepit ad ducentos & quinquaginta. Tum brevi circuitu, quantum extendere iter poterat, prægreſſus, haud procul Acuminco, loco alto ſtatuit ſigna; ſeque ibi ſepiebat aggere. Senſit Badenſis, huc ſpectare eum, ut ſe ab Petro-Varadino intercluderet. Quare non dandum ſpatium permuniendi ratus, eo propere contendit: partemque peditatus atque equitum alariorum per nondum inter ſe commiſſa opera immittit. Primo ingentem in caſtris trepidationem Germani fecerant. Receptis inde animis, non modo vim ſuſtinebant Turcæ; ſed etiam ſemel atque iterum ſtipatis ordinibus ultro invecti, poſtremo uſque ad interiora aciei pervenerunt. Jamque, pervadente paſſim tumultu, inclinabat ad iniqua res. Quod ut Badenſis vidit; expeditam cohortem rapiens ſecum ex ſubſidiis, diſtricto enſe, ad prima provolat ſigna. Ibi hortari milites & increpare; petere ipſe ſumma vi hoſtem: donec illi pudore accenſi, impetu redintegrato, adverſam aciem pepulere. Tunc cedentibus inſtando, agmine continenti penetrant in caſtra: ubi tantus puncto temporis pavor exercitum cepit univerſum, ut, fruſtra minis precibuſque revocante Viſſirio, abjicerent arma diffugerentque. Fœda cædes edita, ſuis ipſos munitionibus & ſtrage hominum atque armorum impedientibus. Supra decem millia occiſi, haud paulo plures ſauciati. Viſſirius, dum fugam inter confertos molitur, multis vulneribus confoſſus interiit: quæ jactura una cæteram ejus diei cladem æquare viſa eſt Turcis, haudquaquam ignaris, quantum ſibi ad omnia ſpei, Cuperlio amiſſo, deceſſiſſet. Præfectus quoque Janiſſarorum tribunique & centuriones plurimi ceciderunt. Germanorum cæſa ad quatuor millia: inter quos legati duceſque inſignes nonnulli; vulnerati ferme totidem. Noctem, quæ prœlium ſecuta eſt, in caſtris captis egit Badenſis: ubi magna vis armorum fuit, ac quinquaginta tormenta ænea majora. Turcæ vero fuga diſſipati, ſine ullius ductu, Taurunum denique cum

1691.

Prœlium conſeritur ad Acuminc um.

Vincuntur Turcæ:

exuuntur caſtris.

Viſſirius interficitur;

& præfectus Janiſſarorum.

Taurunum

1691. *Profugiunt Turcæ.* cum conveniſſent, ſuffragiis militaribus Calilo Baſſæ ſummam deferunt imperii; cuncta ad defenſionem raptim comparantes, velut ſi ſubiturus illico hoſtis ad oppugnandum eſſet. Ut erat tempus anni, rem tantam aggredi non viſum Badenſi. Paucorum dierum quiete ad *Dux de-Croy in Slavonia, recipit oppida plura.* Petro-Varadinum data militi; Ducem de-Croy cum parte exercitus in ſuperiora Slavoniæ mittit: a quo receptæ Gratiana, & Poſega primum, deinde Brodt, tum caſtella permulta in Boſnæ finibus; unde Turcæ poſt Taurunum expugnatum præſidia expulerant Germanorum: *Badenſis Lippam capit: & Varadinum urbem.* ipſe tranſito Iſtro, perque Veterannum legatum Lippa occupata, Varadinum, oppidum Superioris Pannoniæ nobile ante alia, ad Tranſylvaniæ fines, ſuper Cryſium amnem, ducit. Dierum complurium oppugnatione potitus urbe, arcem natura & arte permunitam, quia ante hyemem vi non poterat, fame cogere ad deditionem ſtatuit; diſtributo per pagos villaſque regionis ejus exercitu, & obſidione delegata in curam Principis Auſpergii. Cum copias Iſtrum tranſduceret, reverſus Conſtan- *Spes fit pacis.* tinopoli Marſilius hæc attulerat ab Turcis: *finirent Germani locum circa Taurunum, ubi conventus haberetur legatorum; Viſſirium propediem ibidem futurum.* Is erat Halius Baſſa, legatus regis, provecta ætate, exigua induſtria & peritia rerum; qui hoc etiam minoris fieret inter ſuos, quod ſuccederet Cuperlio. Confeſtim ab rege Poloniæ mittitur Siradiæ præſes ad Badenſis exercitum, Varadinum tunc oppugnantem. Senatus autem Venerium jubet ſe ad profectionem inſtruere, dum ſucceſſor in legatione ad Cæſarem Alexander Zenus adveniret: imperatque Joanni Capellio a ſecretis, quem ad id petere pridem placuerat Viennam, ut cum interprete Carli præcedat interim. Multos dies Viſſirium fruſtra expectaverunt. Et Huſſeyo Conſtantinopoli ſub hæc mortuo, ſuſpicari cœperant, mutatam Turcarum voluntatem. Nihilominus Senatus, ne videretur unus fœderatorum cunctari, Zeno ire maturante ante tempus, Venerio præcipit,

pit, occurrat quamprimum Badenſi, ſequaturque quo 1691. conventus indiceretur. In mandatis dabatur hoc etiam, *ut ante diſceſſum Cæſari patefaceret, quæ is ſumma fide ſe-* *Mandata ſenatus ad Venerium.* *cum haberet: plura quidem poſtulaturum Venetum in concilio: cæterum, ſi quæ bello ceperit, retinere jus ſit, arceſque ad fines Turcarum terminentur regionibus æquis; moram paci non facturum*. Certare officio Cæſar; profiterique additurum *Pollicitatio Cæſaris.* nominatim condicionibus, *fœdus contra Turcas, quod ſibi cum Venetis tunc eſſet, perpetuum fore*. Vienna jam moverat Venerius; cum reditu Badenſis a Varadino cognitum eſt, *longe ab ea mente abeſſe novum Viſſirium, ut Tan-* *Sed Turcæ ſpem eludunt.* *runum veniret: objeciſſe fallacem ſpeciem finiendi colloquio belli, æſtatis reliquum ut extraheret: nunc inſtantibus animos hoſtibus Cæſaris, maxima vi bellum parare*. Ergo pacis cogitatione in præſens depoſita, revocantur ab Poloniæ rege & Senatu Veneto legati: nec multo poſt Effendus quoque & Maurocordatus domum dimittuntur. Moſchi hoc etiam anno, ut & ſequentibus aliquot, velut ſi in pace fuiſſent, nulla re graves Turcis fuerunt. A Polonis quoque vix quidquam actum, quod valde interſit *Poloni expectationẽ deſtituunt.* memorare. Atqui tum potiſſimum ſpes fuerat, magno conatu geſturos bellum. Tenuerat enim tandem rex, ut, quod jamdudum cupiebat, Jacobo filio ſuo daretur in matrimonium Eliſabeth Neuburgenſis, ſoror uxoris Cæſaris; pactus grandem pecuniam pro terris in Sileſia, quas hic nomine hypothecæ ſponſo traderet, ut connubii dignitatem æquaret ſplendore fortunæ. Quare principio æſtatis rejecerat condiciones pacis, quas rex Tartarorum Præcopenſium, initis ante cum rege Turcarum conſiliis, legatoque Varſoviam deſtinato, obtulerat valde utiles, ſi abjungeret ſe ab Cæſare, & Venetis. Tum, quando paratum ſe Cæſar oſtendebat decernere in Vala- *Pacta inter Cæſarem & Polonum.* chiam tria millia equitum, peditumque millia duo ad juvandos Polonos; ſpoponderat ipſe invicem, ſex millia ſuorum præſto fore Germanis in Tranſylvania. Quo autem expeditius cuncta adminiſtrarentur, privatæ pecu-

1691. niæ contulerat multum. Verum, non ſatis comperto qua cauſa, cunctantibus nihilominus præfectis imperata facere,

Tartari Poloniam incurſant.

Tartaris interea confines Polonorum terras, villaſque præſertim regis ferro atque igni impune vaſtantibus; extremo ſolum æſtatis ad bellum eſt profectus: perque duces coſdem Polonos factum, ne promiſſum in Tranſylvaniam militem daret. Tyra flumine pontibus trajecto, in Moldaviam inducit exercitum; ubi intercurſantes

Pelluntur a Polonis.

Tartaros repulit prœliis aliquot ſecundis. Continuo Hieraſum amnem tranſgreſſus vado, Chelmenſi præſide cum copiis Coſaccorum miſſo ad tentandam Sorokam arcem; ipſe oppidum permunitum, Niemetium, viginti circiter millia paſſuum ab Socidava, oppugnare adoritur.

Chelmi præſes ſuperat Tartaros, & Soroka potitur:

Et ille congreſſus acie cum Tartaris, qui concurrerant ad ferendam ſociis opem, biduum continuata pugna, gravi demum eos cæde ſuperat; arceque paucos intra dies potitur per deditionem. Rex item, circumfuſo

Rex Niemetio,

undique terrore aggreſſus oppidum, brevi ſubegit incluſos ad ſe ſuaque poteſtati ejus permittenda. Alia ſuſcepturum impediit tempeſtas; frigido ibi jam cœlo, terriſque nive oppletis. Quocirca ſubſtitit primum Socidavæ: mox revertit in Poloniam. Ne autem mora legati Tartarorum ſuſpicionem forte aliquam afferret fœderatis, excedere jubet finibus regni. Cæterum præterquam angebat, quod tanto minora expectatione hominum eo anno

Querimonia inter regem & Cæſarem.

geſſiſſet; extitere quoque inter ipſum & Cæſarem querimoniæ propter non lata, ut convenerat, invicem auxilia. Defendebat rex, per ſe neutiquam ſtetiſſe, quominus Poloni adeſſent Germanis in Tranſylvania: incuſabat autem Cæſarem, qui nihil militum miſiſſet in Valachiam. Contra Cæſar cauſam deſtituti ab rege promiſſi conferebat in Bethunienſem, Galliæ regis legatum, quem argueret multa clam palam miſcere, ne quid eveniret e ſententia adverſus Turcas; poſtulabatque, extemplo ab ſe amoveret: quod regi conſcio ſibi fidei ſuæ videbatur perindignum. Quamobrem remiſſæ utrinque

volun-

voluntates & ſtudia ſunt. Hæc fortuna armorum cum 1691. eſſet contra Turcas, varie gerebatur in Italia bellum.

Galli in Italia arces aliquot occupant.

Galli, poſt occupatas, ut ante dictum eſt, Nicæam & Villam Francam, Aviliana, Rivolio, ac Carmaniola parvo captis certamine, perpopulatiſque late agris, ad Cuneum admoverant copias. Sed impigre propugnantes qui intus erant, auxiliumque aliud intromiſſum, expectatum aliud, nam quatuor millia equitum duce Eugenio Principe Sabaudiæ appropinquabant, abſiſtere incœpto coegerunt; relicta in operibus ægrorum parte atque impedimentorum.

Fruſtra Cuneum oppugnant.

Conatus inde modis omnibus Catinatus ad dimicationem Victorium pertrahere; pugna etiam per nuncium indicta. Detrectavit hic, numero tunc militum inferior. At advenientibus poſt aliquanto ab Cæſare novem ferme Germanorum millibus, & quinque millibus Bavarorum, quos Elector ipſe regebat; cum contuliſſent in unum copias Hiſpani, Germanique, & Sabaudi, jam parte virium nulla par Gallus, in proxima Alpium juga recipit ſe ſe.

Victorius & ſocii Carmaniolam recipiunt, Avilianam & Rivolium.

Tum illi Carmaniolam magno adorti impetu, novem intra dies præſidium ad deditionem ſubigunt. Poſtea nulla contentione recipiunt Avilianam. Rivolium quoque, vixdum inchoata oppugnatione, deditur. Ne majora tentarent, obſtitere diſſidia exorta inter duces, annique tempus, quippe autumno appetente. Quare Duce Bavariæ profecto cum ſuis in Belgium, quam ei provinciam ſummo cum imperio deſtinarat rex Hiſpaniæ; in hyberna exercitum regionatim diſtribuunt. Onus impoſitum ingens Principibus multis; quibuſcum ab Antonio Caraffa, in id delegato,

Hyberna Germanorũ gravia Italis.

ita ageretur, ut, ni illico paruiſſent, appareret vi compulſos mox facturos. Quatuor millia excepit Dux Mutinenſis, pedites equiteſque permixtos: ferme duplo plures Mantuanus: quatuor millia equitum Parmenſis propter terras, quas fiduciario jure ab Cæſare obtinebat. M. autem Dux Hetruriæ, Genuenſium, & Lucenſium Civitates, ut vacarent moleſtia ea, pecuniam perſolverunt.

Catinatus Montmelianum capit.

1691. runt. Dum hybernant hoſtes, Catinatus interea, collectis ſubito copiis, acceſſit ad Montmelianum. Menſes aliquot fruſtra obſidebatur id oppidum, commeatibus ad tolerandum intus præparatis. Tunc oppugnantibus reſtitit præſidium ſeptem & triginta dies. Aſt quando deſtituebant jam vires, nullaque ſpes oſtendebatur auxilii; deditio eſt facta. Hos armorum motus mentio pacis nonnulla conſe-

Rex Galliæ condiciones offert Victorio.

cuta. Auguſtam Taurinorum venit ab Galliæ rege Scianlæus, qui literas manu ejus ſcriptas Victorio traderet. Earum erat ſententia: *priuſquam Nicæa & Montmelianum diruerentur, poteſtatem pacis ſe in has leges facere: Sabaudiam redditurum: retenturum pignoris loco Montmelianum, itidem Seguſium, Nicæam, & Villam Francam, donec cum Cæſare ejuſque ſociis in amicitiam rediretur. Prædes fore Pontificem, ſenatum Venetum, Principes omnes Italiæ, atque Helvetios: Aut, quo longius ſuſpicio quævis ſubmoveretur, paſſurum ſe, Montmelianum, & Seguſium Pontificis ac Venetorum; Nicæam & Villam Francam Helvetiorum cuſtodiri præſidiis, quibus ex regio ærario ſtipendium inserim numeraretur: Caſale quoque oppidum ejuſque arcem Pontificis aut Venetorum crediturum fidei. Quod vero ad*

Victorius non audit.

Inſubriam, utrinque ab armis ut ibi abſtineretur. Literæ ab Victorio repudiatæ. Sperabat parem ſe futurum bello: augebatque animos ſubſidiis pecuniarum, & promiſſis ingentibus Auriacus; hoc tunc gravior moderator conſiliorum omnium, quod, Atlona expugnata, & Jacobi regis copiis cæſis disjectiſve, Limmericum ſimul oppidum totamque inde Hiberniam redegerat in ditionem; liberum ut jam eſſet, viribus uti univerſis ad bellum

Rex conatur finire bellũ per Pontificem,

externum. Eodem tempore Galliæ rex per Cardinalem Gianſonum, quæ ultro pacis cauſa Victorio offerret, Pontifici oſtendit: *ſi tam honeſtæ condiciones rejicerentur, cernere ipſum, quo tandem malorum res pertineret. Evaſtari paſſim Italiam belli cladibus, præbendiſque pecuniis & commeatibus civitates exhauriri. Quod autem multo acerbiſſimum eſſet, ibidem homines e Calvini aut Lutheri ſecta, cohortibus immixtos Germanorum, propalam religiones pravas colere, locis etiam*

ad

ad exercenda ſacra impura alicubi apertis. Pro ſumma cura 1691.
ejus ne res Catholica aliquid uſpiam caperet detrimenti, oc-
currendum profecto ante eſſe, quam pernicies eo ſerperet conta-
gione, ut reprimi poſtea non poſſet. Lutetiæ quoque Croiſ- *& Venetos.*
ſyus a ſecretis regis, collocutus cum Petro Venerio le-
gato Veneto, hortari, *ut, quando cupiditas hoſtium obſtaret,*
ne legibus æquis finiretur bellum, quo denique adduci in maxi-
mum diſcrimen Italiam neceſſe eſſet; ſuſciperet ſenatus, quod
alias ſæpe feciſſet virtute magna, patrocinium provinciæ, ſalu-
tis & libertatis ejus. Si aliquantum ipſe militum cum Pontifi-
cis copiis, & Mantuani, ac Mutinenſis Ducis conjungeret; cun-
ctaturum nihil regem millia quindecim armatorum mari mittere,
ut ab triſti Germanorum Hiſpanorumque dominatu vindicaretur
aliquando regio tota. Similia his per homines idoneos ob-
jecta Principibus Italiæ aliis ſolicitabant animos. Et indi-
cia fiebant minime obſcura, ubi primum poſſent, ju-
gum excutere paratos eſſe. Querebantur, *ſe invitis, ca-* *Querela Principum*
pta ab Germanis hyberna in terris ſuis: nihil a militum li- *Italorum.*
centia & rapinis, avaritiaque & crudelitate tribunorum lega-
torumque inviolatum jam relinqui. Si beneficiarium jus quære-
retur, hanc eſſe legem primam, ut non ſolum injuriæ abſint
utrinque; ſed etiam, quemadmodum inter amicos, ſic agatur.
Inſignis erat dolor Ducis Mantuani non ideo ſolum,
quod præter cæteros hybernis caſtris Germanorum pre-
mebatur ipſe; ſed etiam quia Gazolum dudum adem-
ptum ab Hiſpanis, Leganeſius Mediolani magiſtratus po-
ſtremo reſtituerat munitionibus everſis. Haud ita multo
poſt legatus ab rege in Italiam Franciſcus Fochiereſius *Legatus regis Fochiereſius de-*
de-Rebenac, Romæ primum eadem fere, quæ paulo *Rebenac ad*
ante Cardinalis Gianſonus, Pontifici expoſuit: deinde Ve- *Pontificem;*
netiis, aditis patribus, inter invidioſa alia commemorat: *ad Venetos.*
magno Catholicæ rei detrimento factum, ut Jacobus Stuardus *Oratio legati.*
rex, opus aggreſſus pietatis ingentis in Deum & ſuos, Britan-
nos ad ſanam mentem reducendos; regno per inexpiabile nefas
ejiceretur opera Auſtriorum præcipua. Jamdiu Cæſarem aviditate
imminentem Italiæ excitaſſe ibi bellum: idque ut aleret, robur
copia-

Google

1691. *copiarum, quo potuiſſet Turcas contundere, ex Pannonia revocaſſe; nihil veritum colluvionem hominum ſacra peſtifera profitentium una in provinciam immittere. Italos per ſpeciem ſuſtinendæ eorum libertatis, quam unus ipſe oppugnaret, angi ſervitio: fœde ſpoliari innoxios affliƈtarique; tributis acerbe imperatis expilari; dirui arces; ne ab illis quidem, qui beneficiarii Pontificis ſint, vim abſtineri. Viderent patres, ne, ſi porro diſſimularent, pluſquam tutum reip. ſuæ eſſet, creſceret audacia Germano. Regem, modo liceat condicione æqua, abduƈturum exercitum, armorumque ſuſpicionem quamlibet ex provincia remoturum. Denunciarent ergo Cæſari, imponeret bello finem. Nec, ſi eniti velint, vires deeſſe ad compellendum. Vindices libertatis ſecuturas civitates omnes: regem ipſum inſuper, ſi qua re ad bellum opus ſit, in tempore præbiturum. Quod ſi ea cogitatio ſuſpenſos forte teneret, ne, Cæſare offenſo, iniquis condicionibus paciſci cum Turcis aliquando cogerentur; curam iſtiuſmodi demere regem. Quin ſuper bello parta, alia quoque habituros, quæ ſperare neutiquam poſſent conjunƈti cum illo: ubi enim ventum ad verum foret, certo ſcirent, præ ſuis duƈturum minimi utilitates ſociorum.* Hæc fidenter Gallus. Reſponſum eſt: *regia virtute facere Ludovicum viƈtorem, qui de pace tantopere laboraret. Senatum ferre permoleſte, miſceri bello res Italiæ: vehementer cupere, priſtinum otium provinciæ reſtitui. Quod antea non prætermiſerit, etiam in poſterum, conſociatis cum Pontifice conſiliis, daturum operam, ut ab armis diſcederetur.* Nec Pontifex, etſi, impendentium malorum metu propoſito, inſtabat patribus, ut pro conſuetudine antiqua ſua Italiam, & communem cauſam tutarentur; ultra permovit, quam ut paſſim per oratores ſuos, ſi unquam ante alias, tum maxime pacem ſuaderent. Veruntamen iis ubique animis audiebantur, qui nulla flecti ope poſſent. Firmum erat Viƈtorio, niſi de ſententia fœderatorum, pacis mentionem non admittere. Ultionis cupiditas regem Hiſpaniæ ad cœpta urgenda extimulabat. Cæſar autem defendebat, *pertraƈtum ſe ad bellandum injuriis omnibus. In medio ardore belli contra Turcas, nulla juſta*

Patrum reſponſum.

Viƈtorius abhorret a pace; ut & Hiſpani, ac Cæſar.

juſta cauſa, ne gentium quidem jure ſervato, Gallos, inducto repente exercitu, Germaniæ fines odio pluſquam hoſtili pervaſtaſſe. Turbandæ quoque Italiæ initium ab illis exortum, qui ibi oppida aliquot Alpibus finitima, injuſte occupata, obtinerent, tanquam ſedem, unde, oblata opportunitate quavis, in provinciam impetum darent. Quod inde revocari velint exercitus; non caritate Italorum fieri, ſed ut ſoluti in præſens ejus belli cura, gravius Germaniam vexarent. Se vero pacem bello præoptantem, oſtendere brevem componendæ viam: rata haberentur conventa ad Pyrenæos montes & Monaſterii, quæ rex Gallorum violando modis innumeris, ad arma impuliſſet. Exitu anni arx Cretæ inſulæ, prope inexpugnabilis, in ſummo ſcopulo ab Venetis, annos ante plus centum ædificata, Grabuſæ, amiſſa per proditionem eſt. Præerat Franciſcus Donatus cum modico præſidio militum, duce Luca de-Rocca Neapolitano, ingenio perdito. Is belli initio dederat nomen militiæ Venetæ in Peloponneſo; ubi ſuis moribus aptam uxorem duxerat, fœminam vulgati corporis. Mox, permittente Cornelio imperatore, manum collegerat exulum & fugitivorum, qui Peloponneſo vagabantur; attributuſque ipſe centurio, obſidioni Epidauri interfuerat. Imminuto paulatim numero militum; pauci qui ſupererant, centuriis aliis ſupplendis a Mocenico deſtinati: de-Rocca vero, propter quædam indigne commiſſa, cuſtodia conſtrictus. Paulo poſt reſtitutus in libertatem, ac inde præpoſitus Grabuſarum præſidio, moliri ſtatim arcis proditionem cœpit. Adhibito ſocio Franciſco Peronio ſignifero, & hoc Neapolitano; quo occultior eſſet fraus, odia inter ſe fingere: atque eodem tempore verſutum hominem, veſte Græci ſacerdotis aſſimulata, identidem ſubmittere ad præfectum Cydonis, qui ageret de condicionibus tradendæ arcis. Haud temere primo fidem habere Turca, dolum ſubeſſe ſuſpicatus. Poſteaquam nullum in eo, quod afferretur, periculum imminebat ſuis; poſtulatis annuit: *ut abirent ipſi cum armis, mulieribus, liberis, rebuſque ſuis cunctis: ut manentibus ſup-* 1691.

Grabuſæ produntur Turcis a Luca de-Rocca, & Franciſco Peronio:

qui componunt rem cum præfe-

1691. *ſuppeditaretur unde viverent: volentes autem abſcedere, ut navibus alio tranſportarentur.* Ante omnia, territante conſcientia, cavebatur; *ne, ſi pax fieret, in Venetorum arbitrium de-Rocca & Peronius unquam venirent.* Non. Decembr. rei exequendæ ordine militibus edito, quibus tuto id credi putabant; bene mane, cum multi incolarum ex arce deſcendiſſent ad neceſſaria victui paranda; Donatus vero proceſſiſſet ad littus, ut onuſto navigio periclitanti ferret opem: arma capere milites jubent, tanquam in hoſtes adventantes. Tum diviſi bifariam, nihil minus timenti præfecto ſuperveniunt, ni ſe voluntate illico dedat, ferro intento, mortem minitantes. Neque erant, quos ille in periculo repentino vocaret in auxilium; nec undique circumito patebat parte ulla effugium. Itaque fruſtra conatus, objiciendo maximi facinoris crimen, abſterrere; eorum ſe poteſtati permittit. Continuo Vincentium Negrettum & Belliſarium Gratianum, patruum meum, præcellentes loco militari, capiunt; ſcribam quoque Donati Græcoſque ſibi ſuſpectos ac libratores nonnullos, ut & horum magiſtrum Nicolaum Papadopolum: quem tamen mox ſolutum una cum Græco ſacerdote ad confirmanda pacta proditionis Ciſamum, quo Baſſa tranſierat, miſerunt. Interim de-Rocca ad publicas ædes diſcurrit, & domos privatorum, unde prædæ ſperaret aliquid. Poſtmodum Turcæ advenere: acceptique in arcem, numero ſimul magno tormentorum potiuntur. Donatus cum cæteris captivis Cydonem primo, deinde juſſu Viſſirii, qui Cretæ inſulæ præſidebat, Candiam, paſſim ad jucundum ſpectaculum Turcis effuſis, ductus eſt. Jactura hæc nunciata Venetias conturbavit valde animos. De proditoribus ſupplicium ſumptum, quod de abſentibus poterat; ſtatuis eorum ſuſpenſis patibulo. Donatus inde, & captivi reliqui, magno argenti pondere redempti. De-Rocca autem ſceleri addit ſcelus. Sacris nanque Chriſtianorum contemptis, divulgatoque libello, quo obtendebat flagitio cauſas, dedecus uxori illatum, adem-

..o Cydonis.

Donatum adoriuntur, & capiunt cum aliis.

Diripiunt arcem,

quæ traditur Turcis.

Donatus, & captivi cæteri pecunia redempti.

ademptamque in Peloponneſo militarem manum, quam ducebat: Conſtantinopolin trajecit una cum Peronio, operam ſuam Turcis pollicitus paratam & ſtrenuam, quacunque noceri Venetis poſſet; imitatique ducem ſunt milites prope omnes. Exitus fraudis ejus ſpem fecerat Viſſirio Spinæ Longæ atque Amphimaliæ redigendæ pariter in poteſtatem. Miſſi, qui occulta colloquia de arcibus prodendis ſererent cum ducibus militum cuſtodientium. Jamque duos Amphimaliæ, Gallum alterum, alterum Hiſpanum, pecunia corruperant: & ſucceſſiſſet dolus, ni Veneti Grabuſarum exemplo commonefacti obſtruxiſſent perfidiæ vias; mutatis utrobique ex parte magna præſidiis, curaque intentius obſervandi demandata Michaeli Angelo Gentili ad Spinam Longam, Henrico Catharino Davilæ ad Amphimaliam. Paulo poſt gregarius miles ad Angelum Michaelium, Amphimaliæ extra ordinem præfectum, indicium detulit conjurationis: habitiſque confeſtim quæſtionibus, oppreſſi ſontes & ſuſpendio perempti. Venetiis per idem fere tempus aliquid in Senatu controverſiæ fuit cauſa Antonii Ottoboni. Pontificatus initio Romam acciverat Alexander patruus, præfeceratque militaribus copiis ſuis; larga ſimul redituum attributa copia ex bonis Eccleſiæ. Mortuo Alexandro, creatoque ſucceſſore Innocentio; præfecturam ille ſtatim depoſuit reverſurus in patriam, ut ibi vitam degeret in honore, quem Civitas ultro contulerat. Cernebat tamen non omnia fore ſibi expedita propter leges, quibus cautum eſſet, ne, qui ſemel externis Principibus navaſſent operam, accepiſſentque ab eis beneficia, partem ullam reip. attingerent. Hoc idem vereri in mentem venerat Alexandro ipſi: egeratque cum Lando ut ad Senatum ſcriberet, *credere ſe ſe, leges patrias nullo tempore obfuturas filiis fratris ſui: neque enim habendum ſe numero externorum, qui Venetus eſſet: gratum facturos, ſi ſolicitudinem, qua animum in futurum proſpicientem interdum angeret, exemiſſent.* Nihil ad hæc tunc Senatus, ut in re

1691.

Proditio Spinæ Longæ, & Amphimaliæ detegitur.

Antonius Ottobonus redit Venetias.

1691. valde dubia. At ubi poſt obitum ejus rediit Antonius Venetias; quamvis proventus ex bonis ſacris partim abdicaſſet, partim tranſdidiſſet in Petrum filium Cardinalem: objectæ leges ſunt, palam vetantes, ne cives Veneti penſiones accipiant Eccleſiaſticas; arcenteſque illico adminiſtratione reip. ſi qui acceperint. Sexviri igitur Senatu regendo uſum dignitatis ei interdicunt. Haud ideo tamen ſpem abjecit, Senatum, qua eſſet æquitate, mollius interpretando leges, non ſummo tandem jure acturum ſecum. Ac paucos poſt menſes e Sexviris unus, Franciſcus Foſcarus, nequicquam diſſentientibus collegis, ferre in Senatu non dubitavit de ſolvendo legibus; cauſis commemoratis: *Pontificem Alexandrum voluntate & factis id promeritum, ut ab civitate gratia perpetua deberetur: non eſſe e gravitate ſenatus, datos nuper Antonio honores adimi: videri autem ſatis conſultum legibus, ſi aditum in ſenatum præcluderent.* Verum tantum abfuit, ut Foſcarus perſuaderet, irritavit etiam animos; ut Triumviri Advocati reum agerent, *quod talia ſuadendo contra legem feciſſet.* Defendens nihilominus, *huc ſe adductum officio uno, quod putaſſet humanitatis,* precibus ad extremum pervicit, ut ſe liberarent noxa. Non habitus inde publice pro Marcio procuratore Antonius eſt, nullo tamen, ne haberetur, decreto ſcripto; ut relinqui adhuc videretur ſpes, reddituros aliquando, quod voce tantum abrogaſſent. Omnino ita accidit. Nam cum & ipſe Venetiis in vita privata egregiam moderationem præ ſe tuliſſet; & Romæ filius Cardinalis, quo tempore nemo ibi erat orator Venetus, ab Senatu adhibitus in multis, haud mediocriter profuiſſet: patres decem poſt annos, remiſſo demum jure, procuratoris Marcii dignitate ut uteretur, permiſerunt.

Uſus dignitatis ei interdicitur.

Poſt annos decem loco reſtituitur.

FINIS LIBRI VIGESIMI.

H I-

HISTORIARUM
VENETARUM
LIBER VIGESIMUSPRIMUS.

ADventus legati Galliæ regis in Italiam ſolicitum 1692. Cæſarem habuerat cura. Satis quidem fidebat, Principes ibi alios, ut indigna pati ſe quererentur, quod vires tamen deerant ad repugnandum, quieturos. At angebat metus ne Veneti, ſpe objecta Turcici belli per Gallos utiliter componendi, privatim ſibi paciſcerentur. *Suſpicio Cæſaris:* Nec ſuſpicionem tacitus tulit. Quod ubi cognoverunt patres; placuit oratorem Zenum ſimpliciter ac fideliter aperire, quæ regis mandata expoſuiſſet legatus Venetiis; *quam tollit ſenatus.* quodque ab Senatu datum reſponſum eſſet: tum graviter aſſeverare, *civitatem, quo ſtudio & qua religione ad id locorum fœdus coluiſſet, eadem, quidquid tandem belli ſors ferret, colere uſque ad extremum paratam eſſe*. Teſtata voluntas hæc non ſolum exemit ſcrupulum ex animo Cæſaris, ſed etiam magis eum conciliavit ſociis tam pure tamque conſtanter agentibus. Et occaſionem quærens rependendi officii, paulo poſt Gulielmum Herbortium, *Cæſar officio certat.* miſſum ab Auriaco, ut ſuccederet Huſſeyo demortuo, monet inter alia, *affirmet etiam atque etiam Turcis, utique non auditurum ſe de pace, niſi communiter cum Venetis: quæcumque & quantavis utilitas offerretur, haud paſſurum quidquam peragi, niſi una illis ſatisfieret; quos certum firmumque eſſet ſocios perpetuo habere in omni fortuna*. Tum per Turrianum oratorem ſuum Venetiis edoctos patres, quid præcepiſſet Herbortio, enixe hortatur, *ut eo anno Turcas magno conatu premerent*, pollicitus *ab parte ſua curam eandem*. *Hortatur ſenatum ad bellũ acriùs gerendum.* Quanquam conſtituerant tueri in præſens Peloponneſum quæque ceperant in Illyrico; nuſquam autem niſi quantum cogeret

1692. neceſſitas, copias ſuas caſibus committere prœliorum aut oppugnationum: tamen gratificaturi promiſerunt; juſſeruntque Mocenicum imperatorem arcibus hoſtium, qua potiſſimum expediret, arma inferre.

Mandata Senatus ad Mocenicũ.

Interim vix Taurunum pervenerat Herbortius, cum morbo interiit. Ejus in locum Gulielmum Pagetum unum ex proceribus ſubſtituit Auriacus; quem legatum ordinarium ad Turcas pridem deſtinarat. Ne autem, dum hic Londino contendit Hadrianopolin, nihil ageretur: obeundas partes eas injungit Heemskerkio Belgarum legato ad Cæſarem; qui mandatis Viennæ acceptis, Taururum ſine mora proficiſcitur. Ibi (inſtinctu maxime Maurocordati, qui putaret, minus æquo cultum ſe dum Viennæ eſſet) parum comiter tractatus ab Turcis, contemptus inſuper & illuſus, præſertim ubi perſcripta capita condicionum pacis arte elicuerunt; perrexit Hadrianopolin: quo poſt aliquanto venit Pagetus etiam.

Legatus Belgarum Taurunum venit, inde Hadrianopolin.

Paulo ante de ſumma rerum deliberaturus Turcarum rex concilium habuerat Viſſiriorum & Baſſarum. Et ipſi quidem, quod tæderet difficultatum periculorumque, *parte ſaltem regionum cedendum pacis cauſa* videbatur, *quas Cæſar & ſocii poſtularant*. At plerique ferocioris erant ſententiæ: *ſi continuarent bellum, aut amiſſa recuperaturos armis, aut certe, quo diutius reſtitiſſent, eo ſemper in deteriore fortuna ſua de pace tranſacturum Cæſarem; cujus vires in dies magis certando cum Gallis attererentur*. Cenſebat vero Viſſirius primus, *enitendum omni ope, ut, vel facta jactura aliqua, redirent quamprimum in amicitiam cum uno Cæſare; quem jam quadriennium curis alterius diſtentum belli, nihilo infeſtum minus experti eſſent. Id ſi ſucced eret; parvo deinde labore ad empturos fœderatis ejus, quæ damnum abunde penſarent. Nam contemnere ſe ſe diſcordiis inteſtinis aſſidue impeditos Polonos, inconditamque multitudinem Moſchorum. Veneto autem, ut præpolleret copiis navalibus, ſi tamen valido exercitu terreſtri urgeretur, facultatem conſiſtendi in Peloponneſo non diu fore*. Sed quando nec ſpes admodum erat abſtrahi ab ſociis Cæſarem poſſe;

Concilium habet rex Turcarum.

Variant ſententiæ.

ſe; & ſacrorum præſides, qui intererant conſultationi, 1691. fas eſſe Turcis negabant, regionibus aut oppidis ullis decedere voluntate: ita ſolutum eſt concilium, ut bellum porro geri appareret. Tum literæ ab Viſſirio dimiſſæ circa præfectos, ut novum ſcriberent militem; juſſique curatores rei navalis veteres naves reficere, novas ornare: ſimul datum negotium Baſſis, qui Tauruno quique Theſſalonicæ præſidebant, ut horrea atque armamentaria rerum neceſſariarum copia inſtructiſſima haberent. Deerat in hæc pecunia. Exercitui quoque octogies centena millia regalium nummum jam debebantur. Quamobrem, auctore Viſſirio, imperatur populis tributum duplex: claudi inſuper toto regno placuit argentarias tabernas, ne aurum argentumve fieret; eoque metallum id omne conferretur in officinam monetalem. Poſtquam indignationes percrebuerant non plebis ſolum, ſed etiam procerum multorum: Viſſirius idem qui vereretur, ne quid periculi exiſteret inde ſibi, timore continendos ratus, quos nequibat arte alia; ut quiſque præcipue infenſus aut ſuſpectus eſſet, ita eum protinus interficiendum curabat. Atque perexiguo tempore ſuſtulerat plus ſexcentos. Sed cum quidam principum, exitum ſimilem metuentium, tot cædium patratarum accuſaſſent apud regem; is extemplo immanitatem hominis averſatus, dignitate expulſum ablegavit in Rhodum inſulam: ubi juſſu ſucceſſoris, Halii præfecti Meſopotamiæ, poſt aliquanto necatus eſt. Cæterum novum Viſſirium difficultates eædem circumſtare. Alia quoque veris initio evenerunt, quæ rurſus ancipitem de bello deliberationem redderent. Spem minuebat Varadini arx amiſſa, opportuna in primis ad repetendam Pannoniam Superiorem. Etenim Germani duce Heiſlero, quem Cæſar redemptum pecunia miſerat cum delectis cohortibus ad oppugnandum, aquis Cryſii fluminis, præterfluentibus mœnia, complurium dierum opera averſis, obſeſſos compulerant ad deditionem. Contra fiduciam addebant res proſperæ

Perſtare ſtatuunt in bello.

Viſſirius colligit pecunias.

multos necat.

Amovetur dignitate.

Succedit Halius.

Arcem Varadini capiunt Germani.

1692. ſperæ Galliæ regis, qui profectus in Belgium, urbemque munitiſſimam Namurcum mole magna adortus, cito redegerat in poteſtatem: declinante Auriaco, quamvis millia centum haberet armatorum, prœlium cum Mareſchallo Lucemburgico; quem novem ab Namurco millia cum parte exercitus Gallorum tegere oppugnantes placuerat. Dum Viſſirius inter ſpem metumque incertus hæret; Hadrianopolin redierunt Effendus & Maurocordatus. Admonentes hi, *maturatam dilatamve pacem multo maximi rem momenti eſſe ad damnum utilitatemve Imperii: jam enim duobus ſimul bellis ingentibus Cæſarem vix ſufficere; foreque brevi, ut coactus curas omnes intendere in Gallos, quas tunc faſtidiret condiciones pacis, peteret ultro*: confirmaverunt animum. Quare ductu ſuo adminiſtraturus bellum ire maturat Taurunum, quo militum indixerat conventum. Iiſdem ferme diebus exercitum quadraginta millium collegerat Badenſis ad Petro-Varadinum. Neuter alterum contemnebat. Turca minoribus aliquanto copiis, quam ſuperiore anno fuerant, non ſatis audebat Savum tranſire, ne forte loco aut tempore iniquo traheretur ad certamen. Quindecim modo millia ſuorum trajecit; qui caſtris poſitis angulo extremo inter Iſtrum & Savum, ibi ſe communirent. Badenſi ſtabat ſententia, exercitum non tranſducere, ne in caſum univerſæ dimicationis veniretur; quod idem Viennæ in concilio noviſſime cenſuerant plurimi. Ab Turcis autem invadendis, qui tranſmiſerant, abſtinebat circumdatum vallum duplex, quod nonniſi multa cum cæde ſuperari videret poſſe. Intentiorem etiam ad ſalutem exercitus faciebat vulgatus morbus, qui cum militum pernicie ſæviebat; ducemque ipſum poſtremo corripuit. Itaque cum quid alter primum moveret, quietus uterque diu fruſtra expectaſſent: æſtatem nihil agentes contriverunt. Longe aliter Veneti, quibus neque in Græcia neque in Illyrico intermiſſio armorum ulla fuit. Mocenicus, ſtatim atque naves Venetiis advenerunt, ſupplementum portantes pecuniamque,

Galliæ rex Namurcũ.

Merita Effendi & Maurocordati.

Viſſirius & Badenſis ad exercitum.

Æſtatem ſine conatu ullo traducunt.

que, ſimul Sigiſmundus Joachimus Trautſmendorfius, 1692.
in præfectura copiarum terreſtrium ſuffectus Annibali Deghenfeldio mortuo ſub appulſum in Græciam, itidemque auxilia Romanorum & Melitenſium ſociorum: concilio advocato, voluntatem Senatus exponit. Tum de ratione gerendi belli cœptum conſultari. Vertebatur, utrum Chium Lesbumve, an Chalcidem aut Cydonem aggredi præſtaret. *Mocenicus conſultat cũ ducibus.* Poſtquam tentandæ Chalcidi non ſufficiebant vires; Chium autem Lesbumque, ut occupari poſſent labore haud magno, procul tamen ſitas inſulas non diu retenturos ſe providebant: denique optimum viſum Cydonem adoriri. Urbem poſitam in planicie, facili ſolo ad opera oppugnationis, neque intus præſidio, neque externis munitionibus ſatis firmam, cui Haſſanes is idem præeſſet, qui paucos ante annos, priuſquam obſideretur, metu Patris deceſſiſſet; conatu modico redacturos in poteſtatem putabant. Accedebat ſpes nonnulla, ubi ſedem eam cepiſſent in Creta, inſulæ totius deinde recuperandæ. Verſis igitur huc conſiliis; ne *Cydonem aggredi ſtatuit.* immunita Peloponneſus pateret interim Turcis, attributa Fabio Lanojæ millia militum duo, quibus Corinthi *Corinthi fauces munit.* fauces inſideret: Vincentio autem Vendrameno præfecto inſularum imperatum, ut, ſi quid ab hoſte moveretur, cum iis quas habebat triremibus ac biremibus, præſto eſſet ad oram Corinthiacam tuendam. Hoc ferme tem- *Amovet munere Antonium Zenum;* pore provinciæ Mocenicus præpoſuerat Marinum Michaelium, Antonio Zeno ſubmoto, ut ferebatur, parum opportune. Delatus is de male adminiſtrato munere fuerat ad IIIviros quæſitores in res Græciæ, non adſcriptis libello accuſatoribus. Senatus negotium dederat imperatori, ut quæſtiones exerceret. Perfectis vero quæſtionibus, citabatur jam Zenus, tanquam noxæ reus in carcerem conjiciendus. Sed hic aufugiens, Venetias venit: *qui Venetias trajicit:* ubi queſtus circumventum ſe calumniis, paratumque profeſſus cauſam ex vinculis dicere apud judices æquiores; quamvis culpa non careret, quod ad reddendam ratio-

1692. rationem vocanti non paruiſſet, tamen quia vulgo cenſebant, tempore alieno & aliquanto durius, quam oportebat, egiſſe Mocenicum: Senatum miſericordia permovit. Placuit propterea quæſtiones habitas mitti Venetias: quibus auditis, magno ſententiarum conſenſu eſt abſolutus, remiſſuſque in provinciam. Inter hæc Nauplia ſolverat claſſis triremium naviumque celſiorum, queis duodecim millia peditum vehebantur equites octingenti præter voluntarios, itemque oppugnandi inſtrumentum. Plurimum in repentino adventu ſpei repoſuerat Mocenicus: veruntamen improvidis Turcis non ſupervenit. Forte Galli mercatores, qui navi referta commeatibus oram prætervecti Peloponneſi exceperant ibi quid Veneti molirentur; biduo ante appulſi Cydonem præmonuerant. Quare ſpatium fuit Haſſani ad dimittendos nuncios paſſim, auxilium adverſus bellum imminens orantes, diſponendaque præſidia in muris atque operibus; undique circa contractis neceſſariis ad tolerandam obſidionem. Tria millia armatorum intus erant. Iis addidit Græcos vicûm habitantes adjacentem mœnibus; qui operam tribuerunt ſtrenuam & fidelem. Adjuvit valde Nicolaus Papadopolus. Hic poſt Grabuſas Turcis traditas eo conceſſerat: inde autem ſcripta ad Amphimaliæ præfectum defenſione cauſæ ſuæ, expertem ſe proditionis affirmarat; petieratque fidem, ſalvum venturum ad coram purgandum. Sed quando libellus, miſſus a præfecto ad imperatorem, nihil profuerat; permanſerat Cydone: ac tunc arte, qua excellebat, librandi tormenta, Venetis plurimum nocuit. XVI Kal. Sext. Cretam tenuit claſſis. Et ſtatim, fere e regione Leuces inſulæ, nullo prohibente, deſcenſionem faciunt, perguntque porro ad urbem; ut tamen in pago, duo illinc millia, intendentibus jam ſe tenebris, ſubſiſterent. Poſtero die ad vicum occupandum, quem Græci alicubi incenderant, procedunt. Levia ibi prœlia aliquot cum Turcis commiſſa: quibus demum intra muros compulſis, exercitum

ubi abſolutus remittitur in provinciam.

Claſſis movet Nauplia.

Præmonitus præfectus Cydonis, defenſionem inſtruit.

Veneti exſcendũt ad Leucen inſ.

citum

1691.

citum circumdat imperator, præponitque caſtris Sebaſtianum Mocenicum, præfectum Adriatici ſinus. Tum ad arcenda terra marique ſubſidia, octo majoris formæ naves ac triremes complures collocat in ſtatione inter Cyamum & Drepanum promontoria: qua autem ſpectat urbs ad orientem, undecim excitat parva caſtella, modico inter ſe diſtantia ſpatio, foſſa interjecta; quod illac maxime ſuſpicaretur auxilia adventura ab præfectis Rhitymnæ Candiæque. Diebus aliquot eo in opere conſumptis: qua parte faciliora aditu videbantur loca, adoriri potiſſimum ſtatuit D. Demetrii propugnaculum, quod olim Veneti externo munimento firmarant. Ac celeriter quidem objectum vallum eſt extructique aggeres: cæterum lentior deinde eſſe oppugnatio. Nam & morbi ex magnis caloribus invaſerant in militem; & multi amænitate inſulæ capti dilabebantur: navalem quoque turbam tormentis advehendis deſtinatam avertebat cupiditas prædandi. Interim vim telorum effundentibus Turcis, non pauci quotidie vulnerabantur cadebantve: ibi Mutiæo legato, qui ægrotantis Trautſmendorfii munus obibat, divulſum ferrea glande latus eſt, ut pene in veſtigio animam expiraret. Balliſtis denique grandioribus admotis, ſimul quati munimentum cœptum, ſimul ollæ igniferæ multis ab partibus intro conjici. Et primo ruina tectorum, incendiaque crebra pavoris non parum præbuerant incluſis: quo tempore triremis etiam atque oneraria una, in portu ſtantes, depreſſæ ſunt. Sed erexere mox viſa ſigna ſuorum in vicinis collibus. Cohortes erant quatuor, ab Candiæ Viſſirio miſſæ duce Kara Muſſa, vetere milite, qui ad exercitum fuerat in oppugnatione ejus ipſius urbis, ac bello deinceps Cretico univerſo. Occurrere juſſus cum expedita manu Laurentius Vvaghenſeil, princeps ordinum, nullo propemodum certamine fugavit. Verum diebus poſt paucis cum copiæ aliquanto majores ibidem apparuiſſent; metus injectus eſt ne adverſa parte urbis præter littus ſubſidii ali-

Oppugnationem inſtruunt.

Oppugnatio lente procedit.

Auxilium ab Viſſirio Candiæ accedit.

Fugatur a Venetis.

1692. quid clam induceretur. Ergo centuriis aliquot militum Illyriorum placuit obſideri viam; ſimul tumulos duos excitari qui eos protegerent. Nondum ad exitum opus venerat; cum intempeſta nocte Turcæ erumpentes porta magna vi adorti ſunt tumulos: qui dum repelluntur ab Illyriis; equites ferme centum de Muſſæ militibus, mare primum ingreſſi, equis uſque ad ilia demerſis, penetrarunt in oppidum. Fecerat ea res intentiores Venetos ad cuſtodiam: ac non multo poſt Muſſa ipſe, demiſſo agmine ex collibus, impetum dedit in Illyrios; interque eum tumultum ab incluſis etiam regione diverſa fit eruptio. Parum aberat, quin Illyrii disjicerentur. At interveniens cum equitatus robore Trautſmendorfius, jam recreatus ex morbo, ſuſtinuit primo cedentes; mox ultro illatus, perculſos Turcas fuga effuſa coegit colles repetere. Eventu ſimili pugnatum ab iis qui eruperant. Dum aggeres tormentorum ſupergredi conantibus reſiſtunt qui tuebantur; incurrentes ab latere ex proxima ſtatione Melitenſes Romanique, nonnullis occiſis, redegerunt intra muros. In ſummam tamen oppugnationis non admodum interea proficiebant. Qua nanque munimentum propugnaculi petebatur, dies complures jaculando vix quidquam diruerant; ut demum alio loco ſtatuerent balliſtas, unde certior ictus eſſet. Viſum ſimul numerum adhibere majorem foſſorum ad promovendos aggeres vineaſque. Ac cura & labore Bartholomæi Camuccii, machinarum architecti, prope injuncta munimento opera brevi ſunt: muri quoque prociderat haud parum. Ibi, quanquam non deſperabant, ſi armis aggrederentur, munimentum capturos; tamen ſatius cenſuerunt, dum latius panderetur ruina, periclitari ſi poſſent Turcas collibus deturbare: quod ſi ſuccederet, pro certo erat, obſeſſos, non expectato impetu, facturos deditionem. Rei peragendæ inita ratio hæc eſt: ut imperator octo triremibus intimum Amphimaliæ ſinum invectus ſexcentos voluntarios milites validamque manum

Equites cētum penetrant in urbem.

Turcæ vallum adoriūtur.

Repelluntur.

Oppugnatio difficilis.

Mocenicus ſtatuit Turcas longius ſubmovere:

Græ-

Græcorum exponeret in terram, qui anguſtias contraria parte collium inſiderent; Trautſmendorſius autem cum bis mille & quingentis peditibus, equitibus ſexcentis, qua minus iniquum aditum præbebant colles iidem, aſcenderet vallumque hoſtium adoriretur: ſi hi repugnarent, erigerent voluntarii & Græci agmen invaderentque ab tergo: ſin detrectarent pugnam, tum ut inſtaret cedentibus Trautſmendorſius; magna ſpe, ubi delati fuga in anguſtias eſſent, utrinque interclusos, faciles ad cædem fore. Sed deſtituit conſilium fortuna. Edito, ut convenerat, ſigno ab imperatore, qui ſinum intrarat; educit nocte copias Trautſmendorſius. Et jam ſubierat colles; inſtructiſque, quantum aſperitates ſinerent, ordinibus, vixdum luceſcente, appropinquabat vallo: cum imperatoris literæ nihil minus opinantem ab incœpto revocarunt. *Turbato mari diu prohibitum ſe*, docebat, *ne applicaret ad litus triremes: etiamſi, reddita tum tranquillitate exſcendentes voluntarii, quoad poſſent, feſtinarent; non perventuros tamen in tempore ad conſtitutum locum*. Ita, re infecta, retroagit agmen Trautſmendorſius: imperator quoque, unde venerat, revertitur; relicto Antonio Nanio cum ſex triremibus ad curam illinc injiciendam Turcis: qui periculi admoniti, caſtra retrahentes in tutiora, aggerem inſuper multiplicem aut lignorum ſtruem obliquo colle objecerunt. Nihil tunc dilata impreſſio ad munimentum eſt. Præterquamquod impellebant ad maturandum quotidianæ cædes fugaque militum; cogi etiam ab Turcis in Bœotia exercitum afferebatur, ut irrumperent in Peloponneſum. Delecti promptiſſimi quique, ducibus Hieronymo Minuccio & Bartholomæo Soardo, ſucceſſerunt. Ferociter initio a ſuperſtantibus obſiſtebatur. Ubi ſignifer unus evaſit in ſummum ruinæ; ea vi connixi deinceps ſunt alii, ut pariter conſcendentes, hoſtem multa cum cæde deturbarent. Ad muniendum inde verſi, nam cominus e muris ferreis glandibus ſaxiſque ac ſagittis inceſſebantur, aggerem tranſverſum ſuperimponunt; a-

1692.

fruſtra.

Munimentum propugnaculi adoritur:

& capit.

1692. miſſis ibi aut vulneratis ad ducentos, in his Minuccio ac Soardo. Et jam expugnaturi oppidum ipſum videbantur, tormenta modo collocaſſent in proximo, quibus dejicerent propugnaculi murum. Nec in caſtris ſolum lætitia ingens extiterat, non longe abeſſe finem difficilis oppugnationis; ſed etiam, tanquam oppido capto, cum

Inſulani multi deficiunt ad Venetos.

multitudo Græcorum alia ex vicinis pagis, tum quingenti illorum, qui circa Leucos montes colunt, ultro venerunt ad imperatorem operam ſuam ad omnia pollicentes. Iis arma data, duxque attributus Joannes Macheriottus centurio, Creta oriundus; cujus patrem virum ſtrenuum præfuiſſe ſibi meminerant Cretico bello. Attamen obſeſſorum animos nihil hæc minuerunt. Nam qua parte conſtituendis tormentis agger ducebatur, præparato dudum cuniculo ſubjicientes ignem, fecerunt ſubito

Erumpunt obſeſſi.

plurimum tumultus. Efferentes continuo portis ſigna, acriter adeo ſe intulere, pene ut vallo, unde pulſi fuerant, potirentur. Aloyſius Cittadella erat in præſidio. Is ubi cedere exterritos ſuos vidit, cum paucis ad primos advolans exemplo ſuo accendit ad redintegrandam pugnam; neque ante paſſus eſt omitti, quam, occiſis hoſtibus qui inſcenderant, refugerent cæteri in oppidum. Tum tormentis margine munimenti extremo diſpoſitis,

Opera adverſus propugnaculũ parum procedunt.

diverberari propugnaculum, cuniculuſque haud procul agi, quo pars foſſæ mœnibus adverſa ſubrueretur: quanquam opinione ſegnius experientibus eveniebat utrunque. Etenim aliquandiu jaculati, vix partem decuſſerant propugnaculi exiguam: ſaxaque ferro impenetrabilia fodientibus occurrebant ad ima muri. At minimum erat, quod propterea ſpes proferebatur expugnandæ urbis, præ

Periculum nunciatur Peloponneſi.

cura, quam attulere imperatori literæ Michaelii, opem orantis adverſus decem millia Turcarum; qui, ut ſine machinis militaribus, jam tamen, Iſthmi faucibus ſuperatis, numero ipſo terrori populis magno eſſent. Illico

Eo mittitur Priolus.

Priolum præfectum navium majorum cum claſſis parte jubet eo trajicere; trajecturus ipſe cum copiis reliquis,

ſimul

ſimul Cydon in poteſtatem veniſſet. Verum, dum opus urget, ex nec opinato intromiſſum a Muſſa ſubſidium eſt. Quingenti armati, nondum orta luce, ad ſtationem Venetorum, littore ultimo accedentes, vigiles ſomno ſopitos interficiunt: mox tranſilientes aggerem negligentius cuſtoditum, tanto ſilentio proxima ingrediuntur vada, ut non ante illi ad arma excitati concurrerent ad obſiſtendum, quam ducenti, collo tenus mari demerſi, urbem intrarent. Magis, quam pro modico auxilio, crevit audacia incluſis. Itaque ſequenti die, ſimul foſſæ murus mœnibus objectus, accenſo ab Venetis cuniculo, everſus eſt, porta ſe effundentes, per ſtragem lapidum ad vallum ſubeunt; ac Melitenſes, quibus ea tunc obtigerat ſtatio, haud multo labore pellunt fugantque. Aggerem inde ſcandebant tormentorum; cum expedita cohors ab Trautſmendorfio in tempore objecta impetum ſuſtinuit. Diu ibi certatum eventu dubio. Semel a Veneto deturbatus Turca, qui ſummum tenuiſſet. Sed ſuccedentibus ab urbe armatis aliis, adjuvantibus etiam qui e muris genus omne telorum in hoſtes ingerebant; denuo ſe, unde ceſſerat, invexit. Jamque plus tres horas ſtrenue dimicando obtinebat munimentum. Aſt cum delectis cohortis ſuæ adveniens poſtremo Cittadella, impiger ad pericula ante cæteros, conatu valido dejectum in urbem compulit. Exitum haud diſparem eruptio habuit biduo poſt tentata. Ne autem in poſterum aditus obſeſſis ad eadem audenda eſſet, caſtella duo apto loco inter vallum foſſamque Trautſmendorfius opponit. Et fracta tandem videbatur Turcarum ferocia: patebat late intervallum proruti muri; omninoque huc rem adduxerant oppugnatores, ut opplerent foſſam, ea facturi viam ad invadendum propugnaculum. Tali ſtatu oppugnationis, undique rumores veniunt, *Turcica claſſis præfectum duabus & triginta triremibus, magno numero militum impoſito, quos ex Chio, Lesbo, & Coo inſulis collegiſſet, in Cretam navigare*: præterea, *vaſtari ferro igniqu Pe-*

1692.

Ducenti Turcæ perveniunt in urbem.

Erumpitur ab obſeſſis.

Pugna anceps.

Aloyſius Cittadella redigit Turcas in urbẽ.

Cura Mocenici ob adventum claſſis hoſtium,

1692. *& diſcrimen Peloponneſi.*

Peloponneſum: Argos uſque ac Naupliam hoſtes progreſſos: jamque obſideri Corinthum. Perculerunt hæc imperatorem, tum maxime timentem ne, dum ſe teneret ancipitis ſpei oppugnatio, grave detrimentum aliquod in Peloponneſo fieret. Ergo duces advocat ſtatim in concilium. Auctor ipſe erat omittendæ extemplo oppugnationis. *Undequadraginta dies urbem circumſidendo, tertiam jam partem exercitus morbis, cædibus, fugaque militum abſumptam. Si Turca iiſdem animis, quibus in ſtationes atque opera eruperit, utatur ad impediendum aditum per ſtrati muri ruinam; profecto quod roboris ſupereſſet copiarum, nequicquam periturum. Quotidie interea augeri multitudinem eorum, quos e vicinis collibus intentos in omnes occaſiones juvandi obſeſſos cernant: mari quoque parari auxilium, claſſemque non multum abeſſe dici. Quam autem difficili loco futuros tunc ipſos, ſi neque ad oppugnandum ſufficiant vires, &, ne ſe in tutum referant, prævalidus hoſtis prohibeat? Vel ſi habeant exploratum, Cydone ſe demum potituros; attamen non committendum, ut, cauſa dilata opis, in diſcrimen Peloponneſus adducatur. Nunc incerto tam lenta oppugnationis eventu, facturos inconſulte perverſeque niſi Peloponneſo, cujus certa damna nuncientur, ſine mora ſubvenirent.* Probabat Foſcarus præfectus quinqueremium. Contra roſtratarum præfectus Quirinus, & Contarenus præfectus alter navium majorum negare, *ab Turcis tantum periculi eſſe in Peloponneſo, ut propinqua ex Cydone victoria e manibus dimitteretur. Provinciam ingreſſos non ſpe conſiſtendi expugnandive urbes, ſignificaſſe pridem Michaelium: nullas enim ſecum machinas advexiſſe. Id quæri, ut oſtentato terrore Venetum abſtrahant ab Creta inſula: itaque regionem tumultu implere & ſævire incendiis. Atqui Michaelio, copiis additis Vendrameni & Prioli, neceſſaria ad tuendum non deeſſe. Interim confidere ſe ſe, obſeſſos, ubi paratum exercitum videant ad perrumpendum, ſibi conſulturos; indicantibus transfugis, prius etiam quam auxilium exiguum ducenti urbem furto intrarent, deditionis conſilia inter eos agitata. Sin verſi in rabiem pro nudato muris propugnaculo corpora opponant: paucos, laboribuſque ac vigiliis con-*

Concilium advocat.

Cenſet ipſe omittendã oppugnationem;

ut & Foſcarus.

Contradicit Quirinus, & Contarenus.

confectos ſuperabimus, inquiunt, *paulum modo connitamur. Ecquid ita timores fingimus ab illis, qui ſedendo in collibus, opemque jamdiu oſtendendo, vix quidquam tamen ad hanc diem aperta vi aggredi ſunt auſi? Claſſis quoque & abeſt procul; &, ſi appropinquet, ſatis ſuppetit navium, quibus arceamus littorum appulſu. Has ſpes ſubjicit præſens rerum ſtatus. Ut autem majora etiam vero præſidia noſtra, minora hoſtium ducamus; certe intereſt longe plurimum ad dignitatem armorum, cœptam tanto ardore, propeque ad exitum perductam oppugnationem non deſeri, donec ſaltem exploratiora de Peloponneſo afferantur, appareatque vanus ne timor iſte, an juſtus ſit.* 1692.

Simul Trauſmendorfius præfectus copiarum.

Sentiebat idem Trautſmendorfius: qui præterea, ſi recedendum illico foret, vix credere ſe, affirmaret, *recipi in tutum poſſe inſtrumentum omne oppugnandi*. Aſſentiebatur etiam Philippus Donatus, præfectus ærarii; quanquam in conſultatione carebat jure ſuffragii. Itaque pari utrinque numero ſententiarum, quando inſtitutum ita tenet, ut in deliberatione ambigua, pars vincat a qua ſit imperator: placuit diem non proferri ſolvendæ obſidionis. Polliceri tum Melitenſium & Romanorum duces, *ſe, quod ad claſſem Turcicam attineret, curam dempturos*: habebant nanque in animo, parte claſſis Venetæ ſibi adjuncta, hoſtibus ultro occurrere. Verum imperator, quidquid cunctaretur, prodi in eo Peloponneſum arbitratus, ſociis benigne collaudatis, confeſtim abſiſti operibus jubet, machinaſque atque ægros referri in naves. Quatriduo poſt abibat miles ſub ſignis; cum oppido erumpentes Turcæ, duobus eorum millibus aſſumptis qui ex collibus deſcenderant, invaſere agmen ultimum. Cohortes duæ Melitenſium & Romanorum erant: qui prœlium aliquandiu ſuſtinentes, eos denique in fugam conjecerunt. Ne protinus conſcenderent, prohibuit ventus: eaque res, ſpe incompoſitos opprimendi, denuo barbaros excivit Cydone. Poſtquam paratos invenerant ad certamen; congredi non auſi, in urbem redeunt. Triduum ibi moratus Venetus, dum ventus adverſus caderet: quo tempore Turcas exceſ-

Vincit ſententia Mocenici.

Abeuntes adoriuntur Turcæ.

1692. ceſſiſſe Peloponneſo, nunciatum ex inſperato eſt. Et lætitiæ magnæ fuit liberata provincia, cui vehementer timuerant: cæterum cogitatio angebat, nimis celeri deſperatione occaſionem prætermiſſam potiundæ Cydonis. Duo millia inſulanorum, qui ob indicatam in Venetos voluntatem metuerent ſibi ab Turcis, in claſſem accepti. Tum, reddita tranquillitate, ſolventes inde, Epidaurum primo, mox Naupliam trajiciunt. Illinc Mocenicus, datis literis ad Senatum, rei univerſæ ordinem ita expoſuit, ut officio boni imperatoris nuſquam videretur defuiſſe. Cauſam mali exitus in alia atque alia, præſertim in fugam militum conferebat: Trautſmendorfium vero laudabat parce admodum. Quod is ſuſpicatus, itidem ad Senatum ſcripſit ipſe pro ſe: nec dubitavit palam arguere, cum minime oportuiſſet, inconſultam ob formidinem abſceſſum Cydone, quæ paucos intra dies capi potuiſſet. Hæc ſic audivere patres, ut aperte oſtenderent, ſibi non ſatis probari acta in Creta: nam Mocenicum Vicetiæ prætorem deſignarunt, magiſtratum longe minorem quam pro muneribus, quæ multa ampla que obiverat. Haud dubium eſt quin, ſi uſi hoſtes eſſent opportunitatibus ſuis, & balliſtas grandiores ſecum in Peloponneſum advexiſſent, oppida aliquot illo in provinciæ tumultu occupaturi fuerint. Principium turbandi Liberachius fecit: qui, ubi primum vela dediſſe Nauplia Venetos cognovit, hortari imperatorem inſtiterat Turcarum, *ut, collectis copiis, Iſthmi fauces tentaret. Iis ſuperatis, magnos intus motus ſpondebat futuros; brevique aut Peloponneſios paſſim defecturos ab Venetis, aut certe fixurum ipſum alicubi ſedem, unde in poſterum nequaquam facile pelleretur.* Viſus vera monere: itaque cogendi Thebis exercitus educendique mora nulla fuit. Conſilii auctor Liberachius idem præcedebat cum quinque millibus armatorum: a quo, ut venit Megaram, præmiſſi equites centum ad tranſitus viarum explorandos. Præſenſerat Michaelius. Quare contracto undique milite, reque cum

Literæ Mocenici ad ſenatum;

& Trautſmendorfii.

Mocenicus deſtinatur prætor Vicetiæ.

Ut Turcæ irruperint in Peloponneſum.

La-

Lanoja deliberata; qua abſciſſæ rupes obſtabant, ſtationes impoſuerat hominum paucorum; quæ minus videbantur tuta, validis munierat præſidiis. Quod præſertim ſpatii inter Acrocorinthum Corinthumque interjacet (id partim campeſtre eſt, partim in tumulos attollitur) hinc duobus millibus Peloponneſiorum, hinc Illyrio potiſſimum equitatu firmarat. Hac irrumpere conſtituit Liberachius. Et Peloponneſii quidem vix conſpectum hoſtium, nedum impetum ſuſtinentes, fuga præcipiti per notos anfractus calleſque in loca edita receperunt ſe ſe. Equitatus autem initio ſic reſtitit, ut paulum quoque primum illorum agmen turbaret. Sed deinde ſtipati ſuccedentes ex agmine ſecundo non reſtituerunt modo prœlium, verum etiam adverſos demoverunt gradu. Jamque Illyriorum fluctuanti ſimilis acies erat: poſtremo parte nulla virium pares funduntur. Ita facilius quam opinati fuerant, anguſtiæ ab Turcis tranſmiſſæ. Michaelius, quando non ſatis ſuppeditabat copiarum ad defendendam circa regionem; quidquid peditum colligi ea in trepidatione ab Lanoja & tribunis aliis potuit, intra Acrocorinthi contrahit muros. Equitatus reliquias nocte petere jubet Naupliam, ut & hi præſidio eſſent. Corinthum vero ab incolis deſertam, quippe parum firmam munimento, pluribus locis diruit. Ingreſſi poſtmodum Liberachii milites ſubjectis ignibus concremarunt. Tum adveniens imperator Turcarum cum cætero exercitu, cohortes aliquot relinquit ad obſidendam Acrocorinthum; a quibus fons actutum intercluditur, unde Veneti aquabantur: ipſe in provinciæ interiora penetrat; magna., quacunque ibat, illata impune clade, maxime tectorum ruinis & incendiis: nam ex multa parte Peloponneſii in montes profugerant cum pecoribus ſuis. Argos inde acceſſit, conjunctaque muro ædificia ſuccendit. Mox ala equitum ad propinquos ſaltus noſcendos miſſa, qua tranſitus eſt brevior in Arcadum & Achæorum terras; exercitu æque infeſto pergit Naupliam uſque, ſpe-

1692.

Præcedente Liberachio,

anguſtias ſuperant.

Corinthum incendunt.

Obſident Acrocorinthum.

Argos accedunt.

Inde Naupliam.

1692. ſperans ſubito terrore aliquid moturum. Ut vim arcere paratum præſidium animadvertit; equites autem renunciabant inſeſſa paſſim a Peloponneſiis montium juga: cepit repente metum ne, ſi diutius ibi moraretur, recedere tuto, cum opus foret, non poſſet. Accidebat præ-

Territi rumore advenientis claſſis Venetæ, excedunt Peloponneſo.

terea rumor adventare claſſem Venetorum; quos non dubitaret clauſtra Iſthmi illico obſeſſuros. Quamobrem, donec liceret intacto abire, maturandum ratus, eadem qua venerat via, ſeptendecim poſt dies quam Peloponneſum intrarat, egreditur; nullo tentato oppido, tumultu tantum graſſatus & vaſtatione. Haud multo poſt Naupliam appulit imperator: duplexque populorum erat gaudium, quod & Turca præter ſpem exceſſerat provincia, &, ſi denuo perrumpere conaretur, affatim copiarum ad prohibendum cernebant futurum. Argivis & Corinthiis, qui præcipue infortunium habuerant, multa benigne fecit imperator: Senatus quoque præſenti eos ope ſolatus poſtea eſt, ſubminiſtrata materia ad tecta reſtituenda; frumenti magno numero præbito in ſementem; tributoque, dum reſpirarent a belli cladibus, remiſſo. Principio jam autumni, nihil moturi amplius eo

Naupactus

anno hoſtes in Græcia credebantur: cum fuere Veneti prope periculum amittendæ Naupacti. Urbem præſidio non ſatis validam, ſi ex improviſo circumſideretur, haud difficulter capi poſſe arbitratus imperator Turcarum; Calilo Baſſæ Caſſiopes, fratris filio, dat negotium, ut cum ſex millibus armatorum eo protinus contendat. Præſidebat Marcus Venerius: qui ſimul in finibus Acarnaniæ comparari ab hoſte commeatus ſenſit, ſuſpicatus quid moliretur, miſſis ad imperatorem & præfectum inſularum Vendramenum, qui nunciarent inſtare obſidionem, auxiliumque peterent; cuncta pro facultate ad defenſionem inſtruebat. III. Non. Octobr. advenit Calilus: atque arte multimoda expertus extemplo eſt, ſi Venerius mallet, urbe ſponte tradita, obſidionem avertere. Ubi minas juxta ac promiſſa Venetus aſpernabatur; par-

tem

Digitized by Google

rem ad ortum ſolis vergentem oppugnare adoritur: equitatum autem aſſundit parte averſa murorum, quæ ſpectat mare, ut diſcrimine ancipiti diſtringeret præſidium. *1692.* *Oppugnatur a Turcis.* Nec diu vim pauci ſuſtinuiſſent; niſi ſuperveniens paulo poſt Vendramenus cum quatuor triremibus, intromiſſis militibus trecentis, equitatum hoſtium crebris ictibus tormentorum a mari petendo, illinc aliquantum ſubmoviſſet. *Vendramenus ſuccurrit,* Hæſit tum ad partem unam oppugnatio, acrior multo, poſteaquam cum Græcis quingentis Liberachius, cohorteſque Turcarum tres profectæ Thebis acceſſere. Nihil quidem habebant graviorum balliſtarum: cæterum Calilo urgente, non interdiu opera, non noctu intermittebantur; nec longe aberat, quin admoverentur qui cuniculos agerent ad muros ſubruendos. In tempore delecti milites ad mille & ducentos, ducibus Lanoja & Volo, quos ex Peloponneſo imperator miſerat, urbem intrarunt, ſimulque centuriæ tres ab Franciſco Falerio, qui Patris præerat. *Inde Lanoja, & Volus: iisdem Falerius.* Placuit tunc Venerio approperari eruptionem. Noctis ſilentio educere juſſus Illyriorum tribunus Iſiius quingentos ſuorum, expeditamque Græcorum manum; qui caſtris hoſtium imminentem tumulum caperent, atque, ut primum illuxiſſet, ex nec opinato eos aggrederentur. *Erumpunt Veneti ductu Iſii.* Paulo ante lucem Volus cum tribus cohortibus atque ala equitum regione alia egreſſus, haud procul muris aciem inſtruit, cum opus eſſet, Illyrios adjuturus. Triremes etiam ſic conſtitutæ, ut, ad augendum terrorem, alio quoque ſimularent motum. Quemadmodum imperatum erat, factum: tantumque ſubito decurrentes Illyrii tumultus præbuerunt ac pavoris, ut prima ſtatio Turcarum nulla pene contentione pelleretur. Confirmati deinde alii hortatu atque exemplo Calili, impigre reſiſtentes, parumper extraxerunt pugnam. At ubi hinc Iſiius vehementius premebat; hinc varius ab Volo atque ab triremibus accidens clamor metum injecerat ne ſimul a mari, ſimul a terra circumvenirentur: relicto loco, quem tuebantur, in *Turcæ in*

1692. propinquam vallem, ſervantes ordinem, deſcenderunt.

Vicinā vallem recipiunt ſe.

Denuo adoritur eos Iſiius, & in fugam conjicit.

Ibi reſtantes Iſiius adoritur de integro. Et, quod ſemel ceſſiſſent, pro victis cum haberent Illyrii; acriter adeo ſe intulere, vix ut illi impreſſionem primam ſuſtinuerint. Averſi in fugam, qua quemque ſors tulit, late diſſipati ſunt. Nulli eo in certamine uſui fuit equitatus. Nam ne conjungeretur cum peditatu, quo ſub prœlii initium vocarat Calilus, triremes prohibuerunt, ferrearum glandium procella infeſtum facientes tranſitum. Ergo, ut victum peditatum vidit, abiit inde, via alia fugientem eum ſecutus. Tum caſtra ab Illyriis direpta. Militaria ſigna novem capta: cæſis in pugna ſupra quingentos hoſtium, cum paulo plures inter oppugnandum interiiſſent. Ipſorum haud amplius ſeptem & triginta deſiderati. Ita quindecim poſt dies liberata Naupactus obſidione; fuitque laus præcipua apud Iſiium.

Viſſirius Candiæ imminet Spinæ Longæ.

Per idem fere tempus in Creta Viſſirius Candiæ præſes ſpem ceperat occupandæ Spinæ Longæ per proditionem. Satis credens, Venetæ claſſis diſceſſu animum decreviſſe Vincentio Paſtæ præfecto; ſique ſolicitaretur, condicionem non recuſaturum:

Per Conſulem Gallorū tentat Vincentiū Paſtam præfectum.

ad id adhibet Gallum hominem, Fabres nomine, parum memorem bonæ famæ, qui in urbe Candia Conſulis titulo curabat commoda negotiatorum gentis ſuæ. Componit hic literas ad Vincentium, quibus primum invitabat promiſſis arcem Turcis tradere; deinde adjiciebat minas: *perniciem adeſſe, ſi vim expectaret.*

Armatos admovet.

Execrante facinus Vincentio, miſſi ab Viſſirio armati ad ſexcentos, qui admoverent terrorem. Nihil ille tamen permotus, omnia inſtruebat ad propugnandum.

Contarenus auxiliatur.

Sed Bartholomæus Contarenus octo navibus ingreſſus ocyus portum, aucto arcis præſidio, metuque incuſſo

Turcæ abeunt.

Turcis, ab incœpto abſterruit.

Queruntur patres cum rege:

Id ubi Venetias eſt allatum: cum oratore Gallo de ſcelere Conſulis vehementer expoſtulare patres, ſimul flagitantes, ut rem ſtatim perſcriberet ad regem; ne auſus tam indigna tamque abhorrentia a voluntate & fide ejus, ferret impune.

ne . Ad ea orator : *facere ſe paratum , quæ ſenatus vel-* 1692.
let ; at , ſi ſalvo pudore liceat , negare interim potuiſſe fieri ,
ut Conſul committeret tale aliquid . Similia his Lutetiæ que-
renti legato Veneto Venerio Croiſſyus a ſecretis regis .
Non multo poſt Venetiis idem orator chirographum po-
ſcebat Conſulis , ut , ſi verum eſſet , ac non confictum
crimen , convinceretur . Patribus , *ad ſe exemplar miſſum ,*
cæterum penes præfectum arcis chirographum eſſe ; neque enim
ſcripta iſtiuſmodi temere permitti fortunæ , reſpondentibus : de
eo quidem ſilentium deinde fuit ; veruntamen interval-
lo exiguo temporis Fabres amotus ab rege eſt , & Con- *qui Conſu-*
ſul ſuffectus alius . Qua æſtate hæc in Græcia gereban- *lem amo-*
tur , in Illyrico non ultra fere quam incurſandis finibus *vet.*
certatum . Nuper Senatus eam decreverat provinciam
Hieronymo Delphino equiti . Hic , quando ad majora
tentanda in præſens non ſuppetebant vires ; multitudi-
nem Illyriorum ad arma exciverat , præfeceratque hono-
ratiſſimos quoſque gentis ejus ; additis centuriis aliquot
militum Italici generis , ut locis diviſis in hoſtium terras
irent prædatum . Pars Vanam fluvium non procul ejus
fontibus tranſgreſſi , Croatiam , qua in orientem ſpectat , *Illyrii Croa-*
perpopulati ſunt . Tectis inde agrorum ac vicis etiam *tiam Turci-*
quibuſdam exuſtis , non parvo hominum & pecorum *cam popu-*
potiti numero , domum rediere . Factum eo eſt , ut fa- *lantur,*
miliæ Chriſtianorum plus quingentæ in jus ditionemque
concederent : quibus data ab Delphino ſedes , agerque
attributus , & inſtrumenta colendæ terræ . Pars altera , e- *& Boſnam:*
quites ferme omnes , penetrant in Boſnæ interiora . Pro-
ſpera ab iis prœlia aliquot commiſſa cum Turcis , qui
ad prohibendas populationes concurrerant . Direptis poſt-
ea illorum terris ; alia revertentes via , tractum ingen-
tem inter Neſtum & Naronam flumina ferro ignique
evaſtarunt . Nihilo minus infeſti eodem tempore erant
populi , quos Nicolaus Eritius præfectus Aſcrivii immi-
ſerat in Tribunii vallem . Regionem circa populabundi *ut & Tri-*
pererrant . Fuga vero Turcarum paſſim cum fieret , cre- *bunii val-*
lem ;

vit

1692. vit ex alieno metu audacia; ut, Oriundo amne trajecto, pene ad Drilonem uſque fluvium rapinis incendiiſque graſſantes excurrerent. *ac regionem ultra Oriundū fl.* Accenderunt hæc iram Baſſis. Chulmienſis primus ultionem petens, Grakovum, ultro ab incolis deditum Veneto, ex improviſo invadere ſtatuit. Ac tribus circiter millibus armatorum raptim coactis, *Alaibegius mittitur ad tentandum Grakovum.* Alaibegium ducem impigrum præmittit cum equitatu; ipſe, quantum accelerare poterat, cum peditibus ſequebatur. Veruntamen Eritium haud fefellit: a quo Illyrii ad ſexcentos e veſtigio juſſi occurrere, hoſtem qui loco conſederat permunito, Gazeo eſt nomen, ibique peditatum præſtolabatur, oppreſſerunt. Nocte nihil minus timentes ac ſemiſomnes adorti intra vallum, priuſquam arma caperent & inſcenderent equos, multa cum cæde exturbant, *Opprimitur ab Illyriis & capitur.* Alaibegiumque inter alios vivum capiunt. Tum quatuor circa caſtellis dirutis & incenſis, aliquid ex agris prædæ ſecum portantes, Aſcrivium repetunt: Baſſa autem magis, quam pro accepto damno territus, conatu omni abſtitit. Fortuna meliore *Albaniæ Baſſa populos ad M. Nigrū aggredi parat.* uſus eſt poſt aliquanto Suleimannus Baſſa Albaniæ, exercitu novem ferme millium finibus ſuccedens colentium ad Montem Nigrum. Præmonitus Eritius miſerat illuc modicam militum manum qui obſervarent hoſtem; &, ſicubi arctis locis oblata occaſio foret, aggrederentur. Sed cum ſenſiſſent opinione majores copias eſſe; regreſſi inde afferunt, videri Aſcrivium eas ſpectare. Acceptis in fidem Montis Nigri populis, munierant Veneti in arcis modum Cœnobium ſacerdotum Græcorum in tumulo ſitum, octodecim millia paſſuum ab Aſcrivio, propugnaculum genti ut eſſet. Huc tendebat Suleimannus: Eritius, viribus licet multo minoribus, venerat ad Cœnobio proxima; juſſis præcedere Illyriis bis mille ad anguſtias callium, qua tranſiturum eum putabat, inſidendas. *Fugat Illyrios:* Verum, hoſte vix conſpecto, terga ab illis data. Itaque, nullo repugnante, progreſſus Suleimannus, poſtero die in ſtationem Venetorum impetum facit. Acrius,

crius, quam pro numero reſiſtentium, prœlium fuit. Et diu fruſtra conatus Turca vallum ſupergredi, omiſſo demum incœpto, dextra flectit ad Cœnobium. Erat in propinquo ſeptum, circuli forma, pro muro lapidibus ſine calce circumdatis. Ad id primum vim admovet. Quanquam autem milites tuebantur haud plus ſex & triginta; attamen bis repulſus, non ante potitus eſt, quam illi dimicantes caderent ad unum omnes. Tum Cœnobium adoritur. Apparebat, cum armis operibuſque oppugnarentur, non multo tempore reſtituros qui cuſtodiebant. Quare paciſcente Eritio, ut abirent milites cum armis & rebus ſuis; ut munimenta everterentur; neve qua Græcis ſacerdotibus fieret injuria, quibus Cœnobium & templum inviolatum ſervaretur: deditio eſt facta. Ac cuncti quidem cum fide ab Turca dimiſſi. Cæterum ſeu odio in Græcos, ſeu metu ne rurſus Veneti præſidium imponerent, Cœnobium templumque a fundamentis diruit. Interim cum audiſſet, contrahi undique ab Delphino militem, jamque armata navigia permulta Aſcrivium perveniſſe: nihil ultra auſus tentare, exercitum reducit in fines. Contra Illyrii, priuſquam circumageretur æſtas, iterum terras hoſtium incurſantes, quæ intacta priore populatione fuerant, circa Naronam atque Oriundum amnes, pervaſtarunt. Manipuli complures obſiſtentium Turcarum cæſi; pagi nonnulli ſuccenſi; captivi non pauci, prædaque omnis generis alia inde abducta. Polonos hoc anno impedierunt diſſidia principum primo, deinde ærarii inopia; ut petiti ipſi potius ab hoſtibus ſint, quam arma intulerint. Reconciliata utcunque concordia, legatur ab rege Romam, oratum a Pontifice auxilia, Carolus Mauritius Votta e Societate Jeſu: qui tamen, quamvis multum ac diu connixus, pecuniam in ſtipendium dierum vix paucorum impetravit. Maligne conferebant vel Poloni; ægreque propterea conveniebat miles ad ſigna: ut præfectus copiarum, adulta ſolum æſtate, exercitum valde infrequentem induceret in

1692.

Potitur caſtello uno,

& Cœnobio:

quod diruitur.

Redit Baſſa in fines.

Excurſiones Illyriorum.

Legatio regis Poloniæ ad Pontificem, irrita.

1692. in Cameneciæ fines; ibique, quia viribus iis nequicquam oppugnaturum ſe oppidum præſidio firmum cernebat, æſtatis reliquum aſſidendo tranſigeret. Neque Turcæ ante initium autumni moverunt quidquam: quæ mora ſalutaris fuit Sorokæ; cui arci timens rex, muniendam interea operibus & milite curarat. III Kal. Octobr. vi circumfuſa armatorum, aggreſſus eſt oppugnare Rap Baſſa. Poſtquam ſatis erat prorutum muri; per apertum ſtrage iter delectas cohortes jubet invadere. Ter obſeſſi hoſtem repulere. Qua re cum creviſſent animi: nocte proxima, pluribus ſimul locis erumpentes, tantum tumultus ac cædis in ſtationibus operibuſque fecerunt, ut poſtero die Turcæ, collectis raptim impedimentis, abſcederent; amplius quatuor millibus ſuorum ea in oppugnatione amiſſis. Tunc demum præfectus Polonorum accedit propius ad Cameneciam; caſtelloque excitato, inſtruit obſidionem, vere primo admoturus machinas.

Exercitus Polonorum ad Cameneciam.

Sorokam fruſtra tentans Turca.

Dum hæc aguntur, legatus ab rege Tartarorum venit Varſoviam. Cauſa præferebatur, ut officium impleret ſolemne regibus novis erga reges amicos: ſed vera veniendi fuerat, ut, propoſitis condicionibus reconciliandæ amicitiæ cum rege Turcarum, Polonos ab Cæſare & Venetis abduceret. *Quidquid in pace componenda per regem ſuum tranſigeretur, Conſtantinopoli ratum fore*, affirmans, edebat leges: *Turcas ceſſuros Camenecia, Podolia, Uchrania: ſi quid autem Polonis periculi a Moſchis deinde oriretur, juſto exercitu auxiliaturos*. Nihil oblata utilitate movebatur rex: quin fidei tenax dimittendum protinus cenſebat legatum. Ubi primores Polonorum tædio belli pronis auribus pacta accipientes, neutiquam dimittendum putabant; haud paſſus eſt, hæc fœderatis latere: tametſi quædam animum ejus habebant ſuſpenſum; interdum etiam verebatur ne Cæſar, ſe inconſulto, pacem pangeret cum Turcis. Multum quidem aberat in præſens, ut ea conveniret. Nam frequenti in concilio, cui Pagetum etiam atque Heemskerkium, legatos Auriaci & Belgarum,

Turca per regem Tartarorum agit cum Polonis de pace.

Non audit Jo: rex.

Secus Poloni.

Rex certiorem facit Cæſarem:

inter-

intereſſe voluerat princeps Viſſiriorum, recitatis condicionibus, quas Tauruni Belga aperuerat imprudens; adeo viſa ſuperba poſtulata, ut omnes uno conſenſu, quantumvis augenda eſſent onera tributorum, continuandum utique bellum ſucclamarent. Attamen Joanni regi, quandiu legati manerent Hadrianopoli, ſuſpecta Cæſaris erat fides: præſertim poſtquam cohortes aliquot Germanorum locum caſtris hybernis ceperant in tractu Scepuſienſi, ultimis finibus Pannoniæ ad Carpathum montem. Comitatum appellant; quem annis ante ferme trecentis Sigiſmundus Imperator Romanorum ac Pannoniæ rex, grandi pecunia accepta, oppignerarat Uladislao regi Poloniæ: conceſſum ab Ordinibus regni Princeps Luboumiſkius tunc tenebat, magnus Mareſchallus. Viſum Polonis periniquum, ac prope hoſtile. Itaque & Luboumiſkius, libellis vulgatis, circumferebat querimonias toto regno; & rex per Samuelem Proskum cum Cæſare de injuria expoſtulabat. Excuſare factum is: *ſe inſcio, milites illuc intraſſe: daturum operam, ut quamprimum excederent; incolumi tamen jure ſuo in eum Comitatum, cujus confeſſionem juris haberet ab ipſis Scepuſienſibus, qui occipienti ſibi Pannoniæ regnum ultro dixiſſent ſacramentum, ſe in fide perpetuo futuros*. Tum enimvero tulit graviter Poloniæ rex, trecentorum annorum ſpatio firmatam poſſeſſionem turbari, infringique illa, in quæ ſancte obſervanda juraſſet cum Rodulphus Cæſar ac rex Pannoniæ, tum Maximilianus Archidux Auſtriæ; quem bello captum hac lege in libertatem reſtituerant Poloni, ut ne ab Pannoniæ regibus Comitatus Scepuſienſis unquam repeteretur. Haud procul aberant iræ. Sed intervenientibus legatis Pontificis & Venetorum, eo paulatim perducitur res, ut Cæſar, poteſtate abdicata recuperandi Comitatus, promitteret, Germanum militem in poſterum ibi non hybernaturum. Gallicum bellum hoc anno geſtum eſt fortuna varia. Capto Namurco, redierat quidem Ludovicus in regnum. Cæterum Mareſchallus Lucemburgicus non mul-

1692.

Controverſia de Comitatu Scepuſienſi, inter regem & Cæſarē.

Componitur per legatos Pontificis & Venetorum.

Pugna ingens in Bel.

Digitized by Google

1692. multo poſt cum Auriaci & fœderatorum copiis conflixit prœlio atroci, medio ferme ſpatio inter Montes & Bruxellas. Cæſa multa utrinque hominum millia. Quando autem neutro ſatis inclinarat mars; uterque ad ſe victoriam traxere. Alibi minime dubie victor Gallus hoſtem ſuperavit. Pars Germanici exercitus damni aliquid trans Rhenum inulti intulerant Gallorum terris: inde flumine rurſus trajecto, prope Edeſſein, id loco eſt nomen, conſederant. Illuc profectus agmine citato Lorgius dux Gallorum, improvidum hoſtem, ſolutum, agitantemque convivium oppreſſit; numerum magnum cecidit, reliquos fugavit, Principe Vvirtembergenſi qui imperabat, & ducibus captis aliis. Parva tamen videri ſecunda hæc poſſint ad ea, quæ tulit adverſa prœlium navale; quo Gallorum claſſis duce Turvillio devicta eſt, contra Ogigiam Normanniæ portum, ab conjunctis claſſibus Britannorum & Belgarum. Naves admodum multæ incenſæ demerſæve; in quibus vis nautarum ingens & militum interiit: omninoque par exinde Gallus hoſtibus juſto navali bello haudquaquam fuit. In Italia quoque adeo nihil profecit, ut bellum etiam acceperit in fines ſuos. Per agrum Sallutiarum octodecim millibus peditum, ſeptem millibus equitum tranſgreſſi fœderati in Delphinatum, Embroduno, horreo tunc Gallorum, quo commeatuum congeſſerant omniumque militarium rerum copiam, altero poſt die quam exercitum admoverant, potiuntur. Continuo Vapincum occupant deſertum fuga cuſtodum. Satis creditur, ſi ire perrexiſſent, brevi opera Brigantium & Gratianopolin fuiſſe in poteſtatem redacturos. Sed cum Victorius offendiſſet animos, inique, ut ferebant, diviſa Embroduni præda, ac deinde incidiſſet in morbum, ibi ſubſtitere; ut ſpatium Gallis eſſet milites colligendi, qui urbes eas tuerentur. Interea appetente autumno, quod ſolicitabat timor ne caſu nivium intercluderentur Alpium tranſitu, in Italiam reverterunt. Ac denuo fiduciarii Cæſaris coacti hyberna præbere Germano

gio, dubio exitu.

Lorgius Germanos cædit ad Edeſſein.

Navale prœlium ad Ogigiã adverſũ Gallis.

Fœderati hoſtes Gallorum tranſcendunt in Delphinatum.

Capiunt Embrodunum, & Vapincum.

Redeunt in Pedemontium.

Fiduciarii

mano militi. Grave populis indictum tributum; dura atque indigna alia impoſita: ut familiæ quædam, ſeu quia non erant tolerando, ſeu quod ſibi metuebant pejora in diem, verterent ſolum. Fruſtra a Principibus Viennam legati, qui deprecarentur acerba hæc. Genuenſium Civitas & Mutinenſis Dux ante cæteros pecuniam imperatam recuſabant conferre. At Germani nacti aliam premendi viam, uſuras pecuniarum, quas Genuenſes in ærariis Neapolitani regni, Siciliæ, ac Mediolani collocatas habebant, ad ſe averterunt. Mutinæ autem Ducis terras novem millia armatorum, Germani Hiſpanique permixti, jam miſſi fuerant ut popularentur: veruntamen pepercere, poſtquam is, ſuadente atque hortante ſocero Duce Parmenſi, Mediolani præſidis arbitrio diſceptationem permiſit. Cum hæc permoleſta accidebant Pontifici; tum magnopere miſerum & luctuoſum alterum verebatur, ne dogmata impia ſpargerentur in populos, augeſcente quotidie multitudine hominum ab Calvino aut Luthero, qui undique ſtipendia facturi ad exercitum Sabaudiæ Ducis confluebant. Nova quoque cura conficiebat animum, quod magis & magis belli cauſa vires creſcebant Heterodoxorum. Per id enim tempus Cæſar, ſibi ut adjungeret Ducem Hannoverenſem, validum opibus in Germania, & in quo nonnihil eſſe videbatur ad res inclinandas in Galliæ regem, ſi hic, quod efficere jam conabatur, ad partes pertraheret ſuas: augere numerum Electorum Imperii non dubitarat; octo, qui tunc erant, Hannoverenſi nono addito. Quamobrem ne exiſterent mala alia, ocyus præcavendum ratus, primo Victorium modis omnibus curat perpellere, ut legibus æquis bellum in Italia finiat. Deinde legatis apud ſe regum vehementer inſtat, obteſtentur regem quiſque ſuum, ne ſinant damna majora inferri Catholicæ religioni; neve tam pulchrum ducant extendere imperii fines bellando, quam, ne detrimentum illa capiat, honeſtis condicionibus pacem facere. Hæc eadem, mandat legatis

1692.

Cæſaris premuntur.

Angor Pontificis.

Dux Hannoverēſis Elector creatur.

Pontifex hortatur Victorium & reges ad pacem.

Digitized by Google

1692. Lutetiæ, Madriti, Viennæque, ut & ipſi coram exequantur apud reges: Senatum autem Venetum accuratius incitabat: *ſuſciperet cogitationem ſe dignam. Sæpe alias ipſum in Italia, atque extra Italiam arbitria belli paciſque egiſſe: nonnunquam etiam ſua impenſa, ſuo labore, ac periculo dimicaſſe pro libertate aliorum. Hoc maxime tempus egere ſapientia & virtute ejus. Nam ut fœda & intoleranda ſint, quæ nunc provincia patiatur; multo quidem certe atrociora timenda, ubi, parte alterutra armis ſuperante, neceſſe ſit fortunam legeſque ſubire, quas victor dederit. Unam, qua arceatur diſcrimen tantum, viam eſſe; ut, dum Galli Germanique videantur pares bello, pax componatur. Anniterentur in id patres, quantum gratia, quantum auctoritate valerent. Non deſperare ſe ſe, ſi conſociata opera cum legatis ſuis urgeant ſimul legati Veneti, inveniri exitum controverſiarum aliquem poſſe. Sin videant obſtinatos; denunciarent, per utros ſtetiſſet ne ab armis diſcederetur, adverſus eos quid ſibi capiendum eſſet conſilii conſideraturos. Neutros enim ignorare, quantum momenti ad ſummam belli in Italia allaturus foret accedens Venetus ad alterutros.* His ipſis diebus orator Galliæ regis in Collegio diſſeruit eadem fere, quæ anno ſuperiore Rebenachius. *Si quæ ille ſalubria tunc admonuerat, facere etiam in animum induxiſſent patres, futurum jam nullum amplius in Italia bellum fuiſſe. Nunc, ipſis ceſſantibus, quotidie magis civitates obnoxias premi; ac niſi quamprimum auxilio præſenti ſubveniretur, comploratam ſalutem eſſe. Seu adjutores ſe, ac duces præbere demum Italis opem implorantibus ſtatuant; rem minoris, quam forte videatur, difficultatis ac laboris fore: nam & illis, qui, dum appetuntur ſinguli, pares non ſunt, vires ad repugnandum non deeſſe conferentibus in unum copias; & Cæſarem ac Victorium, ſimul Venetum paratum intelligant tueri communem libertatem, alia conſilia ſecuturos. Seu pacem præoptent; non recuſare regem, quominus ea fieret non in Italia ſolum, ſed etiam ubicunque bellum gereret: ceſſurum vel parte maxima illorum, quæ victor armis aſſeruiſſet imperio ſuo, ſi alia tranſigendi ratio non eſſet. Efficeret ſenatus,*

Petit a Venetis auxilium adverſus impendentia mala.

Legatus Gallus tentat Venetos.

1692.

tus, ut Germani Hiſpanique audirent de condicionibus. Vereri tamen magnopere ſe ſe, ne pactionem quamlibet reſpueret utique Cæſar, cui propoſitum eſſet nullo incommodo ſuo alere in Italia exercitum; ut, ſi rex Hiſpaniæ valetudine jam afflicta moreretur, protinus invaderet urbes Inſubriæ. Haud ita multo poſt Germanus orator, ſuſpicatus ſuper qua re Gallus patres adiiſſet, Senatum rogabat, *ne communibus hoſtibus Cæſarem criminantibus fidem haberet. Horum culpa contractum bellum; ut qui Italiæ compedes injicere jamdudum conarentur. Poſteaquam occurrerit vindex Germanus, non deſiſſe jactare ſtudium pacis; per quam videlicet oppida retinerent fraude intercepta. Satis conſtare, non ante fore liberam penitus provinciam, quam undique pellerentur finibus. Eo nimirum copias, quibus ad bellum Turcicum magnopere egeret, non revocari ab Cæſare. Si quid autem impenſarum in id ſuſtinerent civitates fiduciariæ; neutiquam grave eſſe debere, quibus ſalus communis cara eſſet. Hæc calumniando, detorquendoque in deterius, Gallos ſuſpecta facere & inviſa. Si res ad verum redigeretur, unice trahi Cæſarem in invidiam, quod cupiditati figendi in Italia dominatum unus obſiſteret.* Nihil erat, quod longam redderet deliberationem patribus. Pacem optabant: ſi armorum certaminibus imponi finis non poſſet, neutram partem volebant potentiorem altera oppreſſa fieri. Cæterum ſtabat illud, donec bellum eſſet cum Turcis, abſtinere bellis aliis. Quamobrem, quod licebat unum per temporum condicionem, non omiſerunt. Oratoribus ſuis mandant, communiter cum legatis Pontificis in id omnino incumberent, ut finirent aliquando reges inter ſe odia, pacemque æquis condicionibus Europæ reſtituerent. Ac nihil quidem prætermiſerunt legati, ut cœptum eveniret. Verum præterquam rex Galliæ non abnuebat pacis cauſa referre cuncta ad fœdus, multos ante annos Noviomagi ictum, cedereque locis quæ exinde occuparat; quod vero attineret ad Jacobum Britanniæ regem, ea afferebat in medium quæ honeſtum eſſet non reſpuere: nihil uſpiam pacati audiverunt. Confirma-

Obviam it orator Cæſaris.

Senatus hortatur reges ad pacem:

Unus Galliæ rex audit.

Cæteri omnes bellū præoptant.

1692. firmabat ſociorum animos Auriacus; cujus maxime intererat continuari bellum, ut armorum præſidio tutior regnaret. Is facta Cæſari atque Hiſpaniæ regi ſpe commodorum ingentium, ſi in propoſito perſtarent; Victorio autem, ut a condicionibus averteret, quas ponebat rex Galliæ, pecunia præbita, cujus vim magnam quotannis eliciebat a Britannis: obtinuit brevi, ut mentio pacis prorſus abjiceretur. Interim Venetiis imperator ſublegendus erat Mocenico. Qualem poſtulabant res præſentes, non facile inveniebatur; ut eſſet propterea valde incerta conſultatio. Ibi ortus ſermo primum a paucis, mox inter plures diſſeminatus: *ſi ex omnibus optimus quæreretur, rurſus ei bello præficiendum Maurocenum Principem. Quem enim reperiri in civitate parem artibus militiæ, cognitum magis ſuis, metuendum hoſtibus? Perfunctum illum quidem laboribus, laborumque præmiis. At ventum ad id locorum, ut extraordinariis conſiliis egeret reſp. Et ipſi pulchrum fore adjeciſſe aliquid gloriæ ſuæ, quæ ſumma eſſet; & civitatem ſapienter facturam, ſi, qui Superum beneficio datus reſervatuſque fuiſſet unicus imperator, eo arduis temporibus uteretur*. Ergo convocatis comitiis majoribus, converſæ in Maurocenum voluntates ſunt. Ac initio pars maxima Senatus, nam hic antea conſulitur, cum ejus nomen in urnam conjeciſſet; nequicquam conati Sexviri comitiis regendis impetrare, ſe ut jam ſenem licet & ægra valetudine, deſignari ſineret imperatorem. Verum, ubi ſtudiis magis accenſis, nomina aliorum, quæ pronunciari cœpta fuerant, præ ſtrepitu audiri non poterant, ut appareret, haud paſſuros quenquam creari præter Maurocenum; impenſius autem idem orabant denuo Sexviri: victus demum eſt conſenſione Civitatis. Perfertur continuo in comitiis lex (ſic nanque ſolet, cum qui imperator creatur, Princeps eſt reip.) fieret ſ.c. de rogando Mauroceno, munus imperatorium de integro ut ſuſciperet. Poſtridie vero ejus diei cum in comitiis ſ.c. recitatum eſſet: ſurgens Maurocenus, corona depoſita, qui mos eſt allo-

Agitur Venetiis de creando imperatore.

Expoſcitur Maurocenus Princeps.

Is primo recuſat:

Deinde aſſentitur.

alloquentis Civitatem in comitiis congregatam, *approbent* 1692.
Superi, inquit, *quod facitis, cives: mihi quidem quartum &* *Oratio eius in comitiis.*
ſeptuageſimum agenti annum, rebuſque gerendis jam feſſo, optabile erat, quantuluncunque ſupereſt ſpatium vitæ, in patria quiete tranſigere: quando aliter vobis videtur, quartum imperator ad exercitus proficiſcor. Ut vires corporis imminuerit longa ætas; animus tamen idem eſt, eritque, qui ſemper fuit: certans mecum ipſe annitar, ut tanto de me conſenſu veſtro opinionem, quæ maxima ſit, etiam conſtantem uſque ad extremum efficiam. Habetis interea ſpecimen voluntatis erga remp. meæ. Qui propter ſenium grave de reditu deſpero; attamen quia me vobis profuturum creditis adhuc, neutiquam piget extra patrium ſolum, procul a cariſſimis, mortem occumbere. Hæc dicentis virtus, & in patriam pietas tam præclara admirationi eſſe: plurimum inſuper tacita alacritas, quæ ex vultu emicaret, ac pene ſubeuntes lacrymæ commendabant. Memoria rei prope exoleverat vetuſtate exemplorum, ire ad exercitus Ducem reip. ipſum: eo magis non Venetorum modo, ſed etiam externorum erecti expectatione ſunt animi. Patres, cunctis pro Principis ma- 1693.
jeſtate apparandis intenti, navales terreſtreſque copias, *Inſtruitur profectio,*
quantum per temporis anguſtias poterant, augere. Addunt pecuniam grandem; copiamque ſuppeditant bellicarum rerum. Triremis data, qua veheretur, ornatu regali: conducti quoque duces bello clari, quibus uteretur legatis. Placuit inde profectionem indici in diem IX. Kal. Jun. Quæ ubi dies advenit, comitante Senatu, magnaque ordinum omnium frequentia, ſecundum ſolemne *quæ magni ſpectaculi*
ſacrum, Maurocenus paludatus procedit in aream ad *fuit.*
templum Marcium, arcuatis magnifice molibus, ſignis, columnis, aliis peregrina tunc arte ad ſpeciem famamque rei adhibitis, ubique exornatam, quacunque ingrederetur, inter clamorem & favorem ominantium felix fauſtumque imperium. Viſum ibi quibuſdam abhorrens ab libera Civitate, *militarem baculum manu eum geſtare, imperii inſigne. Alium prorſus habitum fuiſſe*, memorabant, *Henrici*

Digitized by Google

1693. *rici Danduli Principis, Crucem manu præferentis, cum ad Conſtantinopolitanum bellum exiret.* Sed defendebat Maurocenus auctoritate Senatus, *qui ſe voluiſſet uti inſignibus imperii: inter ea autem maxime eſſe baculum militarem.* Ne ſtatim conſcenderet impediit dies, quæ curſum navibus non daret. Poſtridie nactus facilem tempeſtatem, Bucentauro navi regia, pompa eadem deducentium, littus petit. Minora etiam vero dicendo faciam, ſi exequi velim, quantæ ea profectio celebritatis fuerit: concurrerat enim undique multitudo videndi cupida non ſolum ex urbe, ſed ex Italia pene univerſa; ut & terra omnis circa, unde ſolvebat, & æſtuaria quovis late ſtrata genere navigiorum, proſpectantium turba referta eſſent. *Exſcendit Maurocenus ad Fanū D. Nicolai.* Ad D. Nicolai cum exſcendiſſet; nuncupat rite vota, proſpera ſibi & claſſi a Deo precatus. Continuo perſolutis ab Senatu officiis cunctis in abeuntem, imperatoriam inſcendit triremem; cui rurſus præfecerat Michaelem Maurocenum fratris filium, minime dubiis indiciis *Solvit.* gloriæ ſuæ jam ſuccreſcentem. Profectus vento vehementi ſatis, Illyrici atque Epiri legit oram; populis paſſim effuſis ad habendum honorem. Mox Peloponneſum *Epidaurum pervenit.* circumvectus, ſecundo & trigeſimo poſt die Epidaurum tenuit. Traditum ibi ab Mocenico exercitum luſtrat: *Ad Piræum conſultat quid aggrediatur.* inde navigat Piræum; quo poſtmodum triremes Romanæ & Melitenſes pervenerunt. Tum, quam in partem intenderetur bellum, agitatum in concilio eſt. Conveniebat, non eſſe e dignitate, parva aggredi: inter magna, niſi longius a Peloponneſo, quod erat periculoſum, abducere claſſem vellent, Chalcis præcipue occurrebat. Et hujus quidem oppugnationem Princeps ipſe jampridem deſtinarat animo; eodemque facile aliorum inclinabant ſententiæ. At nondum tantum ſuppetebat virium, ut dividendo exercitum, ſimul tentaret urbem viris, armis, operibus egregie firmam, ſimul aditu Peloponneſi intentos in opportunitatem irrumpendi hoſtes *Placet* prohiberet. Ergo in ſequentem annum rem differri placuit;

Digitized by Google

cuit; ſpatium interim ut eſſet augendi copias, atque omnia ad oppugnationem inſtruendi. De his cum ſcripſiſſet ad Senatum; petiiſſetque, ut quæ pararentur auxilia, vere primo adeſſent: æſtatis reliquum muniendis arcibus, exercendoque milite traduxit. Appetente autumno, ſpes objecta repente eſt, ſi Smyrnam extemplo tranſiret, opprimendi Afrorum naves; quas, ut Turcarum claſſi ex Ægypto revertenti præſidio eſſent, illuc propediem tranſmiſſuras afferebatur. Quare octo ferme millibus militum Zeno traditis, quibus tutaretur Peloponneſum; juſſoque Bartholomæo Gradonico præfecto quinqueremium, ſex quinqueremibus, ſeptem navibus celſioris formæ, ac triremibus quatuor haud procul Cenchræis eſſe in ſtatione: ipſe cætera claſſe VI. Id. Septembr. Smyrnam petere intendit. Triduum circa Andrum ſeptentriones venti tenuerunt. Scyrum inde navigat: unde vento plerunque adverſo trajiciens Chium inſulam, comperit Turcas Helleſpontum paulo ante curſum direxiſſe, Afris domum remiſſis. Ne irrito incœpto reverteretur, ſubibat cogitatio, protinus ducere ad Helleſpontum, ſi forte, priuſquam fretum intrarent, hoſtium adipiſci claſſem poſſet. Ibi rumor minime obſcurus ad aures venit, *omnium ferme votis deſignari Chii obſidionem. Ni obſtet verecundia, præfectos palam ſuaſuros. Satis credere, neque rem ullam viribus præſentibus ſuſcipi magis dignam Principe imperatore; neque Turcas, ut procul belli metu, improvidos atque imparatos, multum moræ oppugnanti prabituros.* Quanquam ab conſilio tali longe abhorrebat Maurocenus; tamen, ne locus poſtea eſſet querendi, prætermiſſam occaſionem adjiciendæ imperio inſulæ: vocat in concilium duces. Et ut ordine interrogati ſententiam, deſcenſionem confeſtim faciendam cenſebant ad unum, oppidumque oppugnandum: *bene vertat*, inquit, *quando ita placet, Chium aggrediamur. Fortaſſe impendio haud magno potiemur inſula pulcherrima & opulentiſſima, portu inſtructa egregio, ſita inſuper opportune ad impetus in oras Aſiæ faciendos. Cæterum,*

Marginal notes: 1693. — *Chalcidem tentari anno inſequenti.* — *Maurocenus Scyrum trajicit;* — *inde Chium.* — *Videtur omnibus Chius oppugnanda.* — *Diſſentit ipſe.* — *Oratio ejus in concilio.*

1693. *quia pro certo eſt, retinendæ facultatem non fore; cedere autem inde coactis multo graviora damna ſubeunda, quam allaturi ſimus ea hoſtibus adempta: Superos teſtor homineſque, qui unus a vobis in hoc diſſentiam, culpa me futurum exortem, ſi quid poſtmodum, omen abſit, contingat adverſi. Ac ne quiſquam non ſatis prædictum putet: inſula Chios eſt, qua utique carere Turcæ non poſſint. Hæc illis horreum atque armamentarium: huc ſociis navibus rectus ex Africa curſus eſt: hinc Aſia Minor potiſſimum imminet Ægæo: hæc propugnaculum Helleſponti; unde, nobis invitis, haud facile in poſterum emittere claſſes queant. Ergo magni illico motus ad eam armis repetendam futuri ſunt; populis, velut ad commune reſtinguendum incendium, ultro concurrentibus. Et ipſi quidem in ſede ſua gerent bellum; viros, arma, armamenta, aliumque militarem apparatum, certatim ſubminiſtrante Aſia, cumulata habituri. Nobis vero, quacunque circumſpexerimus, inter inimica infeſtaque, ſupplementum, pecunia, commeatus, & reliqua, uſus quæ poſcunt, cum procul, tum mille ſub caſibus maritimis erunt. Ecqua ſpes eſt fore, ut tantam molem belli muris incluſi, atque undique preſſi ſuſtineamus? Ne mari quidem, ut numero ac robore præſtemus navium, fuerimus pares. Autumno juxta atque hyeme ſeptentriones ſic ferme tenent, ut ſi, capto ad pugnam tempore, decurrat in fretum hoſtis, arte nequeat ulla reſiſti. Quid ſi, dum hic oppugnando, obſiſtendove oppugnantibus fatigamur, ex Achaja validus exercitus adoriatur Peloponneſum? Auxilia ſcilicet egentes ipſi illuc mittemus. Quam vereor ne ſit leviſſimum malorum, ſubigi vixdum redactam in ditionem inſulam relinquere! Timor ille magis angit, ne circumſeſſis ſtet poſtmodo receptus jactura ingenti; neve non ſolum nobis ſpem præcidamus potiundæ Chalcidis, ſed etiam, dum procul ſita appetimus cupidius, in maximum periculum Peloponneſum claſſemque adducamus. Neque me, ſi quis hoc forte animo occupandam inſulam arbitretur, ut, ea direpta ac munimentis urbis everſis, illinc ſtatim abeamus, prædæ permovet magnitudo. Minimum nanque nocuerimus Turcis. Incolæ propemodum omnes Chriſtianos ritus colunt: ſpectare autem id præcipue, ut horum bonis locupletemur, nefas duco.*

1693.

duco. Habetis de Chia quid ſentiam. Quod reliquum eſt, vobis auctoribus, Chios oppugnabitur. Ego numquam minus velim, quæ eventura ſunt, recte præmonuiſſe. Secundum ejuſmodi orationem ſilentium primo fuit: mox, ſeu quod ita putabant, ſeu quia pudor erat ire contra ſententiam Mauroceni, fateri univerſi, *videre eum impedimenta, quæ ſibi non apparuiſſent.*

Aſſentiuntur ei omnes.

Una tunc conſultatio eſſe, Helleſpontumne peterent, an reverterentur in Peloponneſum. Sed jam hoſtes prægreſſos longius, nunciabatur: morbis etiam vulgo exortis, parabant diſceſſum Melitenſes ſocii. Ob hæc mora nulla in Peloponneſum redeundi facta;

Redeunt in Peloponneſum.

quæ celeritas metu nonnullo liberavit provinciam. Ad undecim millia Turcarum circa Thebas convenerant. Jamque cum tribus millibus præceſſerat Liberachius: & caſtris ad Megaram poſitis, qua potiſſimum tentaret Iſthmi fauces, explorabat. Verum ſimul e ſpeculis ſignum datum eſt, claſſem Venetam adventare; caſtris incenſis, quam ocyſſime ad ſuos recepit ſe ſe. Maurocenum vero, prius quam Naupliam concederet in hyberna, ad Æginam claſſe appulſa, cupido cepit muniendi nobilem inſulam, ubi pars navium conſiſteret, ad Saronicum ſinum & Corinthi oram tutandam. Occuparat ipſe Cretico bello, octo & triginta ante annis; arcemque diruerat. Quare adhibita opera Sebaſtiani Mocenici, Adriatici ſinus præfecti, tecta muroſque reſtituit. Turris etiam inædificata, quæ cuſtodia eſſet portus. Tum præſidio impoſito, Dominicum Maripetrum præficit, cujus poteſtati & Salaminam inſulam voluit ſubeſſe, Atticæ proximam; ne forte hoſtes, cum de pace ageretur, ambiguam facerent poſſeſſionem ejus.

Salaminam inſ. adjicit præfecto Æginæ.

Lætum Æginetis fuit; ſubmoto metu ab Turcis, quibus, quia ſine munimento erant, vectigal pendere cogebantur. Attici paulo poſt, qui cum Æginetis haberent commercia, deſtinatis Naupliam ad Maurocenum legatis, ultro in jus venerunt ditionemque, pacti tributum, quatuor & viginti pondo auri Venetis exinde annuum.

Atticos accipit in ditionem.

Calauriam, inſulaſque alias firmat.

Calauria quoque, anguſto

Digitized by Google

1693. ab Peloponneſo diviſa freto, inter Bucephalum & Scyllæum promontoria, parvæque inſulæ aliæ aditu in ipſo Argolici ſinus, firmatæ caſtellis, attributæque præfecto Thermiſſi; quo tutior deinde ſinus foret; neve quid Peloponneſo adjacentium inſularum Veneto imperio non videretur adjectum. Hæc agente Mauroceno atque inſtruente ſimul neceſſaria ad oppugnationem Chalcidis; intervenit calamitas, quæ, magno reip. damno, meditata

Morbo corripitur. disjiceret. Hyemis initio mors oppreſſit quam matura, tam acerba. Difficili ex morbo jam prope convaluerat, cum ſubito recidit in graviorem; ea debilitate, ut ſtatim timerent ne tunc ultimum ægrotaret. Atque irritis re-

Obit. mediis, triduo poſt extinguitur: is dies erat a. d. VIII. Id. Januar. Elatus Naupliæ eſt omni apparatu atque hono-

Funus eius. re militari. Venetiis deinde regali magnificentia perſolvere juſta patres. Inſigne utrobique triſtitia maxime & pietate funus fuit. Externæ quoque gentes tulere gravi-

Elogium. ter jacturam Ducis tanti. In Civitate, tempore quovis præſtantium bello virorum fœcundiſſima, prorſus non reperias, quem geſtorum magnitudine ac varietate cum Mauroceno conferas. Adoleſcens profectus ad maritimæ militiæ rudimenta in Græciam, ibique gradus omnes emenſus; quarto & vigeſimo poſt anno, præclare factis, obitoque munere imperatorio nobilis in patriam rediit. Summæ inde prapoſitus denuo, Turcas Candiam oppugnantes triennium fatigavit: poſtquam acciſæ res erant, ſic ceſſit, ut tamen videretur leges pacis victoribus ipſe ferre. Creatus tertio imperator clarum ſibi cognomen ſubacta Peloponneſo peperit; clarius facturus ex Eubœa, in qua primum tentanda licuit in illum fortunæ, quod licuerat nuſquam alibi, ni exacta ætate quartum venientem ad bellum, jamque animo ac viribus imminentem Chalcidi, repente mors abſtuliſſet. In eo certarunt imperatoriæ virtutes, providentia, fortitudo, induſtria, ad quævis ardua, atque in ipſis arduis conſilium audax & expeditum: maxime neceſſaria continendo imperio

gra-

gravitas ac dignitas, at ſimul grata militi & adeuntibus humanitas atque affabilitas: habitus etiam corporis, ſuavitate quadam oris admixta, virili, vereque militari aſpectu decorus. Ut difficultas nulla belli, ita cupiditas nulla ſuperavit, adverſus quamlibet excelſum invictumque. Sumere opportune iram norat, ponereque. Diſciplinæ cuſtodiendæ diligentiſſimus, vindexque acerrimus ſi qui ſolverent: æquitate præmiorum, & pœnarum ſummos infimos retinuit in officio. Multitudo expeditionum ac diuturna inter eas mora tribuerat, peritiſſimus ut eſſet terreſtrium maritimarumque regionum; ventos autem ita calleret, ut omnes, quotquot artem eam profiterentur, longe vinceret. Non ſatis quis ſtatuerit, pluris ne illum hoſtes, an ſui fecerint: ut neque Turca alium quenquam præfici claſſibus Venetis minus vellet; neque Venetus miles alio duce tantum confideret aut auderet. Patres, ut optime de rep. meriti Principis fama perennis conteſtataque eſſet, monumentum inſolitum in aula, quam appellant Scrutinii, collocarunt, ibi etiam inſcriptum. *Franciſco Mauroceno Peloponneſiaco Senatus*. Tum largi ſimul in conſanguineos ejus, Franciſcum & Michaelem fratris filios in Senatorum ordinem cooptarunt ante ætatem. Priuſquam comitia majora indicerentur Principi atque imperatori creandis; Vviri lecti, quorum eſt leges ad Ducem pertinentes inſpicere; ac, ſi quam abrogari novamve condi e rep. eſſe putent, referre ad comitia. Viſum his utique providendum ne facile in poſterum, qui obtineret Principatum, idem imperator diceretur. Nam, *præterquamquod res conſtaret ſumptu admodum magno; tutum etiam non prorſus eſſe, qui in civitate jam præcelleret dignitate, huic imperium quoque armorum ſummum permitti. Ut autem moderatione animi, & patriæ caritate exiſterent alii Mauroceno ſimiles: tamen, niſi cogeret neceſſitas, non committendum, ut is objiceretur caſibus belli incertis, in cujus præſertim capite periclitaretur fortuna publica & majeſtas Imperii*. Quare lata in comitiis lex:

1693.

Monumentum ei decernunt patres.

Franciſcum & Michaelem fratris filios, ſenatores creãt.

Vviri leguntur:

qui providendum cẽſent, ne facile Princeps creetur imperator.

Lex perfertur.

Digitized by Google

1693. lex: *ſi quando contingeret ut Ducis reip. nomen ederetur in imperatorem, ne ſolveretur mos antiquus ſervari ſolitus in imperatore creando: itaque ratio haberetur ſingulorum, quorum nomina edita ſimul eſſent; niſi ſi ex novem qui Duci aſſident,* (Sexviri ſunt comitiis regundis, ac magiſtri tres XLvirum) *ſex morem eum intermittendum cenſuiſſent. His ita cenſentibus, ſenatus inde fores judicium, an tempora vireſque reip. paterentur, bellum per Ducem adminiſtrari. Si id ſenatui videretur, lex de Duce rogando ut imperium acciperet, ferretur in comitiis majoribus, ubi cives eſſent ne minus octingenti; ac tum denique perlata haberetur, ſi ex tribus partes duæ accepiſſent.* Legem hanc numerus maximus ſciverunt. Dux continuo creatur Silveſter Valerius, Bertuccii Ducis filius, cum memoria ſuffragante gloriæ paternæ, tum virtute ſua geſtiſque egregie magiſtratibus. Principatum adiit uſus regali liberalitate ac munificentia: uxorem etiam Eliſabetham Quirinam, matronam lectiſſimam, ornatam inſignibus dignitatis, ritu ſolemni Venetis Ducibus, produxit in publicum. Haud ita multo poſt Antonius Zenus, cujus tunc Peloponneſus erat provincia, imperator ſufficitur. Cæterum, ex quo Maurocenus trajecerat in Græciam, varii motus fuerant in Illyrico. Metuerat Chulmienſis Baſſa ne ab eo legente Illyrici oram, Citclutum oppugnaretur. Quocirca cum omnibus copiis ſuis illuc profectus, ad Naronam flumen ſupra Citclutum ipſum conſtiterat. Quod ubi nunciatum eſt Eritio; occaſionem eſſe ratus, dum abeſſet hoſtis, Clobuchi arcis potiundæ, multitudinem adhibet Illyriorum, ultro ſibi id muneris depoſcentium, qui ex finitimis regionibus Piva & Gazco venerant nuper in ditionem. Ordinatos, centuriatoſque mittit ad vias occupandas, qua itur Clobuchum; ſatis fidens Turcas in magna annonæ, quæ tunc premeret, caritate, obſidionem diu non laturos. Conſilium tamen fruſtratus eſt Baſſa. Nam ſimul timere deſiit Citcluto, Mauroceno recta in Peloponneſum contendente; moverat illinc caſtra, citatoque agmi-

Succedit Silveſter Valerius.

Antonius Zenus Imperator dicitur.

Clobuchum fruſtra tentat Eritius.

agmine ad ferendam opem convolarat. Nec Illyrii vim 1693.
expectaverunt, ad primum rumorem adventantium barbarorum dilapſi.

Turcæ expelluntur regione circa ſinum Rhyzonicũ.

Tum Baſſa, aucto arcis præſidio, in regionem quæ ad Rhyzonicum pertinet ſinum, populabundus milites inducit. Jamque fuga agreſtium paſſim fiebat; injicique alicubi etiam tectis ignes cœperant. At cum expedita popularium manu palatos prædamque agentes adortus repente Joannes Burovichius, haud paucis occiſis, egredi finibus coegit. Eo tumultu vix ſedato, parte alia tentatur irruptio ab Delphino in Boſnam.

Irruptio Illyriorum in Boſnam.

Quatuor millia peditum, equites ad mille & nongentos, Illyrii ferme omnes, ductu Franciſci Cruttæ, ſilenti agmine profecti Tinninio, de improviſo media in provincia ultra Verbanum amnem apparuerunt. Præbuit id Turcis pavoris circa plurimum; ut ſua relinquentes paſſim ſe fugæ traderent. Ergo Illyrii, copiis diviſis, diſcurrunt ad prædandum; tecta agroſque incendunt. Conjuncti denuo jam abibant; cum Baſſa, equitibus mille & ducentis, peditibus mille collectis, aggredi eſt auſus.

Pugnant cum Turcis proſpere.

Ter repulſus, tantiſper ſubſtitit dum aliquantum præciperent viæ. Tum ſecutus veſtigiis, arctis locis adipiſcitur poſtremos. Anceps pauliſper fuit certamen; quia Illyriis, licet multitudine ſuperantibus, ſpatium tamen explicandi ordines non erat. Sed cum manipulis aliquot ex primo agmine revectus eo Crutta, impetu redintegrato, ſic hoſtes turbavit, ut in fugam mox effunderentur; trecentis cæſis ac totidem ferme captis.

Crutta dux eorum interit ex vulnere.

Minuit tamen rei lætitiam Crutta ipſe amiſſus. Dum perſequendi ardore longius ab cætera acie cum parva manu inſtat fugientibus; intercluſus ab ſuis circumventuſque, multis fruſtra conatibus ſumptis, demum ſaucius venit in poteſtatem barbarorum, ac paulo poſt interiit ex vulnere. Quietum inde Illyriis iter domum fuit. Nec Turcæ, quo ultionis impellebat cupiditas, fines incurſaverunt: nam, exuſtis late agris, non ſuppetebat unde alerent equitatum, quo ibi maxime utuntur.

Exi-

Digitized by Google

1693. Exitu æſtatis, in maritima regione quæ Neſti & Naronæ oſtia interjacet, accipi potuit damnum, ni Delphinus prævertiſſet. Vaſtationem parare Chulmienſem Baſſam, vim peditum atque equitum de integro cogentem, indicio a perfugis facto: obviam mittit Antonium Canagettum cum cohortibus aliquot Illyriorum; qui propter Vergoratium arcem, qua intellexerat illum venturum, occulti conſiderent. Et ſunt ea loca pleraque inſidiis nata. Quare cum Turcæ appropinquantes nulla circum arma cernerent; pedites, ut in metu nullo fraudis, ad populandum & pecora rapienda, quæ velut caſu incidiſſent, objecerat Canagettus, temere ſolutis ordinibus jam incedebant. Tum exorti repente Illyrii eum tumultum ac terrorem in latera utrinque, atque a fronte incurrentes fecere, ut nemo pugnandi cauſa reſiſteret. Subita res exterruit etiam equitatum. Igitur nullo labore funditur paſſim Turca; occiſis in fuga aut captis ad quadringentos, duodecim quoque militaribus ſignis ademptis. Cum hæc in Illyrico atque in Græcia ab Venetis agerentur: in Pannonia fuerunt Germani prope ſpem expugnandi Tauruni. Præpoſuerat exercitui Cæſar Ducem de-Croy; qui principio æſtatis contraxerat ad Petro-Varadinum ſupra quinquaginta millia armatorum, machinaſque & inſtrumentum aliud oppugnandi. Ac facile credebatur, non fore hoſtem robore copiarum parem. Nam rex quidem Turcarum, amoto Halio, qui diffiſus viribus paci unice ſtuderet, ejus in locum aſſumptum Muſtapham hominem bellicæ rei peritum, ſororis ſuæ virum, juſſerat exercitum quam validiſſimum in Pannoniam inducere. At in id neque militum ſatis, nec ex qua pararentur ſtipendiumque acciperent, pecunia in ærario erat: ut itidem Muſtapha per alias atque alias cauſas expeditioni ſe ſubtraheret. Opportune Pagetus, literis ei traditis regis ſui, æquas condiciones viſus eſt afferre, in quas deponeretur bellum: *ut Cæſar & Veneti occupata retinerent: Camenecia ut redderetur Polonis; ſi reddi*

Ad Vergoratiū Turcæ funduntur.

Res Pannoniæ.

Muſtapha Viſirius expeditionem conatur declinare.

non

non placeret, ut everteretur. Poſteaquam rex mentionem quamcumque pacis averſabatur: optare novus Viſſirius, ut, duce alio deſtinato in Pannoniam, decerneretur ſibi claſſis, qua Principi Venetorum Mauroceno occurreret. Hoc non impetrato, facultatem petebat abdicandi muneris. Ubi negabatur id quoque; venit ad illud extremum, ut cum principibus nonnullis clandeſtina iniret conſilia expellendi regis, transferendique Imperii ad Muſtapham Mahumetis Quarti filium. Atque ſucceſſiſſet fraus, ni præfectus Janiſſarorum diſſenſiſſet. Timens tum, quidnam ſe futurum eſſet, ſi proderetur conſpiratio; ſuſpectum eum regi occupavit facere, amandandumque illico curavit in Syriam Damaſco præfuturum: ipſe autem invite profectus tandem ad exercitum eſt. Et jam non parari ab Germanis bellum, ſed geri nunciabatur. Jenam Superioris Pannoniæ oppidum, non procul finibus Tranſylvaniæ, aliquot ante menſibus obſideri cœptum, per hoſce dies expugnarat Heiſlerus legatus: parva quoque contentione ceperat caſtellum, octo inde millia, Vilagorſuar eſt nomen; Turcis, qui præſidebant, permittentibus ſe arbitrio ejus. Quare Muſtapha quod poterat militum cum collegiſſet, copiis ſimul Tartarorum adſcitis, ire ſtatuit in Tranſylvaniam: præcipitque interim præfecto Tauruni Temeſvariam tranſeat, quam ſerie rerum petituros arbitrabatur Germanos. Augere de induſtria errorem Dux de-Croy, literis, quas Turca interciperet, tanquam eſſet Temeſvariam mox aggreſſurus, ad Segeduni præfectum ſcriptis; ut deceptus Viſſirius partem etiam militum, qui Taurunum cuſtodiebant, ejus urbis præſidio protinus adderet. Poſtquam ſpeciem, quam quæſierat, ſatis effecit; Savum flumen tranſductis copiis, accedit ad Taurunum. Ibi objicit ſtatim inter Savum Iſtrumque caſtella; ac paucos intra dies vallo jungit foſſaque. Inde Palphio atque Archinto legatis præter ripam Savi cum quatuor millibus militum propius ſubire ad urbem juſſis: ſtationes & tormen-

1693.

Struit inſidias regi.

Invitus proficiſcitur ad bellum.

Heiſlerus expugnat Jenam:

Potitur Vilagorſuar.

Dux de-Croy imperator exercitus Cæſaris

ducit Taurunum.

1693. menta in Iſtri ripa diſponit; naveſque accerſit eo aliquot, ne qua aditus eſſet hoſtibus ad intromittenda auxilia. Tum viribus totis adoritur oppugnare. Amplius ſex millia Turcarum tuebantur. Nec mœnia ſolum reſtituerant, mœniumque munimenta; ſed etiam, Cornelio auctore, quæ minus eſſent tuta, novis operibus firmarant. Primis diebus continuerunt ſe muris: &, ut ſe præbebant initia, brevi aggerem perducturi ad munitiones videbantur Germani. Aſt deinde eruptionibus crebris ſtationes, & ii ipſi qui circa opera atque aggeres erant tormentorum, turbari cœpti; ut, quidquid quotidie progrederentur, quamvis perexiguum, labore tamen ingenti & multorum ſtaret ſanguine. Inter hos Archintus glande plumbea transfixus cecidit. Quædam etiam neceſſaria, ut in oppugnatione, quam crediderant, diuturniore, non ſatis ſuppeditabant. Ad hæc afflictabantur paſſim corpora morbis: quod autem peſte quavis nocentius eſt in bello præſertim, diſcordia tenebat inter Ducem de-Croy atque Heislerum, quæ auctoritate Cæſaris tantum componi potuit. Complures jam dies muniendo pugnandoque conſumpſerant; cum repente allati nuncii, Viſſirium omni exercitu Iſtrum flumen ad Viminacium tranſgreſſum, Taurunum petere. Ea res Ducem de-Croy impulit, ut celerius, quam conſtituerat, externa oppidi munimenta vi atque armis invaderet. Bipartito inferentes ſe Germani fuere primo magna in ſpe valli expugnandi. Ubi enim parte altera centuriæ aliquot in ſummum evaſerunt; æmulantes alii tanto ardore ſubibant, nulla ut ope reſiſti videretur poſſe. Sed deinde cum qui aſcenderant, omnis generis undique accidentibus telis, ægre ibi conſiſterent; & recens ab urbe ſubmiſſus miles obniteretur validius, urgeretque etiam: ad extremum multa cum cæde rejecti ſunt. Nemo unus erat quin, priuſquam appropinquaret Viſſirius, cujus copias in majus vero ferret fama, ſolvendam obſidionem cenſeret. Quare IV Id. Septembr. receſſum

Urbem oppugnat.

Minus ſucceditei cœptum.

Urbem tamen aggreditur.

Re irrita abſcedit.

ceſſum Tauruno eſt; eademque qua venerat via, nullo infectante, ad Petro-Varadinum exercitus reductus. Non viſum Viſſirio, ut acceſſit Taurunum, ducere ad hoſtem. Quatuor modo millia Tartarorum ratibus tranſire Iſtrum voluit, qui regionem circa Tibiſcum fluvium depopularentur. Nihil minus opinantibus par ferme numerus equitum Germanorum, quos, cognito ejus conſilio, Dux de-Croy propere illuc miſerat, non longe ab Genadio, qua fere Maruſius amnis Tibiſco incidit, ſupervenere. Parvo certamine fuſi Tartari fugatique: ad mille occiſi: magno quoque equorum & camelorum numero potitur Germanus. Ejuſdem initio æſtatis, Tartari ad ſexdecim millia, Polonorum terras impune incurſavere. Per incuſtoditos fines Ruſſiam Nigram intrantes, tractum evaſtarunt non modicum; Polonis permultis abductis in captivitatem. Nequicquam rex, id ipſum quod evenit metuens, auctor jampridem præfectis fuerat colligendi mature exercitum. Hæc tandem ignominia ad ultionem accendit. Itaque cum Tartari, prædæ cupiditate ſtimulante, rurſus parte alia incurriſſent in fines: aggreſſi eos a fronte atque ab lateribus Poloni, aliquanto majorem, quam qua fuerant affecti, reddiderunt cladem. Cæterum, præterquam intercipiendis commeatibus, caſtelliſque circa Cameneciam occupandis excitandiſve arctiorem ejus urbis obſidionem fecerunt, nihil ultra dignum memoria hoc anno ab iis geſtum. Turcis interea haud ignaris, quam Polonos vulgo pigeret belli, ab Selimo Tartarorum rege, qui expulſo Safæ recens ſucceſſerat, legatum mitti viſum fuerat Varſoviam, qui gentis animos denuo pertentaret. Et plerique ſic pacem optabant, ut qualeſcunque condiciones cenſerent accipiendas. *Quid nanque attinere diutius trahi bellum, quod annum jam decimum, nedum ullo cum fructu, ſed etiam magno cum pudore gererent? Quid porro ſperantes exinde in tanta inopia rerum neceſſariarum, pecuniæ præſertim, ut multorum annorum ſtipendia exercitui deberentur? Incendia quoque villa-*

1693.

Viſſirius Taurunum venit.

IV millia Tartarorũ ad Genadium vincuntur.

Tartari pervaſtant Ruſſiam Nigram.

Ulciſcuntur damnũ Poloni.

Obſident arctius Cameneciam.

Per regem Tartarorũ agitur de pace cum Polonis.

Audiunt libenter hi.

1693. *rum, vaſtationes agrorum, damnaque reliqua* recenſebant, *a quibus æquum eſſet tandem aliquando reſpirari*. Alii cum rege, *cauſam adminiſtrati ſegniter belli, acceptarumque cladium, ſi quis recte ſtatueret, neminem verius quam ipſos*, arguebant, *fuiſſe, odio militiæ, & malignitate in publicum conferendi ex privato. Si memores avitæ virtutis, ictique fœderis cum Cæſare & Venetis, obire pro ſe quiſque partes ſuas in animum inducerent, brevi non ad regnum modo tutandum, verum etiam ad proferendos late fines & militum, & armorum, & pecuniæ abunde fore*. Hæc primo jactata principum paucorum ſermonibus. Poſtea cum in conventu gentis coram rege de legato Tartarorum relatum eſſet; tanta utrinque contentione acta res, ut non ſolum in altercationem excederet, ſed ne ab armis quidem temperaretur. Vicit ad ultimum ſententia, quæ ſpem pacis haud omittendam cenſebat; ita tamen ut mallent aliquem ſuorum ire Hadrianopolin, ubi rex Tartarorum tunc erat, qui cum ipſo diſceptaret de condicionibus. Miſſus Reuvonskus Chelmenſis præfectus: rex interim haud cunctatus eſt, quæ ſe invito decreta eſſent, Cæſari ac Senatui Veneto ſignificare; ſimul pollicitus, nihil ſe paſſurum cum Turcis tranſigi contra fœdus. Nec aliud Turcæ moliebantur, quam ut Polonos ab Cæſare & Venetis abſtraherent. Quare paucis poſt inde menſibus cum mandata regis ſui Reuvonskus aperuiſſet: *ſi Ucraina, Camenecia, arcibuſque, quas Turcæ occupaſſent in Moldavia, decederetur, curaturum Poloniæ regem, ut legati de pace deſtinarentur a Cæſare & Venetis, ab quorum ſocietate firmum genti eſſet non diſcedere*: fruſtrati conſilio, dimitti ab Selimo voluerunt legatum. Ut autem nihilominus alendo ſpem pacis, a parandis neceſſariis ad bellum hoſtes avocarent; conventum legatorum omnium indici placuit Sniatinum, id loco eſt nomen, in Ruſſiæ Nigræ finibus. Memorabilem annum complura ab rege Galliæ adverſus Cæſarem, & ſocios ejus, geſta fecerunt. Nec per hybernorum quidem tempus quieverat Gallorum ductor Tallardus,

Rex adverſatur.

Turba in conventu gentis.

Mittitur legatus Hadrianopolin.

Sed nihil ibi conficitur.

Conventus legatorum omnium indicitur Sniatinum.

dus, Rhenofeldam repente adortus, arcem imminentem 1693. oppido S. Goaris, ad Rhenum flumen. At reſiſtentibus egregie Germanis; poſtquam Landgravius Haſſiæ exercitu inſtructo appropinquabat in auxilium, re infecta, nec ſine jactura aliqua militum, & impedimentorum machinarumque, illinc receſſerat. Vere ſummo Heidelberga ab Mareſchallo Lorgio expugnata eſt impetu fere primo. Edita ibi cædes oppidanorum infanda: milites ſe in arcem, quam habebant munitiſſimam, receperunt. Sed ea quoque triduo poſt deditur, dubium metu, an perfidia præfecti; qui poſtmodum militari judicio damnatus, pœnam dedit capite. Abducto inde quidquid commeatuum, cæterique apparatus bellici invenerat, urbem victor evertit inceditque. Eodem tempore Rhodam in Hiſpania hinc Dux Noallius viginti millibus militum, hinc Eſtræus modico numero navium, dies aliquot oppugnantes, ceperunt. Continuo arx Trinitatis, quæ portum propinquum Rhodæ ab alto tuetur, occupata: mox Emporiarum ager, oraque maritima ferme omnis ad Barcinonem uſque, venit in ditionem. Mari pariter, ubi cum armatis claſſibus hoſtium concurrere auſi Galli non eſſent, præter ſpem ſuperiores fuere; damno illato non parvo mercaturæ illorum, ad Sacrum promontorium Algarbiæ. Claſſe navium multarum celſioris formæ haud longe conſtiterant Turvillius & Gabaretus, ut onerarias Britannorum & Belgarum, quas ex Oceano in Mediterraneum mare noverant trajecturas, aggrederentur. Centum quinquaginta naves erant refertæ mercibus, additis tribus & viginti navibus formæ majoris, quæ forent præſidio. Ut ſuperavere promontorium, invecti in eas Galli, magnum, quippe in re improviſa, tumultum ac pavorem præbuerunt. Collectis deinde animis, diu acriterque pugnatum utrinque eſt; ut tamen victor ad ultimum Gallus funderet hoſtes. Sexaginta onerariæ captæ, aut depreſſæ: circiter quinquaginta Gades perfugerunt; reliquæ vulneratæ quaſſatæque in altum diſſipatæ ſunt. In Bel-

Galli fruſtra oppugnant Rhenofeldam.

Lorgius Heidelbergam expugnat, fœda cum cæde.

Noallius Rhodam capit, & arcem Trinitatis.

Navale prœlium Gallorum cum onerariis Britannorum & Belgarum.

Vincunt Galli.

Digitized by Google

1693. Belgio etiam, quo major belli moles incubuerat, ſecunda fortuna fuit Gallorum. Lucemburgicus modico intervallo ab flumine Moſa poſitis caſtris, Mareſchallum Villaregium cum delectis cohortibus miſerat ad Huum oppugnandum. Non procul Lovanio ſtativa tunc habebat Auriacus: qui, ut turbaret incœptum, ſimul Principem Vvirtembergenſem cum idoneo numero copiarum ire protinus ad munitiones tentandas jubet, quibus Galli partem Belgii ademptam Hiſpanis ſepſerant; ſimul ipſe cum reliquo exercitu ad ferendam opem obſeſſæ urbi procedit. Ac Vvirtembergenſi quidem e ſententia evenit res: nam aggeribus perfractis, terrorem diſtulit longe lateque. Verum Auriacum, Tungros cum perveniſſet, avertit nunciata Hui deditio. Igitur millibus aliquot militum Leodium deſtinatis, quam urbem hoſtes opinabatur petituros; retro redibat, unde venerat. Abeuntem inſecutus proximæ noctis ſilentio Lucemburgicus, ne primo diluculo, quemadmodum conſtituerat, ex improviſo aſſequeretur, effuſus large imber impediit. Jam ſe meridie inclinaverat ſol, cum in conſpectu hoſtes fuere. Nec feſſum militem labore viæ ſtatim pugnæ objicere eſt auſus. Id Auriaco ſpatium fuit muniendi. Regionis quoque adjuvabat natura. Ignobilis vicus eſt, tertio ab Tienis milliari, inter Leuviam & Landam, Neervvinden vocant: hinc colles ſaltuſque, hinc crebra ædificia amneſque tuentur; qua nudum apertumque erat latus, aggerem raptim oppoſuit. Subeuntibus poſtridie Gallis, certamen quale inter fidentes, alteros multitudine, munimentis alteros, atrox atque anceps hæſit diu. Viginti minimum millia hominum cæſa dicuntur. Ex iis paulo plures Gallorum deſiderati, ut quibus deterior ad prœlium locus eſſet. Lucemburgico tamen cum robore equitatus ſe ſe acrius inferenti ceſſere poſtremo hoſtes, plerique ſervantes ordinem. Tunc illi potiti caſtris, ad mille & trecentos de agmine ultimo vivos cepere: octo ſupra ſeptuaginta militaria ſigna, balliſtæ majores octoginta,

Villaregius Huum oppugnat.

Per deditionem potitur.

Pugna atrox ad Neervvinden.

Galli hoſtes ſuperant, & caſtris exuunt.

ta, magnaque vis equorum atque impedimentorum venerunt in poteſtatem. Secundum eam pugnam, quies ab armis aliquandiu fuit: demum, priuſquam tempus exiret rerum gerendarum, juſſus Villaregius ducere oppugnatum Caroloregium. Nec tulit auxilium Auriacus. Nam Lucemburgicus loco permunito in fluminis ripa, quod mille ferme ab Caroloregio paſſus Sabi immiſcetur, conſederat cum parte exercitus; ut, ſi ipſe conaretur perrumpere, dimicationem ſibi valde iniquam cerneret fore. Itaque obſeſſi, non ſemel eruptione fruſtra tentata, poſtquam aliquantum ruerat murorum, nec opem citam expectabant, dediderunt urbem. Erexerat interea expectatione animos Delphinus filius regis, media fere æſtate profectus ad bellum. Rhenum flumen ad Philippoburgum exercitu tranſducto, conjunctiſque cum Lorgio copiis, nihil modicum agitans mente, Ulmam Sveviæ urbem decrerat petere. Ad Neccarum fluvium conſtiterat Badenſis, non procul Aliſo; viribus haudquaquam par, cæterum ſitu & munimentis tutus. Eo progreſſum Delphinum ambigua deliberatio tenuit, pergeretne ire, an prius cum hoſte confligeret. Quando periculoſum erat, integrum poſt ſe relinquere exercitum Germanorum, vertit ad pugnam conſilia; ita tamen ut, quia aggredi eos intra ſepta non ſatis audebat, irritaret modis omnibus, ſi poſſet cogere ad æquum certamen. Sed Badenſis, qui confideret ſe conatus hoſtis ſedendo ad irritum redacturum; levibus modo prœliis inter procurſantes turmas equitum factis, tandiu bellum extraxit, donec Delphinus ſpe depulſus omiſit incœptum, rediitque in Galliam. Alius exitus armorum in Italia. Vix ullus ibi metus oſtendebatur ab Gallis. Abdiderat ſe ſe Catinatus in Alpes Cottias; montium præſidio, quoniam reſiſtere locis patentibus nequibat, exiguum quem habebat exercitum defenſurus. Ea occaſio viſa Victorio & fœderatis recuperandi oppida ab hoſte adempta. Rem diſtinebat, quod Caſale ne tentarent, quo inclinabant Hiſpa-

1693.

Caroloregiū oppugnatiū

Gallis deditur.

Badenſis Delphinum fruſtratur.

Digitized by Google

1693. ſpani Germanique, an Pinarolium, quam urbem recipi Victorii maxime intererat, ambigebatur. Placuit denique ſimul oppugnari Pinarolium, ſimul Caſale obſideri; ut altera urbe potiti, minus ſubirent laboris in altera expugnanda. Quamobrem millia quatuor armatorum Caſale circumſederunt: a quibus tertio poſt die caſtellum modico ab urbe intervallo, D. Georgii appellant, dedentibus ſe Gallis, occupatum eſt. Poſtmodo Victorius, Mediolani præſes Leganeſius, & Caprara dux Germanorum, collato in unum milite, Seguſium ſimulantes petere, flexo repente itinere in lævam, ad Pinarolium accedunt; ac tormentis vicino flumine ſubvectis, caſtella tria, quæ imminent oppido, extemplo adoriuntur. Duo eorum ſub impetum primum capta. Tertium, D. Birgittæ vocant, loco celſo ſitum, quod arcem ad boream deſpectat ex proximo, multum præbuit operæ; ut millia amplius duo oppugnantium caderent. Demum diebus poſt quindecim caſtello potiti, aggeres & machinas undique admovent ad urbem. Erat propoſitum ollas quoque incendiarias immittere: ut enim in magna populi multitudine, motum inde aliquem ſperabant fore. Quod ubi parari ſenſerunt oppidani, quadraginta nummum aureorum millia pollicentur Victorio, incendium ut abſtineat. Hac de re quia Victorium inter & Capraram conveniebat minus; Cæſarem per literas viſum eſt conſulere. Ea primum exequendi conſilii mora fuit. Poſtea, cognita Cæſaris voluntate, multis ſimul partibus conjici in urbem ignes vix cœperant; cum afferuntur nuncii trepidi, Catinatum auctum milite, qui nuper ex Hiſpania atque ex Alſatia adveniſſet, cum duobus & viginti millibus peditum, equitum millibus octo per Aximæ vallem ad Rivolium jam progreſſum: inde excurrentem equitum alam ſubjectos Auguſtæ Taurinorum agros, ac Veneriam ipſam (ſic locum dicunt, ad amœnitatem voluptatemque exquiſite inſtructum ab Sabaudiæ Ducibus) ferro ignique vaſtare. Et adeo permovit periculi

Obſidetur Caſale.

Pinarolium oppugnatur.

Deſcenſus Catinati in Pedemontium cogit oppugnationem ſolvere.

ma-

magnitudo, ut rati occurrendum viribus totis, oppugnationem illico relinquerent. Ergo machinis impoſitis in naves, caſtelloque D. Birgittæ everſo, cum proceſſiſſent obviam; octo ferme ab Pinarolio millibus paſſuum, Marſaliam nominant, fuere uterque exercitus in conſpectu. Nihil tunc cunctatus eſt Gallus educere in aciem. Nec detrectavit Victorius; nequicquam contra tendentibus Leganeſio & Caprara, qui ſe peditatu ſuperari ab hoſte, regione præterea parum æqua dimicaturos, intelligerent. Itaque ordinibus raptim explicatis, ſumma utrinque vi concurritur. Diu ſtetit ambigua ſpe pugna: multoſque impetus cum cepiſſent, alter alterum ut pelleret, adeo in ſuo quiſque veſtigio ſuſtinebant hoſtem, ut tenor idem certaminis in defatigationem cædemque ultimam ſpectaret. Ab latere tandem immiſſus a Catinato peditatus recens ſiniſtrum fœderatorum inclinavit cornu. Tum Gallis acrius a fronte quoque urgentibus, gradu demoveri, etiam qui in medio erant, cœpere: nec multo poſt impulſa acies univerſa funditur. Sex millia fœderatorum cæſa; in his Dux Schombergius, quem Britannis in exercitu Victorii militantibus Auriacus dederat præfectum: par prope numerus capti ſauciative: quinquaginta militaria ſigna, quinque & viginti tormenta redacta in poteſtatem. Leganeſius ipſe inter alios, plaga accepta, prœlio exceſſit. Ab Gallis deſiderati ad tria millia; ferme totidem vulnerati. Victorius, collectis reliquiis exercitus, propter muros Auguſtæ Taurinorum primo ſubſtitit, quo ſe copiæ aliæ, ſoluta Caſalis obſidione, ſtatim contulerunt. Padum deinde tranſgreſſus ſtatione tuta conſedit ad Montem Calerium. Non temere creditur, ſi Gallus trepidis inſtitiſſet, exercitum fuiſſe omnem deleturum. At ſeu quia feſſo militi, appetente jam tempore hybernorum, dari quietem oportebat, ſeu quod lenius agendo poſſe ſperabat Victorium flecti ad paciſcendum; ſatis habens urbes duas uno prœlio exemiſſe obſidione, nihil ultra eſt aggreſſus: neque ita multo poſt,

1693.

Prœlium ad Marſaliam.

Fœderati vincuntur ab Gallis:

Victorius recipit ſe ad Montem Calerium.

1693. commodiora hyberna ut haberet, Alpes trajecit. Per id temporis legatus Scianlæus cum iiſdem, quæ alias attulerat, mandatis de pace ab rege miſſus ad Victorium. Et pollicentibus operam ſuam Sveciæ & Daniæ regibus, actum eſt quemadmodum finis ubique imponi armis poſſet. Illud initio obſtabat, quod neutra pars facile vellet condiciones pacis prior proponere. Vinci tamen ſe in hoc paſſus Ludovicus, aperit, quibus oppidis cedere ſe aut non cedere æquum cenſeret: id quod & Venerio oratori Veneto Lutetiæ, & Venetiis per oratorem ſuum Senatui illico oſtendit. Pleraque ad fœdus ictum Noviomagi ac Monaſterii revocabat. Si quid addendum mutandumve cui videretur, ut in concilio legatorum diſceptandi jus eſſet: quod ſi ne legati quidem inter ſe conſentirent, arbitrio Veneti Senatus rem permittebat. Quando multa abdicabat voluntate, quæ cogi bello atque armis vix poſſet, ſpes erat difficultate non magna conventurum. Neque prætermiſerunt patres quin per oratores ſuos Cæſari & regi Hiſpaniæ vehementer ſuaderent, ut opportunitatem amplecterentur conficiendi pactionibus belli. Pontifex quoque, ut in id ipſum conferrent curam, imperavit legatis ſuis. Per Auriacum, ut prius, potiſſimum ſtetit ne ſuccederet cœptum. Sive nondum tutum ſibi ratus exercitus dimittere, ſive quod putabat exitum expectandum Turcici belli; ita enim verſa in Gallos omni copiarum mole, ſuperiores ſe dicturos leges pacis, quas tunc ab hoſte accipere viderentur: multimoda arte ſic cuncta miſcuit, ut adductis ſociis in ſententiam ſuam, mox ſilentium de pace eſſet.

Galli in hyberna ultra Alpes concedunt. Agitur de pace.

Condiciones dicit rex Galliæ.

Auriacus obſtat ne accipiātur.

1694. Dum ab iis vires augentur delectibus novis; nihilo ſegnius rex Turcarum apparabat neceſſaria ad bellum. Venetis præcipue infenſus, gravibus mari hoſtibus, quod nunquam ante alias, ne Cretico quidem factum bello erat, jubet mercatores gentis ejus intra bimeſtre ſpatium Turcicis terris excedere: edicto addito, ne qua Veneta navis, quodcunque illa præferret vexillum, eo appelleret;

Rex Turcarum infenſus Venetis.

Edictum ejus.

ret; ſi qua appelleret, pœna ut eſſet publicatio navis & mercium; nautæ vectoreſque captivi haberentur. Vanam quoque ſpem expertus abjungi ab illis Cæſarem poſſe aut Polonos, Heermskerkium legatum dimittit. Tum ſummæ rerum quem præficeret, deliberabat. Viſſirium Muſtapham, ingenii quam pro domini ferocia quietioris, ſuſpectum etiam ob occulta cum principibus colloquia, jam tum decrerat honore dejicere, cum ad Taurunum obſidione liberandum ire lentius viſus fuerat. Quominus conſilium ſtatim exequeretur, metus impediit tumultus militaris. Muſtapha nanque, imminentis periculi haud improvidus, ne obnoxius premeretur, copiis ſtipatus armatorum Hadrianopolin redierat. Diſſimulavit quidem rex iram in præſens: at menſibus poſt paucis, capto tempore, repente amovit. Sponte ſua huc inclinatum impulerunt ad audendum Eunuchi & proceres nonnulli: qui nacti occaſionem criminandi abſentem voluptatis quærendæ cauſa, ut qui egreſſus interea venatum eſſet; tenuere ne ultra differret alium quempiam, cui res imperii, bellum cum primis, in quo non jam gloria, ſed ſalus gentis ageretur, cordi magis eſſet, Viſſirium dicere. Igitur ſufficit Halium Baſſam Tripolis Syriæ, quem vulgo commendari expetique ſciebat. Is biennio ante recuſarat dignitatem hanc ipſam, homo ad civilia prudens, cæterum ad arma ferme inexpertus. Caput tamen curarum illico fuit, exercitum ut valde augeret, cujus futurus dux ipſe erat in Pannonia. Quare literas dat circa rectores provinciarum, ut ſcriptis e veſtigio militibus novis ad præſidia oppidorum atque arcium, partem maximam veteranorum mitterent Taurunum. Ex Macedonia quoque, Boſna, atque Epiro aliquantum accerſit copiarum, nihil admodum ab Venetis timens in Illyrico. Quod ſimul intellexit Delphinus, venit in ſpem Citcluti ea oblata opportunitate expugnandi. Et conſultus per literas Senatus, ageret faceretque ut e rep. duceret, permittebat; deſtinato eodem

1694.

Muſtapha amoto ſufficit Viſſirii Halium.

qui magna cura auget exercitum.

In Illyrico Delphinus cogitat Citclutum.

1694. probatæ bello virtutis duce, Alexandro Vimes legato cum duabus cohortibus, atque inſtrumento oppugnandi. Itaque res præmoliri confeſtim aggredienti optimum viſum ad Venetorum partes populos pertrahere, qui inter Citclutum, ac Moſtar oppidum frequens, ſeptem & triginta ab Citcluto millibus, ad Naronam flumen incolunt. Horum opera ſæpe Turcæ uſi fuerant ad regionem circa tutandam. Chriſtiani erant: atque, ſi foret liberum, videbantur ad Venetos non ægre tranſituri. Obſtabat tum caritas patrii ſoli, tum ab Turcis metus. Propterea fruſtra Delphinus nunc blandimentis promiſſiſque, nunc minis ac terrore illato, tentarat animos. Tunc concitam multitudinem Illyriorum ad Moſtar invadendum ire jubet duce Canagetto tribuno. Reſtitere aliquandiu Turcæ, munimentis tamen magis, quam virtute aut armis freti. Poſtquam injectus proximis ædificiis ignis hæſerat, jamque differebatur vento late incendium: omiſſa pugna, in adverſam oppidi partem, nam amnis interfluit, ponte transfugiunt. Et, dempto timore præſenti barbarorum, maturarunt accolæ, collectis rebus ſuis, pecora præ ſe agentes, migrare in Venetorum terras, ita tamen ut, quas relinquebant, ante ferro vaſtarent flammaque. Amplius quinque millia hominum fuere; quorum mille & quingenti bello apti. His Delphinus ſedes aſſignat ad Neſtum flumen: principes eorum donat donis, ac parva quædam caſtella dat tuenda. Tum contrahere undique inſtitit copias, quibus Citclutum oppugnaret; uſus arte, ne res indicata excitaret hoſtem ad defenſionem comparandam. Per ſpeciem inviſendæ provinciæ, Spalatum, Jaderam, Sicum, locaque adit alia. Spalatum poſtea reverſus, militem huc naveſque advocat; mandatum ſibi ab Senatu bellum dictitans adverſus piratas, quos, diſſeminatis de induſtria rumoribus, in Adriaticum ſinum mox venturos, vulgo ferebant. Simul expeditio in Albaniam ſimulabatur: eoque conſilio & Eritius horrea incenderat Turcarum haud procul Gazco, caſtel-

Populi inter Citclutũ & Moſtar veniunt in ditionem.

Delphinus ſedem iis aſſignat ad Neſtum fl.

Res alias ſimulat.

caſtellaque nonnulla diruerat; & Aloyſius Marcellus Eri- 1694.
tio ſucceſſor inde datus, magnum Illyriorum numerum
cogebat circa Aſcrivium, tanquam mox penetraturus in
intima regionis. Interea Delphinus, juſſo Stephano Ca-
pellio cum equitatu, quem regebat, millibuſque aliquot
peditum Illyriorum Naronam terra petere: ipſe pedita-
tu cætero atque oppugnandi inſtrumento impoſito in
naves, eodem feſtinat. Uterque ad conſtitutum locum,
inter Opus & Norinum uno tempore pervenientes, con- *Citclutum petit.*
junctis copiis ad Citclutum procedunt. Ibi Delphinus nihil
prius movendum ratus, quam itinera intercluderet, ne
qua Turcis præſidentibus ex finitimis regionibus auxilia
ſubmitterentur: militum millia tria attribuit Canagetto,
ut pontem reſcinderet Trebiſati injectum, id flumini
nomen eſt, quod mille ferme paſſus ultra Citclutum
confunditur cum Narona, ſedemque in proximo cape-
ret caſtris. Equitem autem Nuncovichium, exiguo ab
Citcluto intervallo, cum duabus cohortibus conſidere
placuit in ripa Naronæ, qua fluvius vado præbebat tranſ-
itum, vallumque objicere. Hæc, ita ut imperarat, ce-
leriter adminiſtrata: quare caſtellum D. Stephani ſine *Caſtellum occupat D. Stephani;*
mora aggreditur. Nec Turcæ impetum diu ſuſtinue-
runt. Etenim, paucis ſuorum amiſſis, poſtridie ejus diei
conceſſere in caſtellum alterum, ducentos inde paſſus,
D. Antonii appellant a fano, quod inibi eſſet olim ei *& D. Antonii;*
ſacrum. Sed ne illic quidem conſiſtere deinde auſi, pro-
pe ſub impreſſionem primam, in arcem trepidi con-
fugiunt. Tum vico, quem inter caſtella arcemque val- *tum vicum inter caſtella.*
lis media habet, potitus Venetus, ad arcem ipſam tor-
menta ac machinas admovet. Nemo erat, cui non ma-
gni operis laboriſque oppugnatio videretur fore. Eſt
enim cum arte, tum natura valde munitus locus. Af-
firmant quidam, ibi quondam fuiſſe urbem Naronam *Narona. Naronenſes.*
caput gentis, quæ continentem omnem inter Naronam
& Neſtum flumina, inſulas præterea Brattiam, Phariam,
Corcyram Nigram, Melitam, ac Ladeſtam, imperio
te-

1694. tenuit. Maritimis latrociniis dedita, & claſſibus potens, annos centum ſeptuaginta de maris poſſeſſione certavit cum Venetis: donec annis abhinc fere ſeptingentis Dux Petrus Urſeolus ſubactam perdomitamque Venetæ ditioni adjunxit. Tractu temporis, bello variante fortunam, Coſſacciæ familiæ, Narona jam exciſa, Naronenſes paruerunt. Venere denique in dominatum Turcarum, a quibus Chulmiæ provinciæ, Sangiaccatum dicunt, contributi ſunt. Suleimannus rex, anno quinquageſimo nono ſupra milleſimum & quingenteſimum, regionis ejus, ubi Narona fuerat, opportunitate animadverſa, abeſt a mari millia paſſuum quindecim, arcem condidit, fecitque nomen, Sdeislam, quod Turcica voce agger Otto-

Citclutum. manorum eſt: incolæ deinde Citclutum, quod ipſis

Situs ejus. murorum clauſtrum, appellarunt. Colli inſidet: hinc Narona flumen & paludes, hinc ardua ad aſcenſum loca crebræque turres muniunt. Adjectum poſtremo fuerat operum pro mœnibus aliquantum, ut pauci armati arcere magnam multitudinem queant. Firma præſidia erant, ni Turcis cætera ad reſiſtendum defuiſſent. Subita res nihil ſpatii dederat ad neceſſaria tolerandæ obſidioni contrahenda in arcem. Caſtella quoque duo, alias fruſtra oppugnata ab Venetis, tunc primo impetu capta, adeo fiduciam minuerant, ut appareret plus in externis ſubſidiis, quam in viribus ſuis & munimentis reponi ſpei. Hæc nunciantes transfugæ curam intenderunt Delphino ad itinera cuſtodienda. Qua ad dirutum pontem præerat Canagettus, infeſtam ſtationem faciebat parvum caſtellum, Strughe nomine, extructum in inſula, quæ non procul ponte, medio flumine efficitur; eaque præſertim parte, ne Turcis, fama audita oppugnationis, undique convenientibus aditus eſſet ad opem

Strughe occupant Veneti. obſeſſis ferendam, timebatur. Quocirca miſſæ illuc centuriæ aliquot cum tormentis. Et vix terrore admoto, hoſtes inde dejecerunt: qui paulo poſt propinqua tentantes vada ab Nuncovichio repulſi ſunt. Interim tor-

men-

Google

mentis quatiebantur arcis muri; igniferæ quoque glandes aliquid intus damni intulerant. Quibus rebus conterriti incluſi jamque prorſus deſperantes auxilium, pacti ut ſalvi dimitterentur; captivos transfugaſque traderent: arcem, & quidquid erat tormentorum, dediderunt. Iiſdem condicionibus, vixdum oſtentata oppugnatione, caſtellis duobus ab Turcis ceſſum, Gabella & Kruppa lingua eorum, quæ in ripa altera Citclutum ſpectant regione diverſa. His intra triduum confectis, Delphinus reſtituit muros; præponitque Vincentium Donatum, ac militum, quantum ſatis viſum eſt ad Citclutum & caſtella tuenda, cum biremibus quatuor attribuit: ſimul Meſchitam extra arcem, ſanctitate inducta, vertit in uſum Chriſtianæ religionis; templumque in ipſa arce ædificandum curat. Nihil inde cunctati, qui circa colunt, venire in fidem Veneti ducis: atque ita tractus Illyrici amænus ante reliquos ac fertilis ditioni additus eſt. Tum Delphinus ad alia provinciæ ſuæ expedienda diſcedit. Capellius vero, dum eodem, unde venerat, reducit equitatum, fines hoſtium late pervaſtavit; pagumque valde frequentem, Gliubuskium vocitant, nequicquam obſiſtentibus Turcis, incendio abſumpſit. Per eoſdem ferme dies, quibus hæc ad Citclutum agebantur, Epidauriorum civitas, Raguſium hodierno nomine, quæ apud Senatum Venetum dudum offenderat, reſtituta demum in gratiam. Ex eo tempore querelæ intercedebant, quo Hieronymus Cornelius, capto Caſtro Novo, loca quædam in proximo, Turcis adempta, inſederat milite. Tulerant illi ægre, ſive quia, cum olim fuiſſent ſub imperio Venetorum, timerent ne repeterentur in jus antiquum; ſive propter proniores in Turcas animos, quibus annuum etiam tributum tanquam clientes jamdiu penſitabant. Quando potitus Cæſar Pannonia erat, ad quam olim Epidaurus pertinebat; cauſa uſi, in ejus ſe commiſerant tutelam. Turcas autem finitimos inopia laborantes commeatuum adjuverant poſtremo, non clam

1694

Oppugnatur arx.

A Turcis deditur;

tum Gabella, & Kruppa.

Populi circa imperiũ accipiunt.

Capellius Gliubuskiũ incendit.

Epidaurii infenſi Venetis.

Favent Turcis.

ſolum

1694. ſolum via præbita, qua victui neceſſaria importarentur; ſed palam quoque permiſſo, ut ad urbem ſuam Stagnum quingenti equites venirent frumentum aliaque accepturi, quibus onuſta navis eo ex compoſito adpulerat. Quod etiam per bellum hoſtibus Chriſtianorum contra Chriſtianos tam impudenter tamque ſine ullo reſpectu ad Venetos ſtuderent, id enimvero facinus indignum Senatui viſum eſt coercendumque. Juſſus ergo præfectus Illyrici, diſpoſitis auctiſve qua oporteret præſidiis, commercium inter Turcas atque Epidaurios terra intercludere: mari ſimul deſtinatas triremes biremeſque habere, ut naves frumentum ad eos convehentes interciperent; ac niſi conſtaret, frumentum eſſe quo Epidaurii alerentur ipſi, naves & frumentum publicare. Ita uti mandarat Senatus, factum. Et ſatis quidem apparebat, ea patres decreviſſe non odio in Epidaurios, tametſi juſtam cauſam contemptus dabat; ſed ut Turcis opportunitatem illam eriperent: idemque haud obſcure ſignificabant legatis Cæſaris & Hiſpaniæ regis, quos ii aſſumpſerant deprecatores. Aliter tamen ibi accipiebant, qui curam Senatus interpretarentur vim illatam ſibi. Caſu evenit, ut, cum Ludovicus Balbus, Venetus trierarchus, præter oram eorum navigaret, in auxilium vocaretur ab navi, quæ cum mercibus profecta Aſcrivio hæſerat prope terram immobilis ob tranquillitatem. Haud gravatim tulit imploratam opem Balbus. Religato ad triremis puppim fune, navem trahebat ad ſtationem proximam, inſulam Lacromin: cum in prætereuntem Venetam triremem ex maritima arce Epidauri exonerata fuere tormenta tria; quanquam ictus forte fortuna vani ceciderunt. Viſa civitas auſum non improbare. Ut tamen pericula arceret, quæ inſtarent ab irritatis Venetis, apud præfectum Illyrici literis ſcriptis excuſat: *naves ſalem portantes, ſub ipſis urbis ſuæ mœnibus oppreſſas, ſemel atque iterum Balbum abduxiſſe. Navem aliam conatum tunc abducere, tendentem & ipſam ad portum ſuum. Neutiquam animo hoſti-*

Coercentur a Venetis.

Tormentis petunt triremem Venetam.

Per literas purgant apud præfectum Illyrici.

hoſtili feciſſe arcis præfectum, ſed ut ab injuria deterreret. 1694.
Nihilominus, quod ita fecerit, eſſe permoleſtum civitati. Re cognita, Senatus ad Illyrici præfectum reſcribit, *jus faſque videri violaſse Epidaurios: ergo literis eorum reſponſum nullum daret; neve legatos, ſi mitterentur, audiret: imperaret trierarchis, ut naves quaſcunque ſalem illuc vehentes caperent, ac, ſale projecto in mare, averterent: piſcatum ubique turbarent: terra ſimul infeſtos redderet fines; ut, ſi quid ex terris Epidauriorum ad Turcas, aut hinc ad Epidaurios transferretur, id militum, qui tranſitus eos tuerentur, præda eſſet.* Ubi hæc fieri cœpta, ſubiit Epidaurios commiſſi pœnitentia: miſſuſque confeſtim Spalatum legatus ad præfectum Venetum, qui infenſum placaret. Cum is ibi receptus non eſſet; legatus dein alius alibi tentavit aditum. Sed neque hoc admiſſo, intervenit haud multo poſt, unde creſceret ira. Duo Epidaurii cives, manu ſtipati armatorum, ad Epidaurum Veterem ex improviſo advenientes, ubi Veneta biremis cum paucis militibus in ſtatione erat; novem populares ſuos, quos ultro dantes nomina Venetus præfectus pridem ſcripſerat, inde rapuere. Ultionis occaſio oblata cito eſt. Michael Georgius, genere ac virtute habitus inter primores civitatis ejus, cum ab vicina inſula (Medium appellant) in continentem lembo trajiciens, incidiſſet in Venetam biremem; fuga præcluſa, captus eſt, Spalatumque perductus. Hæc Epidauriis magni motus cauſa fuit. Poſtquam a Veneto præfecto rejiciebantur legati qui venerant petentes ut Georgium reſtitueret in libertatem: Romanum Pontificem, & Cæſarem obſecrabant, ut apud Senatum ſuſciperent cauſam ſuam. Cum autem hi minime ignorantes, haudquaquam immeritis contigiſſe, auctores potius illis eſſent mittendi legati, qui civitatis nomine Senatui ſatisfaceret: Seraphinum Bonam, cordatum virum, Venetias deſtinant. Is primo in Collegium introductus, demiſſa oratione egit: *crederent patres firmum eſſe Epidauriorum civitati fidem ſumma cum religione colere erga Venetos, quam ſemper majores eorum coluiſ-*

Purgatio non accipitur.

Legatio rurſum irrita.

Iterum audent in Venetos:

qui mox Michaelem Georgium capiunt.

Confugiunt Epidaurii ad Pontificem & Cæſarem.

Legatum mittunt Venetias.

1694. *luſſent: orare obteſtarique ne turbari pacem, atque imminui libertatem ſuam paterentur*. Supplicem deinde obtulit libellum, quo precabatur, *ut liberum priſtino more commercium eſſe vellent, Georgiumque e cuſtodia dimitterent*. Quando ita ubique rogabat, nihil ut diceret, quod ad culpam purgandam pertineret; reſponſum nullum dabatur ab Senatu. Interim quia diutius ſpe trahebatur res, ab ira

Turcas incitant contra Venetos.

temerarium conſilium ineunt. Turcas perpellunt, ut in Venetos milites, a quibus fines obſidebantur, darent impetum. Longe tamen alium, quam crediderant, id eventum habuit. Nam cum illi haud parva cæde Turcas repuliſſent; continuo ſine ullius imperio vim vertunt in Epidaurios ipſos, a quibus fuiſſe Turcas inſtigatos

Sed male mulctantur ipſi.

bene cognorant. Compluribus locis incurſiones fieri in eorum terras, prædæque pecorum præſertim agi cœptæ; ut non in agris ſolum, ſed etiam in oppidis, quo unicuique ex agris ſuæ jacturæ nunciabantur, cuncta pavore implerentur ac tumultu. Tum vero fracta Epidau-

Per legatū ſatisfaciūt.

riorum contumacia eſt. Juſſus Bona ſignificare Senatui: *quod nulla publica ſententia contra Ludovici Balbi triremem feciſſet arcis præfectus, factum id injuſte, civitatem denique comperiſſe: haudquaquam impune illum abiturum, quem citaverint ad cauſam ex vinculis dicendam*. Non multo poſt, *perfectum de eo judicium, damnatumque*, attulit. Et jam plus

Georgius in cuſtodia moritur.

biennium Bona erat Venetiis, nihilque impetrarat: Georgius in cuſtodia obierat: haud parum quoque datum fuerat terra marique damni; ut Epidaurii ſatis pœnæ ſuſtinuiſ-

Veniam demum impetrant.

ſe viderentur. Quare ad præfectum Illyrici ſcriptum eſt: *placere Senatui parci in poſterum Epidauriis: modo ne præſidia impoſita ad communionem cum Turcis prohibendam detraherentur; cætera omnia libera illis eſſent*. Bonæ quoque ſcripto edunt voluntatem ſuam civitati perferendam: *ut exinde ne quid paterentur hoſtile*: ibidem diſerte additum, *ſi deinceps moderata conſilia ſequi inſtituiſſent, in dies propenſiorem in ſe habituros Civitatem Venetam*. Lætus exitu Bona, gratias Senatui egit: cumque eodem tempore nuncius advenis-

veniſſet redacti in poteſtatem Citcluti; victoriam prolixe eſt gratulatus: quod tamen nec ex animo neque ſyncere factum, non temere ſuſpicetur qui videat, capto octo ante annos Caſtro Novo, nunc Citcluto, utrinque injecta veluti vincula Epidauriis eſſe. Cum id oppugnaretur, aberat Baſſa Chulmiæ, profectus valida militum manu adverſus Niſſichios populos, ut tributum detrectantes armis cogeret. Rem aggreſſus erat haud facilem, ſi cum unis Niſſichiis, pugnaci genere, dimicandum eſſet: difficiliorem fecerat Marcellus, miſſis delectis cohortibus Illyriorum, qui juvandis ſociis inibi eum detinerent. Atque adeo evenit conſilium, ut priuſquam ſentiret oppugnari, Citclutum dederetur. Levibus prœliis aliquot commiſſis, jam cum Niſſichiis eorumque auxiliaribus congredi acie parabat: at ſimul audiit arcem amiſſam, nocte agmine ſilenti movens inde, revertit in provinciam. Quod autem juſſurum regem providebat, id agere ſtatim occupat. Quantum plurimum poteſt, colligit militum; ne occaſioni deeſſet, ſi qua daretur, recuperandi. Et mox ad præſides finitimarum provinciarum, Baſſas tres, mandata ab rege perferuntur, collatis in unum viribus, Citclutum ducerent oppugnatum. Exiguo tempore ad duodecim millia peditum, quatuor equitum effecta ſunt. Nec mora, ductu Suleimanni Baſſæ Albanenſis quem Baſſis aliis placuerat præeſſe, trigeſimo poſt die quam captum a Venetis fuerat, ad Citclutum acceſſere. Præſenſerat Delphinus: ac celeritate uſus tanta eſt, ut præverteret hoſtium adventum. Naronam invectus claſſe, accitoque eodem equitatu, medio ferme ſpatio inter Norinum & Citclutum, unde ſubſidia, cum opus foret, ſubmitteret in arcem, caſtra ponit, læva duplici vallo, dextra amne ſeptus. Ob hæc Suleimannus, qui ad Trebiſate flumen pervenerat, dubius ſententiæ eſſe, perſtaret ne in incœpto, an in aliud tempus rem differret. Pudor erat, cum adventaſſet apparatu ejuſmodi, nulla tentata alea abire. Itaque mittit

1694.

Baſſa Chulmiæ adoritur Niſſichios.

Baſſæ tres juſſi ab rege ire ad recuperandum Citclutum.

Delphinus defenſionē inſtruit.

1694. pedites mille & quingentos, equitibus additis quadringentis, qui caſtellum D. Stephani adorirentur. Poſtquam eos per æqua atque iniqua ſubeuntes, qui defendebant Veneti, multis occiſis, depulerant: omni exercitu fluvium tranſducto, vineas undique admovet machinaſque.

Turca tentat caſtellum D. Stephani.

Oppugnabatur maxime munimentum, quod pro parte infirmiore murorum objecerat Donatus. Nihil tamen territum præſidium, augente inſuper fiduciam vireſque Delphino, qui inter pugnæ ardorem pedites intromiſerat trecentos; primis diebus opera hoſtium procul miſſilibus turbabat. Auſum deinde erumpere, tantum ex improviſo incuſſit pavoris, ut niſi tres ſimul Baſſæ ignaviam increpitantes in tempore obſtitiſſent, vineas ſtationeſque deſerturi fuerint. Per laxatas interim cuſtodias milites ſeptingenti ex Delphini caſtris penetrarunt in vicum. Creverant his rebus magis animi incluſis: jamque noctem juxta diemque infeſti erant Turcis munientibus; ut unam in celeri expugnatione ſpem eſſe ratus Suleimannus, ſtatueret univerſis copiis caſtellum, inde arcem impreſſione petere. Hortator ipſe ac teſtis virtutis atque inertiæ cujuſque effecit, ut labore magno evaderent in ſummum. Ne munimenta protinus ſuperſcanderent, acriter ubique repugnando Venetus prohibuit. Vix ſperabatur nihilominus non ad extremum inſcenſuros; ſubmittente Baſſa alios atque alios. Sed cum in eum, qui potiſſimum premebatur, locum provolaſſet cum expeditiſſimis Franciſcus Viſcovichius præfectus præſidii, & ſuperantes primos jam deturbaſſet; exortus ibi tumultus, momento temporis agmen, quod ſuccedebat, totum pervaſit. Ergo, neglectis imperiis revocantium centurionum, omnes cœca formidine abrepti in præceps deferri: neque ante fugiendi finis eſt factus, quam in caſtra ad collis radices poſita pervenirent. Per hanc occaſionem Venetus incendit vineas, partemque obſtruit murorum decuſſam tormentis. Perculit id Suleimannum. Et, qui numero non parvo ſuorum amiſſo, inter hos fratris filio, vulne-

Arcem oppugnat operibus & machinis.

Vi atque armis aggreditur.

Repellitur.

vulneratiſque cum ducibus aliis, tum Baſſa Chulmiæ; 1694.
dies complures oppugnando nihil profeciſſet: ſimilem exitum, ſi oppugnare pergeret, timens, nocte quæ inſecuta eſt ſilentio tutus illinc receſſit. Lux prima abitum aperuit hoſtium.

Nocte abſcedit.

Inſtare parabat Delphinus. Verum a propoſito averterunt nuncii, trajeciſſe eos jam Trebiſatc fluvium. Ita liberata arce; parte impedimentorum, quæ in nocturnæ profectionis trepidatione reliquerant in caſtris, Veneti potiuntur. Haud interea ceſſarat Marcellus. Ut alibi ciendo tumultus, ad ſua tuenda Turcas abſtraheret ab Citcluto; non exiguam manum Illyriorum ex Rhyzinio & Grakovo immiſerat in eam ipſam regionem, unde ad Citclutum oppugnandum moverant. Ac paucos intra dies novem pagi atque ignobilia quædam caſtella, in his tamen unum Baſſæ Chulmienſis ſedes, cæſis fugatiſve præſidiis, capta & concremata ſunt.

Marcellus pagos multos & caſtella occupat & incendit.

Eodem fere tempore ex Aſcrivii & Caſtri Novi agris collectam multitudinem in loca circa Tribunium induci placuit a Burovichio. Huic quoque proſpere ceſſit res. Nam, cuſtodibus metu diffugientibus, cum caſtella aliquot occupaſſet; iis everſis, vaſtataque regione, in vallem ipſam Tribunii ducere pergit.

Burovichius alibi infeſtus Turcis:

ducit in vallem Tribunii:

Ad primum rumorem adventantium hoſtium receſſerant Turcæ in tutiora trans amnem, qui media fluit valle. Attamen nihil ille retardatus difficultate, amnem ponte audacter tranſgreditur: uſuſque ardore militum adoritur caſtellum non procul aditu pontis, & paucas intra horas expugnat. Procedens continuo ad Aſceterium ſacerdotum Græcorum, ſupercilio inædificatum parum diſtantis tumuli, atque in arcis formam emunitum; quia tormenta deerant, quibus quateret muros, cuniculos agere inſtituit.

Caſtella complura capit.

Repugnarunt Turcæ, quandiu ſteterunt muri. Ut ruere partem videre, deſerto loco, montes proximos fuga petunt. Minimum inde laboris fuit in reliquis caſtellis capiendis, quæ complura ſita ſunt ſuper ripâm amnis; ut, pulſis paſſim hoſtibus, habitatores vallis vectigales

1694. gales facti imperium illico acciperent. Metus idem ab *Popovo expulit Turcas.* Popovo, quod finitimæ Tribunio regioni eſt nomen, expulit præſidia Turcarum. Atque, priuſquam vim experirentur, obviam facti incolæ Veneto duci, ſe ſuaque omnia ejus permiſerunt fidei. Secunda hæc rei aliquan- *Clobuchũ.* to majoris ſpem Marcello accendere, Clobuchi potiundi. Sic vocant arcem antiquam, ultra Tribunium, ad orientem ſolis, duodequadraginta millia paſſuum a mari. Inſidet rupi undique aſperæ; quæ ſupra cæteræ modum altitudinis collibus imminet circa poſitis. Aditus eſt ad mœnia via una manufacta, quæ ſingulis tantum hominibus pateat: vetuſtatem autem templum arce media oſtendit, ubi monumentum viſitur Græcis notis inſcriptum, ante annos mille & ducentos. Fame una expu- *Obſidetur a Marcello.* gnabilis eſt. Itaque Marcellus Tryphonem Stuccanovichium, centurionem impigrum, cum manu militum, quanta ſatis eſſet ad itinera circa obſidenda, illuc confeſtim ire jubet. Nihil minus timuerant Turcæ: eo magis, ut ab commeatibus prorſus imparatos, terruit repentinus hoſtium adventus. Miſſis tamen, qui Chulmienſi Baſſæ, quanto in periculo verſarentur, nunciarent; ſatis ſperabant, in tempore opem laturum. Neque cunctatus eſt Baſſa, quamvis nondum percurato vulnere, duobus *Intercluſo auxilio,* armatorum millibus contendere in auxilium. Sed appropinquanti major longe, quam fuerat opinatus, objecta multitudo obſidentium eſt. Nihil enim illorum, quæ apud hoſtes agerentur, latuerat Marcellum: jamque & Burovichius cum Stuccanovichio junxerat copias; & noviſſime Marcellus ipſe cum delectis centuriis aliquot eodem venerat. Ea Baſſæ ſubſiſtendi ſatis magno ab Venetis intervallo cauſa fuit. Poſtquam neque conſerere pugnam audebat impar viribus; neque per ſaltus ab parte omni inſeſſos clam importandi commeatus dabatur facultas: veritus ne ſibi quoque, ſi diutius ibi moraretur, ab prævalido hoſte aliquid eſſet periculi; incœpto omiſſo, caſtra retulit in tutum. Nec incluſis tolerabilis ultra fuit

obſi-

obſidio. Impetrantes, ut abirent cum rebus ſuis, arcem 1694.
tradiderunt: & jam regio omnis inter Aſcrivienſem a- *deditur.*
grum & flumen Naronam, extra maritimam oram
quam Epidaurii tenent, Venetorum erat. Hæc ut ſunt
nunciata Conſtantinopolin, ira exarſit rex. Acuebat Viſ-
ſirius, qui palam diceret, ſocordia Baſſarum ignominiam
acceptam. Ergo, amotis iis ſubſtituit alios: ſimul Ma-
humeti Boſnenſi Baſſæ imperat, quam primum profici-
ſcatur ad Citclutum armis repetendum. Quantum vide-
retur copiarum ut ex Boſna & finitimis populis ſcribe-
ret, permiſſum. Adjecta quatuor millia militum de ex-
ercitu, qui cogebatur in Pannonia; ut brevi numerus
viginti millium expleretur. Apparatus fama Delphinum
excitavit ad inſtruendam intentius defenſionem. Citclu-
tum, unde paulo ante abierat, reverſus, ex omni pro-
vincia accerſit eo armatos; imminutumque præſidium
arcis, nam graſſatus interea morbus haud paucos abſum-
pſerat, non ſupplet modo, ſed etiam auget centuriis a-
liquot Italici generis, quæ nuper advenerant Venetiis. *Arcem munit Delphinus.*
Tum, qua Vimes ſuadebat, quantum poterat pro tem-
pore, caſtella arcemque operibus firmat: locum autem,
quem maxime idoneum ad muniendum expertus antea
fuerat, eum rurſum deligit caſtris. Paulo poſt & Capel-
lius venit eodem cum equitatu; & Burovichius a Mar-
cello miſſus tres ſecum cohortes adduxit Illyriorum,
voluntarioſque multos ex Tribunio & Popovo. Ut cu-
ra alia hoſtem diſtenderet, egerat Delphinus per literas
cum Auſpergio Caroloſtadii præfecto, ut maturaret in *Auſpergius incurſat fines Turcarum.*
terras Turcarum incurſiones facere. Ac Germanus qui-
dem conſilium executus impigre eſt. Nam fines eorum
evaſtavit locis pluribus; pagos nonnullos incendit; caſtel-
lumque permunitum, Boricovatium, vi cepit. Nihilo-
minus Mahumetes Serajo Boſnæ urbe, quo militibus
indixerat conventum, & Baſſis aliquot imperio regis
cum ſecuturis, profectus; tertiis inde caſtris pervenit ad
Naronam. Ibi Trebiſate fluvium trajiciens, præire jubet *Mahumetes*

alam

1694. alam equitum formam munitionum undique ſpeculatum: qui tamen accidente e muris telorum velut imbre, celeriter ſe ad ſuos receperunt. Poſtero progreſſus die mittit Turca duos, qui aliorum etiam Baſſarum nomine ſcriptas literas perferant ad præfectum Venetum. Imperioſæ & minitabundæ literæ erant: *niſi illico deditionem faceret, extrema quaque paſſurum. Prolatantem momentum temporis, infortunio ſuo peſſimo intellecturum, quales viros & quantos in armis Baſſas, vocantes ad ſummam ſalutem, neglexerit*. Ubi ad terricula hæc contemptim fidenterque Delphinus, *& affatim ſibi vires ſuppeditare ad reſiſtendum, &, ſi neceſſe ſit, ad moriendum in cuſtodia arcis animum ſupereſſe*, reſpondit: omni ſimul terrore effuſo adoritur oppugnare. Ac primo quidem copiarum fretus numero, in ſpe fuit potiundi labore non magno. Deinde vero, cum dies multos tormentis oppugnaſſet operibuſque, haudquaquam res eveniebat. Nam & difficile ſuccedebatur ad mœnia aggeribus propter crebros ictus tormentorum, quibus incluſi uſque petebant munientes; & caſtello D. Stephani, quod præcipue tormentis gravioribus inceſſebatur, vix intulerat labis quidquam. Ob hæc, nihil remiſſa arcis oppugnatione, vineas perducere ad proxima vici ædificia intendit; ut, eo occupato, caſtella intercluderet ab arce. Delphinus, qui ad hanc diem muris continuiſſet ſuos, tunc demum vi majore cœptis hoſtium occurrendum cernens, non ultra cunctatus eſt eruptionem periclitari. Delectus in id Burovichius cum promptiſſimis ſuorum; opportuno loco diſpoſitis, qui illum, re poſtulante, adjuvarent. Exitum conatus habuit, qualem ne ſpe quidem augurati Veneti eſſent. Ex improviſo nanque in hoſtes delatus impetu Burovichius, cæſis qui in primis ſtationibus erant, perfractiſque aggeribus, terrorem late diſtulit. Fuga cum fieret paſſim, perculſis inſtat: nec ante deſtitit perſequi, quam pavore amentes compelleret in caſtra. Disjecta continuo ſunt opera; ac, ne per tenebras reficerentur, nullus noctem totam ex ca-

Baſſa Boſnenſis ad Cisclutum.

Vocat ad deditionem Venetum præfectum Donatum.

Oppugnare aggreditur.

Eruptio inſtruitur a Delphino.

Burovichio Duce,

Turcæ in fugam aguntur.

caſtellis jaculandi modus fuit. Fecit hoc, ut celerius abſiſteretur oppugnatione. Etenim fractus animo Mahumetes, ut qui ex eo quod acciderat, metum præciperet futuri: occaſionem eſſe ratus tuto abeundi, dum apud Venetos cuncta bellico ſtreperent tumultu: vaſis raptim collectis, præmiſſiſque tormentis, cæterum ob curam feſtinandi aliorum parte inſtrumentorum relicta, oſtentator nuper fiduciæ & ſuperbus minis, trepido curſu fugiens, ante ſolis ortum Trebiſate trajecit. Re geſta proſpere, nihil Veneti habuere prius, quam ut Deum auctorem beneficii colerent honore. Gratiæ in templo actæ: Delphinus ædem D. Stephano ſacram in caſtello, jam pridem a barbaris dirutam, e veſtigio reſtituit. Tum verſus ad muniendum, novis pro natura loci adjectis operibus, arcem & caſtella longe quam ante firmiora reddidit.

1694.

Mahumetes, irrito incœpto, abit.

FINIS LIBRI VIGESIMIPRIMI.

HISTORIARUM VENETARUM

LIBER VIGESIMUS SECUNDUS.

1694. HÆc in Illyrico ea æſtate acta ſunt. In Græcia, expectatione hominum ſerius claſſis, quæ Naupliæ hybernaverat, movit. Zenus imperator, quando ſatis jam ſuppetebat virium non ad tuendam modo Peloponneſum, ſed etiam ad arma hoſtibus ultro inferenda; ſub veris exitum concilium habuerat, unde ordiretur bellum. Spectabat ipſe haud obſcure inſulam Chium: *nam egregiam gloriam ſui nominis fore, ſi oppidum cepiſſet cum ſuis opulentum opibus, tum bellico hoſtium apparatu plenum; instructum præterea portu tutiſſimo, quem Veneta claſſis habitura exinde eſſet ſedem ad quidlibet audendum in Ægæo mari.* Et extra Carolum Piſanum, præfectum alterum roſtratarum, probabant univerſi: ut, quod proximo anno ab ejuſmodi conſilio abſtinuiſſent, id unice verecundia factum appareret, ne Mauroceno, qui, ut docuit poſtea eventus, omnium quæ deinde acciderunt, prope vates *fuit*, adverſarentur. Huc converſis animis, dubitare nemo quin primo quoque tempore Chium trajicerent. Liberum nanque erat mare, hauddum claſſe Turcarum emiſſa Helleſponto; & ſecundi ea tempeſtate Minorem Aſiam petentibus venti tenebant. Ergo Zenus, quo magis maturaret proficiſci, nova auxilia ſocioſque non operiendos cenſuit. Jamque inſtrumentum oppugnandi imponebatur in naves; miſſique Peloponneſii octingenti ad diſtinendum hoſtem, Achajæ fines intrarant: cum propediem navigaturis, unde minime opinati eſſent, objecta mora eſt. Nondum in Græciam venerat Adamus Henricus Stenaus, quem ex Belgio, ubi Bavarorum copiis

Zenus imperator de Chio oppugnanda cõſultat.

Aſſentiuntur omnes, extra Carolum Piſanum.

piis

piis cum imperio præerat, acciverat Senatus, ut ſucce- 1694.
deret miſſionem petenti Trautſmendorfio. Hic non ſo- *Mora inji-citur ab Trautſmen-dorfio.*
lum interfuerat concilio; ſed etiam paulo poſt, ſcriptis
cauſis, ſpem obtulerat Chii exiguo certamine potiundæ. Tunc igitur, quando ſucceſſor datus necdum adveniſſet, *judicium imperatoris eſſe*, dicere, *ceſſaret ne ipſe tanquam defunctus præfectura, an porro obiret præfecti partes. Si in expeditione illa uti ſe conſtituat; præmonere, ubi inchoatum aliquid ductu ſuo foret, ſe præfecturam ſucceſſori, niſi re perfecta, non traditurum*. Permoleſtum accidebat Zeno, qui & neceſſariam ad id, quod parabat, præfecti operam cerneret; & committendum neutiquam putaret, ut in ipſo conatu adminiſtrandi belli contentio exiſteret inter duces. Quocirca hortari, *poſthaberet certamen, ne propterea amitteretur occaſio magnæ utilitatis: ageret animo æquabili, vincique ſe pateretur temporis neceſſitate: ad cæteras ejus laudes hoc acceſſurum, quod minoris cauſam ſuam, quam utilitatem publicam feciſſet*. Poſtquam ille pugnabat nihilominus pro ſententia: quod conſilium celeritate maxime nitebatur, in novi præfecti adventum atque auxiliorum dilatum eſt. Antonius Bollanus & Marcus Piſanus ea ducebant. Et ut erat anni tempus, mox affuturos ſperabatur. At ob ventos adverſos tardius navigantes, a. d. XVII. Kal. Sext. ſolum Naupliæ portum tenuerunt. Hos conſecutæ paulo poſt Melitenſes ſeptem, & quinque Romanæ triremes: qua virium acceſſione tametſi imperatori creverat impenſe animus; tamen poſt tam longam moram
de integro duces conſulendos ratus, advocato concilio, *Zenus de integro conſultat.*
ubi quid peditum equitumque, quid navium eſſet, oſtendit: *ex quo ſe exercitibus præfecerit civitas, nihil magis* *Oratio ejus.*
optaſſe, aperit, *quam ut Cydonis aut Chalcidis capiundæ opportunitas daretur. Huc ſerie rerum, Peloponneſo in poteſtatem redacta, jungendaque tractos ſuperiores imperatores fuiſſe. Quod autem illi abſcedere incœpto irrito coacti fuerint, eo ſe magis ad propoſitum exequendum, delendamque, ſi qua orta inde eſſet, ignominiam incitari. At, ut geri proſpere copiis præſentibus bel-*

1694. *lum alibi poſſet; ad neutram certe urbium illarum oppugnandam maturas eſſe vires. Scire ſe ſe, utrobique veteribus munitionibus novas adjectas, validiuſque impoſitum præſidium. Numerum vero militum & militarem apparatum reliquum minora aliquanto, quam cum alias tentata eſſent, habenti ecquam ſpem fieri juſtis operibus claudendi, expugnandique ante motus autumnales; ut non ſimul cum obſeſſis, ſimul cum tempeſtate ſæva imbribus certandum foret? Ergo cogitatione iſtiuſmodi tunc omiſſa, in animo volvere ſe ſe, qua loca magno uſui ſint Turcis ad alendum bellum, quaque nullum ob metum oppugnationis infirmis teneantur cuſtodiis, ea oppugnatum ire. Rectum ex Peloponneſo, minimeque impeditum trajectum eſſe Tenedum, Lemnum, Mitylenem, Chium. Hæc horrea eſſe illorum, èoque omnes ex Aſia atque Africa naves curſum dirigere. Chium proximam ſi cepiſſet, neque dato ad comparandum ſpatio, protinus ad alias admoviſſet claſſem; minimum laboris in ſubigendis militem aditurum. Et confidere, qui Chium tueantur, inopinato adventu perterritos, primò impetu compelli ad deditionem poſſe. Oppidum, genere ſtructuræ antiqua, nullo firmari interiore munimento. Præterea cum millia ferme centum humanorum capitum inſula tota cenſeantur, Turcarum quidem millia eſſe non amplius tria, horum autem partem vix tertiam, qui arma ferant. Cæteram multitudinem Græcorum Latinorumque, quantum ex tuto liceat, averſari dominatum barbarorum. Simul conſpexerint Venetorum ſigna, quorum ſe ſub imperio olim fuiſſe meminerint, extemplo nudaturos animum. Similem, ut in cauſa pari, ad Tenedum, Lemnum, ac Mitylenem exitum futurum. Quibus hoſti ademptis, prorſus amiſſurum ipſum poſſeſſionem maris; Venetis non ad Chalcidem modo ac Cydonem, ſed etiam ad omnia per nefas ante ablata recuperanda gradum inde fore.* Hæc dicenti iidem, qui prius adſentierant, adſentiebantur. Unus Carolus Piſanus, quæ Maurocenus caſura providerat

Contradicit Car. Piſanus. prædixeratque, ſi Chium tentarent, memorans ordine; *nihil minus e rep. eſſe* addebat, *quam vana ſpe evectos inſulam appetere, millibus paſſuum ducentis diſtantem; quamque, ſi Peloponneſum ſervatam vellent, utique crederet retineri non*

poſſe.

poſſe. Nec ego, inquit, *ut nihil agatur, hæc moneo. Quin ſine mora educimus claſſem; &, quando multa jam æſtate adoriri Chalcidem non attinet, cum hoſte, quem fama eſt, antequam circumagatur æſtas, ab Helleſponto moturum, navali certamine decernimus: ſi poteſtatem non faciat pugnæ, expreſſa formidinis confeſſione, terrorem paſſim circumferimus? Commeatum, pecuniam, remigem, metu ne diripiantur, præbebunt inſulæ. Neque leve non ad præſens ſolum, ſed etiam ad ſpem futuri momentum erit, horrea illius incendiſſe; Theſſalonicam ante alia, unde Chalcidenſibus, quæ belli uſus poſcunt, terra ſuppeditentur marique. Ita integris copiis concedemus in hyberna, vere primo recentibus ab Italia adjuti auxiliis Chalcidem obſeſſuri; quæ tandem una ſub jus redacta poſſeſſionem tutam ſtabilemque Peloponneſi reddet.* Nullius oratio neceſſaria fuit qua Piſanus refelleretur; adeo omnes Chii occupandæ cupido ceperat. Quamobrem Zenus partiens curas ſimul inferendi atque arcendi belli; ut ab Peloponneſo ad ſuorum potiſſimum cuſtodiam Turcas averteret, tribunum Ludreccam cum expedita ſexcentorum Peloponneſiorum manu in Achajæ continentem rurſus mittit, qui quantum poſſet plurimum populando urendoque tumultus inferret. Tum tria amplius millia peditum, equites mille ſexcentos tribuit Marino Michaelio, quibus ſervaret Iſthmi fauces. Datæ triremes etiam aliquot ad Corinthi oram tutandam. Si quam autem vim hoſtium inſtare intelligeret; partem præſidiorum, quibus maritimæ arces terreſtreſque tenebantur, & quatuor Græcorum millia eodem jubet contrahere. Ad hæc Antonio Molino præſidi inſularum mandatum, ut uno tempore ab civitatibus provinciæ ejus militem exigeret pro cujuſque copiis, & cum iis, quas habebat, triremibus Corinthium ſinum intraret. His conſtitutis ad tuendam Peloponneſum; & paucos intra dies ſatis jam inſtructis ad profectionem apparatiſque omnibus: pridie Kal. Sext. ſecundum rem divinam, milites conſcendere. Peditum ſupra octo millia fuerunt, equites ferme quadringenti. Poſtero die, priuſquam ſolve-

1694.

Statuunt Chium trajicere.

Zenus Peloponneſum munit.

1694. verent, allatum eſt, quod acciperent in omen fauſtum; *Peloponneſiorum excurſio in Achajam* Peloponneſii, excurſione in Achajam facta, direptis aliquot incenſiſque vicis, numerum non parvum hoſtium fuderant; tum agris eorum late pervaſtatis, graves præda redierant in Peloponneſum. Quare deſpondentes animis exitum expeditionis maritimæ ſimilem futurum; cum ſe lenis ventus ab occidente intenderet, proficiſcuntur *Claſſis ſolvit.* viginti navibus maximæ formæ, quatuor & triginta triremibus, quinqueremibus ſex, quas onerariæ cum commeatu bellicoque alio inſtrumento ſequebantur. Scyllæum circumvecti, præter Atticen ſuper Sunium navigabant; cum verſus repente eſt in ſeptentrionem ventus: *Tempeſtate disjicitur.* quo ingraveſcente, vexari valde tempeſtate cœpti. Et triremes quidem ac quinqueremes pervicerunt remis, ut appellerent Scyrum. At naves majores onerariæque diu in alto jactatæ: ut poſtremo non tenentes curſum, aliæ alio, pars magna ad Melon uſque & Paron inſulas deferrentur. Ægre ad Andrum collecta claſſe, ibique multos dies vento retenti; ubi prima tranquillitas data, triremibus remulco trahentibus naves cæteras, un- *Chium pervenit.* dequadrageſimo die, quam Nauplia vela fecerant, Chium *Chii inſulæ deſcriptio:* pervenerunt. Icarii maris inſula eſt inter Samum & Mitylenen, amplius centum millium paſſuum ambitu. Abeſt ab Argenno promontorio (hic arctiſſimum fere eſt fretum quod Joniam Chiumque interfluit) millia paſſuum octo. Longitudine frontem æquat Joniæ peninſulæ: imminetque hinc Jonio, hinc Smyrnæo; quos ſinus Jonia in altum excurrens, ac velut nota diſtinguens mare quod oſtia interjacet Hermi & Cayſtri amnium, in meridiem & ſeptentrionem verſos, facit. Qua ſpectat in or- *Urbis.* tum ſolis, medio ferme loco inter Poſidium & Phanas promontoria, urbem habet cognominem, quadrata forma: mille paſſuum ſpatium murus amplectitur. Ad meridiem portum contingit, objectis ab alto molibus & ſuperimpoſitis caſtellis tutum, qui caperet olim claſſem quantamvis. Ibidem navalia ſunt. Latus alterum ab o-

riente

riente hyberno alluit mare. Ad ſeptentriones & occidentem foſſa valloque ſepta ſuburbiis imminet: ulteriora colles ſunt monteſque, quibus regio ſcatet; eoque minus ferax eſt frugum, ne frumenti quidem, quod in uſum incolis ſatis ſit, præbentibus agris. Cæterum & frequentia ædificiorum, & inhabitantium multitudine, & illecebris omnis amænitatis maritimæ ac terreſtris, Græcarum inſularum facile habenda inter primas. Abundat palma, piſtacio, caſia, cedro; magnamque bombycis, ſericique, goſſipii, & lanæ copiam mittit. Accedit mons Pellenæus, & Arviſium vino celebre ac marmore. Qua autem vergit in auſtrum (partem hanc inſulæ Catomeream ipſi vocant, alteram ſeptentrioni oppoſitam Apanomeream) colles ſaltuſque Lentiſcum arborem ferunt, unde exſudans in lacrymæ modum Maſtiche legitur. Veneti, ſuperatis Phanis (Catomereæ promontorium eſt in Ægæum mare verſum) invecti fretum, tria ferme millia ab urbe paſſuum, aperto ac plano littori applicant naves. Caput S. Helenæ appellant. Hac Stenaus procedens ſitum comtemplaturus regionis, egreſſum optimum eſſe cognoverat. Ne protinus exſcenderent, Turcæ obſtiterunt; ad quos, cum claſſis prope Andrum ſtaret, multis ſimul ex partibus nuncii convolarant ad prædicendum ut caverent. Itaque contracto undique circum milite, & tribus triremibus, paulo ante adventum Venetorum, portum ingreſſis, armatam aciem prætenderant littore toto. Minus tamen, quam crediderant, ex apparatu eo periculi aut operæ oppugnaturis fuit. Nam ſtatim atque e triremibus, quas admoverat imperator ad latus nudum illorum, micare omnis generis miſſilia cœpere; paulum retulerunt pedem. Mox cum & Illyrii paulo inferius egredientes in terram, locum cepiſſent; & duæ Italorum cohortes regione alia expoſitæ, brevi circuitu evaſiſſent in collem propter viam quæ ad urbem ducit: veriti ne intercluderentur, in tutum receperunt ſe ſe. Continuo copiæ cæteræ velut in pacata littora deſcen-

1694.

Turcæ fruſtra prohibent exſcenſione Venetos.

Recipiunt

1694. ſcendunt : neque per inæqualia collium , anguſtoſque tramites , & pleraque arboribus conſita ad urbem ſubeuntibus quiſquam pugnandi cauſa obviam factus . Ubi ventum eſt in tumulos , qui ſuburbia ſubjecta habent ; quia ſerum erat diei , conſtituunt ibi ſigna . Poſtridie demiſſum agmen , fuga Turcarum vacua cuncta invenit ; ut & re proſpere cadente lætarentur , & contemnerent etiam hoſtem , ignarum adeo opportunitatum ſuarum . Si enim ædificia crebra præſidiis inſediſſet , ne ipſi quidem abnuunt , magno ſuo cum diſcrimine fuiſſe dimicaturos . Tum Zenus , quod plurimum intererat ad conciliandos animos Chiorum , gravi edicto propoſito , ut a præda & maleficio miles abſtineret ; ita dividit exercitum , ut pars alia oppugnaret urbem , alia tegeret oppugnantes . Poſteaquam , ut quiſque inſulanorum excellebat dignitate atque opibus , ita ſe ſuaque in Veneti imperatoris committebat fidem , & quæ imperaſſet facturum impigre pollicebatur : univerſis copiis eſt adortus . Qua mari alluitur , late explicatas in frontem triremes objicit ad augendum terrorem , & prohibenda ſi qua obſeſſis mari ſubmitterentur auxilia . Cæteram claſſem paulo longius conſiſtere placuit locis pluribus ; indeque ſpeculatoria navigia mitti extra fretum ad explorandos motus hoſtium , quos ad opem ferendam non dubitabat venturos . Primis diebus vix ſuccedebat quidquam . Ad navalia enim ſuper portum erat caſtellum opportune ad omnia , quæ terra marique agerentur , noſcenda turbandaque : illinc autem Turcæ non triremium modo ſtationem infeſtam Venetis , ſed terra quoque ne recta commeare ad ſuburbia poſſent , faciebant . Ergo conſtitutis balliſtis in propinquo , verberari cœptum eſt caſtellum . Et cum præfectus , dum incautius obverſatur in muris , ferrea glande trajectus cecidiſſet ; militibus defuit animus ad vim ultra ſuſtinendam . Pacti igitur , ut emitterentur cum rebus ſuis , caſtellum dediderunt . Tunc Venetus navalibus potitur & portu : ubi præter tres triremes , ſeptem & vigin-

ſe in oppidum.

Zenus benigne facit in inſulanos.

Oppugnat oppidum.

Inde caſtellum:

quod deditur.

viginti minoris formæ navigia venere in poteſtatem. *1694.* Urgere continuo oppugnationem Zenus: etenim in Ægæo jam eſſe hoſtium claſſem nunciabatur; ubi ex Theſſalia atque Eubœa collegiſſet armatos, affuturam. Itaque tum ipſe hortator aſſiduus inſtabat; tum Stenaus, Aloyſio Mocenico & Carolo Piſano ſtrenue adjuvantibus, non die, non nocte opera intermitti patiebatur. Ac paucos intra dies non ſolum externis oppidi munitionibus, qua in occaſum æſtivum ſpectat, injunctus eſt agger; ſed etiam parte earum cuniculis everſa, muri prociderat aliquantum. Interiora quoque, præſertim mœnibus proxima, conjectis incendiariis globis, aut ſtrata pleraque ruinis erant, aut conflagrarant. Ob hæc viſum hortari obſeſſos, ut urbem potius traderent voluntate, quam paterentur perniciem extremam. Neque a conſilio deditionis abhorrebant, qui per ſtragem murorum brevi facturos impetum oppugnantes crederent, ſibique ſine munimento poſt muros non fore facultatem diu reſiſtendi. Verum cum ſuorum claſſem non dubitarent ad ſe trajecturam, expectarentque quam mox adeſſet: biduum primo, inde diem unum petierunt ad deliberandum; interea ut tenerent induciæ. Non fefellere imperatorem. Poſtquam igitur acrius de integro oppugnabantur: ab timore ne vi captis nullus apud victorem veniæ eſſet locus, legatos ſub veſperam mittunt, qui de condicionibus dedendæ urbis agerent. Hoc ſtatu res erat ad Chium, cum e ſpeculis montium conſpici claſſem Turcicam prope Lesbum inſulam, affertur. Et ſtatim cura multiplex inceſſit Zenum. Nam ſimul aptandas e veſtigio ad prœlium naves, occurrendumque hoſti videbat; ſimul verebatur ne, ſi adventantis auxilii fama pervaderet ad obſeſſos, nihil tranſigi cum legatis poſſet. Ne qua ceſſaret in parte, qui cum his paciſcantur, Stenaum deligit & Mocenicum: ipſe ad naves protinus redire conſtituit. Ubi Turcis certum erat rei firmandæ fidem nec dare nec accipere, niſi cum ipſo coram imperatore Ve-

Urbs acrius oppugnatur.

Turcæ agūt de deditione.

1694. neto: conſilium mutare coactus, cum iis ad multam
Condiciones. noctem diſceptavit. Demum convenit deditio in has leges: *ut porta contra Venetorum caſtra, & caſtellum maritimum alterum illico traderentur: ut Turcæ cum armis rebuſque ſuis intra triduum tranſveherentur in proximam Joniæ oram: ne quem captivum, Judæum, fugitivum, aut transfugam ut inde abducerent: præterea quas triremes, quæque navigia minora in portu cepiſſet Venetus, ea ut retineret.* Obſidibus in hæc datis, metu tumultus nocturni miles ſtatim intromiſſus non eſt. Stenaus modo & Mocenicus in porta conſtiterunt. Ut illuxit, is dies fuit a. d. XV Kal. Octobr. Zenus, recepto oppido, impoſitoque præſidio, Stenaum præficit; itidemque Juſtinum Ripam & Vincentium Bragadenum, magiſtratus ut ibi eſſent: ipſe autem cum reliquis copiis confeſtim littus petit, nullam expediendæ claſſis navigandique moram facturus. Quominus tamen eodem die exequeretur propoſitum, ſeptentriones venti, qui ſæviebant jam biduum, obſtitere. Nam & naves propter magnitudinem niſi in alto conſtitui non poterant; & ſcaphæ biremeſque, quas milite juſſerat compleri, adverſo mari, longo tempore magnoque remi-
Litera Contareni ad Zenum de adventu claſſis hoſtium. gum labore ad naves perveniebant. Interea certior fit literis Bartholomæi Contareni, qui cum parte navium celſiorum, octodecim inde millia, ad Cenuſſas inſulas erat in cuſtodia: *moviſſe ab Lesbo hoſtem: viginti naves maxima forma eſſe, ſeptem & viginti triremes. Quas his objiceret naves, habere ſe ſe cum paucas, tum inopes milite. Si auxilia militum naviumque mitteret, paratum eſſe mandata face-*
Reſponſum Zeni: *re.* Ad ea Zenus: *tempeſtate retineri claſſem: ubi lenita paulum venti vis foret, curaturum, ut ſe ei cum omnibus copiis quam celerrime conjungeret.* Nocte, quæ inſecuta eſt, ceciderunt ſeptentriones: itaque ſolvit, luce non expecta-
qui trajicit ad Cenuſſas inſ. ta. At quod tardior trahendis remulco navibus gravioribus curſus fuiſſet, multo ſolum die Cenuſſas tenuit. Profectis illinc agmine uno, venti denuo coorti multum præbuerunt moræ. Tandem haud procul occaſu ſolis, magno

Digitized by Google

magno triremium certamine ſuperantes promontorium 1694.
quod contra Lesbum ab Chio prominet in altum, conſpiciunt hoſtes; qui Maliam circumvecti, acie inſtructa in altum jam proceſſerant. Naves majores ab dextro tendebant cornu, ab ſiniſtro triremes. Ut videre Venetos, illæ de induſtria morari curſum; hæ vero, unde venerant, Lesbum extemplo repetunt. Ibi Zenus non fugæ *Remittit quinqueremes Chium.*
cauſa id ſuſceptum conſilii ab Turca ſuſpicatus, ſed ut, circuitu facto, in Chii fretum nullo prohibente inducerct triremes; captæ urbi metuens, quinqueremes, ut præſidio eſſent, remittit Chium. Cæterum ſub noctem vento increbreſcente, roſtratas, non ferentes jactationem in ſalo, reducit ad inſulas Cenuſſas; quarum quæ aliis majores ad boream ſic inter ſe coeunt, ut portum efficiant ab omni vento præterquam auſtro tutum. Cum prima luce conjunctis claſſibus (quindecim circiter millia ab hoſte aberant) in altum evehuntur. Et aliquantum jam progreſſis aucti ſunt animi, ut flexiſſe in lævam Turcarum naves adverterunt. Nam haud dubiam eſſe *Inſequitur hoſtes.*
confeſſionem timoris: modo adipiſci poſſent, certam victoriam fore. Dabat quoque in præſentia momentum ſpei, quod ſub ortum ſolis remiſerat ventus. Res ea adimebat illis facultatem moliendi naves graviores; ipſi roſtratarum remigio adjuti, aſſecuturi ad ultimum videbantur. Et ſucceſſiſſet, ni Turcæ novam elabendi rationem iniiſſent in tempore. Præerat claſſi Haſſanes, facien- *Haſſanes præfectus claſſis Turcarum.*
da piratica pridem inſignis; quem olim ex caſu pene extinctum, vulgo appellabant Semimortuum. Hic poſteaquam ſerum auxilium erat perditis Chiorum rebus, quorum cauſa venerat; ſentiens ſe viribus haudquaquam parem, omnem occaſionem circumſpiciebat declinandi certaminis. Quocirca primo accedere quam proxime ad Lesbi littora conabatur, ut ſi quid lenioris venti, quemadmodum aſſolet, ab terra flaret, eo uteretur. Ubi hoc parum procedebat, in ſcaphas deſcendere nautas jubet, remulcoque trahere naves. Ac velocitate quidem ſupera- *Pugnam detrectat.*

1694. bat Venetus: nihilominus, quidquid progrederentur Turcæ, id acceſſionem laboris aſſequendique moram afferebat. Zenus reliquum unum eſſe ratus, ut cedentes quam poſſet ocyſſime perſequeretur; vexillo propoſito, quo in prœlium accingi claſſem mos eſt, quoad ſufficiebant remiges, concitat navem. Ejus exemplo itidem alii connituntur: compluresque horas pertinaciter cum tetendiſſent, tandem Contarenus cum ſex navibus jam imminebat agmini extremo. Verum nec multum ſupererat diei, neque tam prope aberat numerus navium major, ut ante noctem pervenire ad hoſtem poſſet. Metus quoque ſolicitabat ne, ſi occidente ſole, ut contigit, rurſus ingrueret ventus, latius diſſiparetur claſſis. Propterea conſilium raptim habitum inter præſentes, utrum cum parva manu ad pugnam congrederentur, an cæteras præſtolarentur naves. Poſteaquam una omnium, Contareni in primis & Melitenſium præfecti erat ſententia, juſtæ dimicationi ſpatium non eſſe; in poſterum diem res differtur. Tum inſectandi finis factus: &, cum primis tenebris collegiſſent claſſem, noctem deinde totam obliquis velis ventos fruſtrando, loco non abſceſſere. Nondum diluceſcebat, cum quinqueremes, quas pridie ſub allatum nuncium, triremes Turcicas tranſmiſiſſe in Helleſpontum, imperator revocaverat Chio, non Argennum modo ſuperarant; ſed etiam recta ſecutæ lumen, quod in puppi ferebat hoſtium prætoria, eo jam proceſſerant, ut vix trium millium intervallum intereſſet. Diſpulſæ tenebræ errorem aperuerunt. Itaque Bartholomæus Gradonicus, qui præerat quinqueremibus, ſic moderari curſum cœpit, ut nec fugientis præberet ſpeciem, & ſui tempus haberent ad conſequendum. Conſecuti, pergunt una ad hoſtem navigantem Phocæam. Sed tertium jam diem conatum quemvis eludente fortuna, cum ſe aquilones repente intendiſſent, tres horas trahendis remulco navibus nequicquam laboravere. Ut ſpes progrediendi in præſens nulla dabatur; viſum, oblatam

Tendenti Phocæam inſtat Venetus. Obſtat ventus.

latam

latam caſu tempeſtatem vertere in conſilium. Ob pro- 1694.
perum ab Chio diſceſſum, aquam collegerant dierum
paucorum. Quamobrem proxima Lesbi inſulæ, qua E-
laitico ſinui imminet, adire longas naves interea placuit,
ut largius aquarentur. Quo perfecto, ubi primum le-
nior factus eſt ventus, tanto ardore inſtiterunt, ut, ſi
longior dies fuiſſet, opprimi hoſtes potuerint. Nox fu-
gientes abſtulit e conſpectu: quos imperator portum Pho-
cææ arbitratus petituros, eodem ut contenderent, guber-
natoribus edicit. Interim Turcæ, ſive quod ita animis
propoſuerant, ſive quia aquilonibus tranſverſis in dex-
teram urgebantur, Phocæam prætervecti, deſcenderant
in ſinum Smyrnæum. Atque jam aberant haud procul
Drymuſſa, Joniæ inſula objecta Clazomenis, cum illu-
xit. Ne extemplo conſpicerentur ab Venetis, qui Pho-
cæenſium littoribus appropinquarant, umbra terræ Aſiæ,
id quod matutino tempore neceſſe erat accidere, impe-
diit. Solis acceſſu cum apparuiſſent; nullum Zeno du-
bium fuit, quin Smyrnæ portum, neque enim effugium
patebat aliud, reſpicerent. Igitur poſtquam huc redibat
conſilium omne, ut fugientes, priuſquam portum in-
trarent, adipiſceretur; quantum accelerare potuit, per-
ſequi intendit. Ac tunc quidem proſperis ventis primum
eſt uſus. Veruntamen venti iidem curſum hoſtium ad-
juvabant: ut, cum intervallo haud exiguo diſtaret ad-
huc Venetus, illi portum inveherentur. Triremes duæ
Melitenſes prægreſſæ longius, ut navem unam minoris
formæ, ab cætero aberrantem agmine, interciperent.
Sed hæc quoque fruſtrata inſectantes, portum ſubiit. In
receſſu maris intimo poſita Smyrna eſt, emporium Mi-
noris Aſiæ valde frequens. Duodecim inde millia paſ-
ſuum, ab læva parte, lingua duum ferme millium ex-
currit; munitque angulo extremo caſtellum. Ab ſepten-
trionibus vada panduntur terræ ſimiliora, quam mari;
eademque e regione caſtelli coeunt faucibus adeo angu-
ſtis, ut ingredi navibus nonniſi ſingulis queas. Zenus a

Turcæ deſcendunt in ſinû Smyrnæum.

Inſequuntur Veneti.

Sed Turcæ eludentes, Smyrnæ portum intrant.

Smyrna.

Zenus non

priore

1694. priore ſpe cum decidiſſet: ſeu aperta vi adiri portum non poſse opinatus, ſeu res viſa eſt major, quam ut eam ſtatim animo caperet; modico illinc ſpatio conſiſtere naves jubet, cum præfectis claſſis, quidnam ageret, conſultaturus. Satis creditur hæc mora ſaluti fuiſſe Turcis; qui rati hoſtem continenti agmine in portum penetraturum, jam intenderant fugam in terram. Nam, cum ſe poſtmodum ab pavore confirmaſſent, in eam curam verſi ſunt, ut, ſi conaretur perrumpere, multis ſimul partibus acceſsu prohiberent. Itaque machinis ac tormentis propere in littore diſpoſitis, auctoque præſidio caſtelli; haud inde procul ſic explicuere ordinem navium, ut, cum uſus eſſet, ex tota claſſe in unum anguſtumque portus oſtium jaculari poſſent. Venetis interea rem in concilio agitantibus, Gallorum, Britannorum, & Belgarum Conſules ſuperveniunt; quos Turcæ Smyrnæi, direptionem metuentes, deprecatores aſsumpſerant apud Venetum. Ipſos etiam inceſserat timor ne, prœlio commiſso intra portum, mercatorum ſuorum naves quæ plurimæ paulo ante appulerant, periclitarentur. Ergo modis omnibus perpellere conati ſunt imperatorem, aditu ut abſtineret. Viſum poſtulatum iniquum. Neque enim aliarum gentium navibus quidquam impendebat damni ab amica claſse: & Venetis, quibus juſtum cum Turca intercederet bellum, minime dubie jus erat claſsem invadendi in portu ejus. Conſulibus cum ancipiti reſponſo dimiſſis; fateri quidem univerſi, ſi in portum inducerentur naves, deleri hoſtium claſſem poſſe: at quonam modo inducerent, niſi rem afferre in magnum diſcrimen vellent, haud reperiebant. *Fauces nanque arctas & vadoſas eſſe, quas non aliter quam ſimplici ordine, lenteque ſubirent. Timendum autem, ne qua ictibus objiceretur navis prima, antequam ſuperaret anguſtias, undique incidentibus pilis perforata ſupprimeretur. Quod ſi una pluresve penetraſſent; ſubmerſa ad extremum forte aliqua, & ſequentibus precludi viam, & illas certam Turcarum prædam fore.*

audet portum invehi.

Turcæ fauces muniūt.

Conſultant Veneti.

Ob

Ob hæc caſtellum adoriundum cenſere. *Eo expugnato, ceſſurum ultro hoſtem locis, unde vexare molientes aditum poſſet.* Verum neque ſatis ſuppeditabat militum, parte magna ad Chii cuſtodiam relicta: neque, qui inſtructa ad navale prœlium claſſe inde diſceſſiſſent, balliſtas grandiores ſecum attulerant quibus uterentur ad oppugnandum. Supererat unum, ut tota claſſe obſiderent portum; at in quo forent ſibi multo graviora patienda, quam incluſis. *Hos enim denique portu egregio, atque opulenta urbe fruentes, cuncta præbentibus accolis, acturos hyberna quieta commodaque, Venetos contra, aperto in mari tempeſtatibus objectos, in aſſidua ſtatione inopiaque rerum neceſſariarum futuros.* Quare tametſi acerbum erat, cum trepidum hoſtem inſecuti quatriduum fuiſſent, clauſumque jam haberent, ex oculis manibuſque prædam amittere: ne tamen, ſi diutius ibi conſiſterent, conatus, moraque ipſa ludibrio eſſet (etenim ab urbe procurrebant armati, multitudoque alia effundebatur) omiſſo incœpto, Chium reverti ſtatuunt. Sequenti nocte profecti, ſexto inde die claſſem illuc appulere. Dimiſſis ibi Romanis ſociis & Melitenſibus, negotium datur Quirino & Piſano roſtratarum præfectis, ut Turcas in Aſiæ continentem tranſportarent. Continuo Zenus in reficiendæ urbis muniendæque incubuit curam; ut cui pro explorato eſſet, ad eam repetendam primo quoque tempore barbaros moturos. Hæc ad Chium cum agerentur; in Peloponneſo haudquaquam tranquillæ fuerant res. Simul diſceſſerat Nauplia claſſis; præſes Achajæ eſſe opinatus occaſionem invadendi, collectis millibus decem militum, proxime Thebas caſtra poſuit. Aliquot poſt dies agmine expedito petit Megaram. Protinus tamen ducere ad Iſthmi fauces tentandas auſus non eſt. Conciverat jam Michaelius ex tota provincia armatos: locoque idoneo ad protegendam Corinthum metatus caſtra, militarem omnem viam, qua traduci exercitus poterat, munitionibus impedierat. Quamobrem hærens aliquandiu Turca inter ſpem metumque; quando non

Marginal notes: 1694. — *Chium revertuntur.* — *Zenus urbē reficere aggreditur.* — *Turca tentāt aditum in Peloponneſum:*

Digitized by Google

1694. non ſufficiebat animus ad apertum certamen, Liberachium cum ſeptem cohortibus nocte ſuccedere ad Iſthmum jubet itineribus deviis, ſi quos per imminentia juga incuſtoditos calles inveniret ad tranſitum. Sic nanque conſtituebat; ubi, montibus ſuperatis, oſtendiſſet ſe ab tergo Venetis, hos circumactos ad interiora tuenda, alicubi nudaturos clauſtra, ſibique illac ad perrumpendum aditum fore. At id ipſum ſuſpicatus antea Michaelius tria ferme Peloponneſiorum millia ad montes circa oc-
fruſtra. cupandos miſerat. Horum vigiles adventum nocturnum hoſtium advertere. A quibus cum extemplo conclamatum eſſet ad arma: ſentiens Liberachius ea quoque itinera obſepta cuſtodiis, irrito conatu regreſſus inde, Megaram ſe recepit. Haud ita multo poſt, quia Peloponneſii & Illyrii, intercipiendis commeatibus præſidiiſque cæ-
Thebas ſe recipiunt. dendis, minus tutam moram in iiſdem ſtativis faciebant; omnis exercitus Thebas redit. Inter hæc nunciata Chii oppugnatio ingentem Conſtantinopoli tumultum excitarat. Rex, quanquam credebat latum per tempus ab claſſe auxilium; tamen averſurus illinc Venetos etiam diſcrimine rerum ſuarum, Achajæ præfecto imperat, induceret utique exercitum in Peloponneſum, ultimo ſupplicio, ſi quicquam moraretur, inhibito. Nihil hic cunctatus, cum ad eas quas habebat copias ſubitarium ex provincia militem & mille pedites addidiſſet accitos Chalci-
Denuo ad Iſthmum accedunt. de; curſu prope Megaram denuo contendit. Caſtra metantem quingenti equites ab Michaelio emiſſi paulum turbavere. Quibus poſt leve certamen ad ſuos redeuntibus; fluctuatus rurſum animo eſt, utrum recta ad hoſtem duceret, an tentaret montium tranſitus. Ut neglectas magna ex parte cuſtodias cognovit, Peloponneſiis gravi tempore autumni ad domos ſuas clam dilapſis; ſi-
Anguſtias ſuperant. lentio noctis, itineris duce uſus Liberachio, ſaltum, ita ut nemo Venetorum ſentiret, ingreditur. Diluculo ſummo cum caſtra ex adverſo nulla apparerent: ratus Michaelius id quod erat, alam equitum, ſi forte carpe-

re

re agmen poſtremum poſſet, proximis limitibus petere 1694.
montes jubet. Præerat Trautſmendorfius; quem, audito apparatu hoſtium, abire paſſus non fuerat. Et vix aliquantum inter tumulos, qua Argos itur, reſtabat Turcis, cum Trautſmendorfius adeptus eſt. Pedites utrinque per inæqualia collium gradiebantur; media valle, quæ vix binis in fronte ordinibus pateret, eques ibat. Subſtitere viſis Venetis; locoque fiſi, pugnam expectabant. Non auſus ille tamen propius ſuccedere, ne ſub ictibus ſuperſtantium undique armatorum eſſet; tum quia impendebat periculum, ne pars eorum regreſſi callibus notis, prœlio implicatum circumvenirent ab tergo. Itaque re infecta cum receſſiſſet; Turcæ in plana deſcenderunt. *Conſultatio Venetorum.* Tunc Veneti conſultare, quid opus factu eſſet. Alii *nihil prolatandum* cenſebant *quin copiis univerſis feſſum hoſtem labore viæ, incompoſitumque adorirentur.* Spem alii objicere, *ſi modico præſidio relicto in caſtris, Thebas extemplo contenderent, repentino terrore aliquid moturos.* Reliqui, *præterquamquod equitatu cohiberi vaſtationes* placebat, *ne fortunæ committerent quidquam, manendum in caſtris iiſdem* putabant, *concitiſque Peloponneſiis, firmandum præſidio ſaltum. Eo jam temere progreſſum Turcam, ut neque diu conſiſtere inter cuncta inimica atque infeſta, neque regredi inde poſſet, niſi loco iniquo ſibi, opportuno Venetis pugnare cogeretur.* Hæc cum viciſſet ſententia; delectus Fabius Lanoja legatus, qui cum *Equitatum ducit ad eos Lanoja.* equitatu iret ſtatim ad hoſtes: mandatum autem, ita duceret, ut neque omitteret eos, neque poteſtatem faceret pugnæ; regionem interea, quatenus tutum foret, populationibus prohiberet. Ita ut præceptum erat, profectus legatus, noctem totam, quod luna pernox eſſet, Argos petentes inſequitur veſtigiis. Poſtridie ejus diei manipuli aliquot ſub oculis fuere. Populabundi per agros vagabantur ac tecta incendebant. Immiſſæ turmæ duæ equitum, cædem fugamque palatorum fecerunt. Haud plus millia quatuor aberat exercitus omnis; jamque appropinquabat Argis. Quo ut a refugientibus allatum eſt, ad-

Digitized by Google

1694. adventare equitatum Venetum : nihil dubitavit præfectus quin converſis ſignis eos aggrederetur. Ergo equitibus illico præmiſſis, editoque ſigno ad prædatores revocandos; ipſe cum peditatu intervallo modico ſequitur. Meridies appetebat, cum conſpecti procul ab Venetis præcurſores ſunt. Legatus ſatis credens adeſſe hoſtem univerſis viribus, agit protinus retro agmen, ut in loca tuta, nam colles ab latere atque ab tergo imminebant, reciperet ſuos. Ubi ille celerius accedebat, quam ut declinari poſſet certamen, ſigna refert; equitibus, qui modo poſtremi fuerant, ad pedem deſcendere juſſis, ibique Turcam curſu venientem excipere. Medinus & Lonicus tribuni, qui hos ducebant, procellam primam immoti ſuſtinuere. Pelli deinde paulum Medini cœperat cornu: poſtea, cum acrius urgeretur, ordinem non retinebat. Jamque ad interiora aciei pavor pervaſerat ac tumultus: dataque terga forent, ni legatus cum expeditis turmis eodem invectus integraſſet pugnam. Verterat continuo trepidatio in barbaros: a quibus ut repugnari ſegnius Venetus ſenſit, inſtare ultro ab utroque auſus cornu, in fugam mox conjecit. Cæſi captique quidam ab multitudine fugientium interclufi: militaria quoque ſigna duo in poteſtatem venere. Spatium fuit inde avertendi in colles agmen: quo tamen pars evaſerat vix tertia; cum volvere denuo orbem, inſtructaque raptim acies eſt. Aderat nanque cum peditum copiis præfectus Turcarum; reductoque in prœlium equite, in noviſſimos ferebatur. Dimicatio brevis fuit; ſed eadem varia atque anceps. Principio non reſtitit modo Venetus, ſed etiam intulit ſigna; ut primos ordines perrumperet. Deinde cum qui erant in ſubſidiis, ubi pedites aliquot Turcarum in proximis tumulis conſpexere, veriti ne circumvenirentur, fugiſſent: terror ſubitus totam invaſit aciem. Premere tunc cedentes barbari; ut ægre fugam coerceret legatus. Hunc, qua plurimum oſtendebatur periculi, ſemet offerentem ut viderunt; vicit formidinem pudor. Ergo congreſſi

Pugnat non ſemel cum hoſte eventu vario.

1694.

greſſi de integro, dum quicquam ſuperfuit lucis, ſuſtinuerunt pugnam. Nox contentionem diremit. Ab Venetis cecidere circiter ducenti; in iis Campus tribunus. Julius Lonicus centurio, dum reſtituere conatur ordines, a Turcis capitur. Paulo plures ex horum exercitu interfecti ſunt. Cæterum nocte eadem diſcedens illinc legatus, ut qui ab novo certamine utique abhorreret, poſtero die cum perveniſſet Corinthum; ingentem ibi ex metu lætitiam fecit. Jam enim ab ſubſidiariis, qui ſub initium prope ipſum pugnæ fugerant, fama deleti equitatus perlata eo fuerat. Turca non ſatis expediens conſilium, biduum ſe tenuit locis iiſdem. Ubi accidebat undique rumor, regionem paſſim in armis eſſe; præterea vero partem Venetæ claſſis appuliſſe Cenchræas (decem triremes erant, quas Zenus, ubi intellexit ex Michaelii literis parari primum ab Turcis impetum in provinciam, cum millibus duobus militum, ſubſidio miſerat ductu Petri Quirini,) priuſquam inſiderentur ſaltus, per eaſdem anguſtias, quibus Peloponneſum intrarat, exercitum Megaram, continuo Thebas reducit. Inde mutandis crebro caſtris, & nunc Corinthi, nunc Naupacti comminanda oppugnatione, diu fruſtratus Venetos, poſtremo copias dimiſit in hyberna. Hæc ſub exitum autumni in Peloponneſo acta ſunt. Quirinus, mille peditibus & triremibus duabus, quod imperarat Zenus, Michaelio traditis, cum reliquis copiis Chium revertitur. Secunda Venetorum in Illyrico & in Græcia fuere Turcis graviora propter bellum in Pannonia, Poloniaque minus proſpere adminiſtratum. Ante Viſſirii adventum, Baſſa Tauruni, navium multarum contracta claſſe, numerum idoneum ſuorum ad Tibiſcum oppugnandum juſſerat trajicere. Diſtat oppidum Tauruno millia paſſuum ſexdecim, ſitum in ripa Tibiſci amnis, qua Iſtrum influit, loco Cæſari opportuno ad jungenda, quæ in Superiore Pannonia obtinebat, cum Tranſylvania. Præmonitus Guidus Starembergius auxerat præſidium, quingen-

Redit Corinthum.

Auxilium miſſum a Zeno.

Turcæ excedunt Peloponneſo.

In Pannonia, Tibiſcum tentant Turcæ.

1694. tis militibus Murſa illuc miſſis. Itaque excepere impavide Germani impetum hoſtium; compluribuſque interfectis, cito repulerunt incœpto. Triduo poſt copiis majoribus denuo circumſeſſum oppidum. Et acrior multo quam antea oppugnatio erat. Sed feroces incluſi ab re bene geſta, cum aliquandiu ſumma vi reſtitiſſent, auſi denique portis erumpere, barbaros ſic perculere, ut multa cum cæde ac fœda fuga ad naves compellerent. Reditum inde eſt Taurunum; quo pene ſtatim Viſſirius venit. Luſtrato exercitu, quinquaginta minimum millibus armatorum; maturavit Savum ponte tranſmittere. Progreſſus mox ad Petro-Varadinum, modico intervallo ab caſtris hoſtium caſtra metatur. Regione permunita conſederat Æneas Caprara cum ſex & triginta millibus Germanorum militum, ac Pannoniorum ſeptem ferme millibus. Ab tergo oppidum, hinc Iſter fluvius, hinc palus latera firmabant; vallum objecerat a fronte. Ac primo dies aliquot, alter alterius conatus expectantes; nihil moverunt. Ratus poſtea Turca, Germanos inferiores viribus, cæterum ſitu ipſo defendente, niſi cogerentur, poteſtatem non facturos pugnæ; ſic promovit vallum, ut haud plus paſſus octoginta ab eorum caſtris abeſſet. Ibi, quia aggredi intra ſepta tam valida hoſtem ſatis non audebat; quod ſolet in urbium oppugnationibus, opera agere inſtituit. Eodem tempore levia certamina procurſando quotidie fiebant, tum medio inter caſtra ſpatio, tum longius ab caſtris, quo lignandi frumentandive impellebat neceſſitas. In flumine quoque ſæpius naves concurrerunt eventu vario: pontemque in primis, quem junctis ratibus fecerant Germani, qua tranſgrederentur pabulatum, ſemel atque iterum conati Turcæ reſcindere. Poſteaquam tormentis ab Caprara tutandi pontis cauſa in ripa diſpoſitis arcebantur: equitum Tartarorum millia quinque, paratis in id lintribus, equos nantes loris a puppibus trahentes, flumine trajecto, quingentos Germanos pabulatores oppreſſerunt; quamplurimis interfectis, captis reliquis,

Repelluntur a Germanis.

Viſſirius Savum trajicit.

Caprara imperator Germanorũ caſtra habet in proximo.

Operibus oppugnatur ab hoſte.

Tartari opprimũt pabulatores Germanos.

quis, carriſque ac jumentis abductis. Ejus tamen rei 1694.
gaudium mox minuit præſidium Tibiſci. Nam viginti Turcica navigia onuſta commeatibus alioque apparatu militari, obtruncatis cuſtodibus, redegit in poteſtatem. *Onerarias Turcarum capiunt Germani.* Interim cum ab Germanis non die, non nocte modus fieret turbandi munientes, nihilque admodum Viſſirio ſuccederet: morbi ingruerunt gravibus autumno locis. Tum plures dies pene continens imber adeo tenuit, ut Turcæ alicubi genu tenus ſub aqua eſſent. Unum propterea ille ſpectare, ut caſtra in tutum referret. Fruſtrandi modo hoſtis quærebat opportunitatem, ne qua inter profectionis tumultum acciperetur clades. Ac nocte ex ante diem Kal. Octobr. fœdam nactus tempeſtatem, quæ & inſequentem diem ſæviit, fallere abiens potuit; ut ne carpendi quidem agmen ultimum facultas eſſet Germanis. Partem modo ægrorum & ſauciorum, quos, ne morarentur tranſitum, reliquerat, adepti ſunt. Ita Viſſirius ſine hoſtis inſectatione Taurunum reducit exercitum; quem tamen morbi, cædes, fugaque militum valde attenuarant. *Turca recipit ſe Taurunum.* Caprara, everſis operibus, copias Iſtrum trajicit; ubi per dies aliquot habita ſtativa, refectuſque miles, diuturnis vigiliis laboribuſque ac paluſtri cœlo affectus. Conceſſum inde in hyberna: quo ferme tempore præter ſpem Julia urbs ad Sarcadium lacum venit in ditionem. *Julia potiuntur Germani.* Undique cingit palus, ut adiri operibus nequeat. Principio anni Heiſlerus per duratas frigore aquas ex improviſo admovere copias decrerat. Sed mitiore ſolito hyeme conſilium eludente; virum ſtrenuum Polandum legatum reliquerat, qui obſidendo fame ſubigeret ad deditionem. Et is auxiliis intercludendis, cædendiſque præſidiis, ſpem incluſorum vanam diu cum feciſſet: tandem, qua maxime neglectos cuſtodia muros animadvertit, ea repente aggreſſus, urbem cepit. Arce etiam, quæ ob naturam loci, nec vi, nec operibus expugnabilis credebatur, ut opinione potiretur maturius, dedit fors. Clandeſtino egreſſus Turcarum alter, qui

præ-

Digitized by Google

1694. præſidebant, ut ab præfecto Temeſvariæ ſubſidium coram oraret, aliquot ab Genadio millibus in manipulum incidit Germanorum, a quibus captus eſt ac perductus Segedunum. Ibi inter eum & præfectum Segeduni de condicionibus deditionis convenit: nec multo poſt, annona jam valde premente, arx traditur Germanis. Parte alia Poloni & ipſi ſuperiores exercitum fuderunt Tartarorum: eoque lætior fuit victoria, quo ſperabatur minus. Quando ne in præſens quidem ſtipendium ſuppeditabat pecunia, nedum quæ multorum annorum debita exercitui perſolveretur; pauci milites, ægreque iidem conveniebant ad ſigna. Nihil decerni in comitiis gentis poterat propter inteſtina principum inter ſe odia; tum quod pleriſque conferre in publicum erat grave. Interea fere omnes bello, quod in perniciem regni trahi dicerent, imponi finem cupiebant: nec deerant auctores, quo citius, quoque utilioribus condicionibus pax fieret, ut ſeparatim ab ſociis tranſigerent cum Turca. His ſedulo adverſari rex, objiciendo dedecus, ſi obſtrictam fœderatis fidem deſererent. Cæterum quia, cuncta turbante atque impediente diſcordia ſuorum, nihil bellicæ incipiebatur rei, ſpem pacis tentare de integro conſtituit, quam neque Cæſar, neque Veneti aſpernarentur: auditis enim, quæ Reuvonskus ab Tartarorum rege pridem attulerat, paratos ſe eſſe reſponderant legatos de pace mittere, quo Turca indixiſſet conventum. Ergo Jaſſium Moldaviæ urbem, quo tranſiturum ſe monuerat rex Tartarorum, ire juſſus Boynovuſchius interpres. Data huic mandata, quæ præterito anno Reuvonsko: literæ etiam traditæ ad Viſſirium perferendæ: ut, ſi in animum induceret conficere condicionibus bellum, tempus finiret concilio legatorum. Haud irrita legatio primum viſa eſt. Nam cum locis aliis, tum Camenecia ceſſuros Turcas, rurſus affirmabat rex Tartarorum; operamque ad omnia ſuam pollicebatur. At Taurunum deinde ſimul cum veniſſent: Viſſirius, qui ibi tunc erat, poſtquam

Polonorum res.

Poloni agunt de pace.

Digitized by Google

1694.

Veſirius pacem recuſat.

quam ſenſit ne tum quidem id agi, ut privatim cum Polonis pax fieret; nihil prorſus auribus admiſit. Literis autem regis reſpondit animo ſatis elato: *nequaquam jam attinere indici conventum legatorum: ſi quem hoſtium regis ſui tæderet belli, huic tempore quovis aditum patere ad regem ipſum: apud eum arbitria belli paciſque eſſe: pacem qui mallet, peteret inde*. Ne ſpe quidem paciſcendi ſublata, incitabantur ad bellum Poloni; ut vix obtineret Joannes rex, ne ab Camenecia abſcederetur. Regebat copias modicas vir excellenti virtute bellica Brandus legatus: atque continuata biennium obſidione, prope ad ultimum inopiæ Turcas adduxerat. Subvenere ex improviſo Tartari; qui vitabundi hoſtium ſtationes, commeatuum aliquantum importarunt in urbem. Digreſſi poſtmodum ad populandos fines, villas præſertim regis ferro atque igni vaſtare denuo adoriuntur. Aſt qui incolebant, quantum poterant, reſiſtentes dedere ſpatium legato ad ferendum auxilium; ut cum expeditiſſimis ſuperveniens disjiceret Tartaros fugaretque, amplius mille interfectis. Non multo poſt veriti Turcæ ne obſeſſi per hyemem, quæ appetebat, deficerent fame; vi commeatuum comparata, Tartariſque adſcitis, ut conjuncti ad triginta millia armatorum eſſent, proficiſcuntur Cameneciam. Certa pernicies obſidentibus impendebat, ni præter expectationem, copiarum regni imperator opem in tempore tuliſſet. Multitudine equitum raptim collecta; nihil minus opinantibus, haud procul Camenecia, agmine inſtructo occurrit. Prœlium confeſtim magno utrinque ardore initum. Verum ut ſigna audacter inferens Polonus ordines barbarorum paulum turbavit: tantus ſubito pavor totam aciem cepit, ut pugnæ immemores, qua quemque impetus egit, paſſim diffugerent. Millia aliquot occiſa in fuga: plauſtra gravia commeatibus plurima adempta: inſequendi cædendique finem nox attulit. Hic belli contra Turcas eo anno exitus fuit. Alibi res geſtæ non valde memorabiles præter quam in Hiſpania. Ibi Noallio evene-

Tartari auxiliātur obſeſſis Camenecia:

Populantur fines.

Prœlium Tartarorum & Polonorum ad Cameneciam:

Vincunt Poloni.

In Hiſpania

1694. evenere nonnulla feliciter. Veris initio coactis ad Rhodam copiis; quæ prima occaſio præberetur, certus conſerere cum hoſte manus, per Emporiarum agrum ad Sambrocam amnem procedit. In adverſa ripa caſtra habebat Dux Aſcalonæ prorex. Hic, quod nulla ſe parte virium cernebat parem; in id modo erat intentus, ut hoſtem amnis prohiberet tranſitu. Poſteaquam, Gallis vado nihilominus tranſgreſſis, declinari nequibat certamen: nullam moram fecit educendi in aciem. Dimicatum multas horas utrinque acriter. Demum vis major, ut ſolet, minorem vicit. Solutis ordinibus, ceſſere Hiſpani: neque ante perſequi deſtitit Gallus, quam ad loca anguſta atque impedita ventum eſt. Cæſi eorum millia amplius quinque: ad millia tria & quingentos vivi capti; in his cum duces alii, tum Grignius ductor equitatus: ſexdecim quoque militaria ſigna, & vis magna impedimentorum adempta. Noallius, dierum paucorum quiete conceſſa militi, ducit recta inde ad Palamum, maritimam urbem, triginta ab Rhoda millibus. Eodem claſſe accita Turvillii, terra ſimul & mari adoritur oppugnare. Et brevi murorum parte dejecta, per patefactum ruina iter irrumpens urbem expugnat. Arce potitur paulo poſt, permittentibus ſe in arbitratum qui intus erant. Ad oppidum continuo mediterraneum Gerundam, æquo ferme ſpatio inter Perpinianum & Barcinonem, proficiſcitur. Decem ante annis Hiſpani multa cum cæde repulerant illinc Gallos. Tunc quoque tuebatur præſidium validum; ut magni longique operis oppugnatio videretur futura. Sed fama fuſi exercitus, Palamique vi capti, adeo minuerat animos, ut Gallorum impetum vix primum ſuſtinuerint. In deditionem accepto oppido; Barcinoni, quæ regionis caput eſt, animo imminebat Noallius. Jamque Ludovicus rex, qui in ſpe eſſet ſuam fore propediem provinciam univerſam, Cataloniæ dixerat eum proregem. Ergo juſſo Turvillio Barcinonem claſſe petere, ipſe terreſtri exercitu illuc contendit.

Galli prælio ſuperant Hiſpanos:

Palamum expugnant:

Gerundam

in deditionem accipiunt.

Barcinonem petunt.

tendit. In itinere caſtella arceſque aliquot deduntur: 1694.
oppidum quoque cepit permunitum, Oſtalricum appellant, in Barcinonenſis agri finibus. At cum ibi compeririſſet, conjunctas claſſes Britannorum & Belgarum veniſſe Hiſpanis auxilio; Turvillium autem, qui impar eſſet navium numero, regreſſum Telonem: conſilio mutato, Rhodam copias reducit.

Abſcedunt, incœpto irrito.

Sub idem tempus Auriacus, quo curis pluribus hoſtem diſtenderet, naves alias multas maximæ formæ, inſtructas milite apparatuque omni incendendarum urbium, tradiderat Barclajo, ut in Galliæ ora objecta Britanniæ tumultus cieret. Præſenſum fuerat Lutetiæ: nihilque cunctatus rex, arces maritimas muniendas, præſidiaque locis opportunis diſponenda curarat.

Britanni repelluntur Brivate.

Itaque non procul Brivate appellenti Barclajo, ſtrenue Galli reſtitere; militeſque ſeptingentos, quos expoſuerat in terram, aut occiderunt aut vivos ceperunt.

Deppam incendunt.

Melior illi fortuna fuit ad Deppam. Nam e navibus biduum integrum ollas igniferas jaculatus in urbem, partem ejus maximam flammis abſumpſit.

Portu Gratiæ ſubmoventur.

Inde ad Sequanæ fluminis oſtia revectum, parantemque etiam Portum Gratiæ incendere, ſubmovere qui in præſidio erant crebris ictibus tormentorum. In Belgio Auriacus, & Delphinus filius regis, robore copiarum pares, cæterum id modo quærentes uterque, ut locis iniquis exciperent hoſtem; movendo identidem caſtra, ac nunc populando invicem fines nunc urbium oſtentando oppugnationem, æſtatem conſumpſerunt. Ubi Delphinus reverterat in Galliam; Auriacus, parte militum abeunte hybernatum,

Dux Holſatiæ Huum oppugnat.

Ducem Holſatiæ Plænenſem cum viginti millibus armatorum mittit ad oppugnandum Huum: quod repeti maxime expediebat Colonienſi Archiepiſcopo, creato recens Epiſcopo Leodienſi. Et parvo certamine urbem Dux occupavit. Arce non prius eſt potitus, quam opera circumjecta vi atque armis expugnaret. In Superiore Germania exercitus tantum hæſerunt circa Rhenum flumen. Tranſgrediens Lorgius, qui advenerat prior, ca-

1694. ſtra non inde procul metatus erat; cum, cognito Badenſem haud minore numero copiarum appropinquare, flumen rurſus trajecit. Tum altero ripam alteram obtinente, ut neuter interim quicquam moveret; æſtas extrahitur. Ejus tamen extremo, regione alia Badenſis, juncto ratibus flumine, expeditum militem in Alſatiæ inferiora ex nec opinato immittit; qui imperata populis pecunia, obſidibuſque ſolvendæ acceptis, ſe ſe ante retulit ad ſuos, quam tumultus fama exciti Galli ferrent opem. In Italia quoque vix tentatum quidquam armis eſt. Conſederat in radicibus Alpium Catinatus, duodecim ferme ab Pinarolio millibus, aleam certaminis timens ut viribus inferior. Victorio ac fœderatis propoſitum primo fuerat Pinarolium aggredi. Quando id intutum videbatur, tam propinquo hoſte; ire conſtituunt oppugnatum Nicæam. Pro certo habebant, Britannicam claſſem, quæ in Mediterraneo mari etiamnunc eſſet, adjuturam: itaque commeatibus terra interclusis marique, facilem expugnationem fore. Sed ne id quidem auſi deinde ſunt; quod metuebant ne, dum ſe teneret oppugnatio Nicææ, ab Gallis parte alia impetus fieret. Quapropter huc adjecerunt poſtremo animum, ut Caſale obſiderent: quam urbem vere proximo oppugnari volebat Cæſar. Ergo cohortibus aliquot ad obſidionem inchoandam miſſis; cæteræ copiæ, jam enim, dum conſultando tempus terunt, inierat autumnus, in hyberna conceſſerunt: quæ, ſi unquam ante, valde gravia tunc fuere beneficiariis Cæſaris, Parmæ potiſſimum, Mutinæque, ac Mantuæ Ducibus, pecunia & commeatu præbendo pene exhauſtis. Novi Duces erant, Parmæ Franciſcus Farneſius, qui Ranutio II patri, Mutinæ Rainaldus Eſtenſis Cardinalis, qui Franciſco fratris filio, mortuis ſucceſſerant. Hi multum precati Cæſarem, ut parte ſaltem oneris levaret populos, ab deſperatione rerum ſuarum fugam ſpectantes, tandem impetraverunt. Eadem fruſtra precatus Mantuanus Dux. Offenderat Cæ-

Excurſio Germanorũ in inferiora Alſatiæ.

Caſalis obſidio.

Hybernis Germanorũ premuntur Italiæ

præcipue Dux Mantuanus.

ſarem

ſarem & regem Hiſpaniæ, quod intimos ſibi haberet in conſiliis homines Galliæ regi addictos; & regis ejuſdem legatus Dupræus dudum Mantuæ eſſet. Quocirca non ſolum nihil remiſſum de ſumma, quæ fuerat imperata; ſed etiam juſſi Palphius legatus in copiis Cæſaris, & Abbas Rainoldus prolegatus regis Hiſpaniæ præcipere, *ut & Gallum legatum dimitteret, & e ſuis,* quos nominabant, *faventes Galliæ regi, ab ſe ſubmoveret: ni paruiſſet intra diem quintumdecimum, pro hoſte futurum: neque enim jura pati, a beneficiario Cæſaris foveri partes hoſtium Germanici Imperii.* Ad hæc ille ira excandeſcere; querique, *ſtatui in ſe liberum atque amicum, quæ vix in obnoxios atque hoſtes ſolent.* Aſt ubi ne ſpatium quidem dabatur temporis, dum Viennam deprecatum mitteret oratorem; præſtituta die legatum ab ſe amovet, treſque ſimul abdicat cariſſimorum. Nihilo mitius actum cum Clericis ditionis ejus, quorum prædiis Germani ad id locorum abſtinuerant injuriam. Invadentes nanque, tantum abſtulere, pecorum præſertim, quantum ſummam conficeret pecuniæ in ſtipendium pridem impoſitæ. Haud tacite paſſus eſt Mantuanus Epiſcopus, præfectis atque exactoribus pœnas denuncians infligi ſolitas violantibus jura ſacra, ni ablata redderent. Nihil reddentibus, cum paulo poſt Palphius interiiſſet, acceptum vulgo in religionem eſt. Interea, quod millibus multis militum alendis Mantuanæ terræ non ſufficiebant, Pontificem cepit metus ne, coacti egeſtate Germani, etiam ex Ferrarienſi agrò collationem imperarent. Quapropter, tametſi Sebaſtiano Antonio Tanario ejus legato affirmarat Cæſar, quæ Romanæ ditionis eſſent, intacta futura: tamen viſum fines illos munire millibus duobus militum; queis præfecit Camillum Duram Neapolitanum, legato addito, Carolo Fiaſchi Ferrarienſi. Irritavit res ea Germanos, ratos Cæſari injuriam ab illo fieri, qui promittenti omnia pacata fidem nihilominus non haberet: nec procul vis aberat ultura dubium & diffidentem, niſi Cæſar

Margin: 1694.

Legesei dicuntur.

Ne ab Clericis quidẽ abſtinetur injuria.

Pontifex munit fines Ferrariẽſes.

1694. ipſe aperte vetuiſſet. Cæterum cum alia incommoda Italiæ, tum præcipue damna religionis vehementius angebant Pontificem. Ex eo anno, quo rex Galliæ expulerat finibus regni ſui contaminatos Calvini hæreſi; Victorius Dux Sabaudiæ, eodem rege hortante, edictum promulgarat, ne in Alpium Cottiarum vallibus ultra Pinarolium, ubi multitudo ſectæ iſtiuſmodi incolebant, ritibus aliis quam Catholicis locus eſſet. Poſtmodum ex amico factus hoſtis, ſententiam mutavit, inſtigante præſertim Rovignio quodam: quem ob eandem labem ex Gallia profugum in Britanniam Auriacus & receperat & ample ornarat, appellatum Ducem Gallovidium; inde Schombergio mortuo ſuffectum miſerat in Italiam, deſtinaratque ſimul oratorem ſuum extra ordinem apud Victorium. Ergo IX Kal. Jun. edicto abrogato, non ſolum veniam illis dedit, qui contra feciſſent; ſed etiam palam permiſit, ut quam quiſque mallet religionem ſequeretur. Quantum par erat, commovit id Pontificem, diu fruſtra conatum per Strozzium legatum ab conſilio tali Victorium abſterrere. Quod ſolet in religionis violatæ crimine, Quæſitoribus præcipit Romæ conſtitutis in pravitatem hæreticam, ut de Victorii facto cognoſcerent. Quæſtionibus rite exercitis, decretum fit, ut edictum ejus irritum eſſet. Pontifex, reſervato ſibi ſtatuendæ in ipſum pœnæ arbitrio, Epiſcopis & Inquiſitoribus mandat interim, ut in convictos religionis læſæ canonica formula animadverterent. Etſi hæ minæ terroreſque Victorium non flectebant, perſtantem nihilo ſecius in propoſito: attamen adhibuit curam, ut Pontificis iras molliret arte. Quare prolegatus ejus Romæ demiſſe excuſat: *Gallis undique prementibus, feciſſe Victorium cauſa tuendæ libertatis ſuæ Italiæque omnis. Britanniæ regem & Belgas, a quibus auxilia ei magna ſuppeditentur, duo impenſe petiiſſe; ut edictum reſcinderet in Alpinarum vallium incolas promulgatum, tum etiam ut Auguſtæ Taurinorum templum patere ſineret profitentibus nova ſacra. In quo detrimenti*

Edictum contra Hæreticos

abrogat Victorius.

Angitur Pontifex.

Imperat quæſtiones.

Excuſat apud eum Victorius.

menti minimum eſſet, ibi, gravate licet, atque una gratia rogantium, obſecutum: neque enim homines illos metu edicti prioris falſam religionem vere abjeciſſe; qui tamen interea & finibus Pedemontii defendendis, & Galliæ incurſandis, paratam operam præſtarent fidamque. Cæterum, quod plurimum haberet momenti, templum aperiendum, eum vero & negaſſe & conſtanter negaturum. Quanquam grave erat, quod leve videbatur Victorio: attamen Pontifex cum tempora incidiſſent ejuſmodi, ut agendum lenius cerneret, ne qua forte occaſio injuriarum præberetur Romanæ religionis hoſtibus armatis; decretum non promulgavit. Crediderat Victorius jam promulgatum: quamobrem non impediit, quominus Auguſtæ Taurinorum decretum Pontificis infirmaretur decreto alio ſenatus ejus. Diſſimulavit Pontifex. At ut, quam malorum radicem unam eſſe apparebat, eam conaretur exſcindere; Poloniæ rege uti conſtituit ad pacificandum. Nec dici tali ſtatu rerum alium rebatur poſſe, quem pacis auctorem Cæſar, regeſque Galliæ & Hiſpaniæ libentius audirent. Nam & cui uxor eſſet ex Gallia, acceptus impenſe erat regi Ludovico; & gratia tunc valebat apud Cæſarem regemque Hiſpaniæ, quibus probantibus, filiam ſuam hoc anno in matrimonium collocarat Maximiliano Emmanueli Bavarico Electori. Ergo ſcriptis ad eum literis hortatur enixe, ut magnis in rem Chriſtianam meritis, fortiter defenſam, novum adderet, cura ſuſcepta pacis reconciliandæ; quæ cum miſeriarum aliarum terminus eſſet, tum religionem Catholicam, jamdiu ab armis illis laborantem, in tuto reponeret. Ac rex quidem ad opus aggreſſus voluntate eximia eſt. Præclarum nanque ducebat, ſe pacificatore, redire in amicitiam reges Chriſtianos. Ipſius quoque valde intererat deponi bellum, quo Turca ſuperbus admitteret nihil æqui. Verum brevi intellexit, longe difficilius quam putarat, negotium eſſe. Ut enim populi omnes, Britanni maxime Belgæque, ob maritimæ negotiationis detrimenta finem armorum avide expeterent:

1694.

Conſilium Pontificis:

qui curam pacificandi commendat Poloniæ regi.

Nihil rex proficit.

Digitized by Google

1694. rent: tamen extra Galliæ regem abhorrebant inde reges alii; qui ſperarent perſeverantia ipſa belli poſſe eum, conſumptis ad extremum viribus, ſubigi ad accipiendas leges. Hæc eadem obſtabat cauſa ne legati Veneti proficerent ſuadendo pacem. Nihilominus ſtudium ejus non remittentes patres; quod haud parum profuturum cenſebant ad ſubmovenda quæ conſilio adverſarentur, ſ. c. faciunt, ut Gulielmum Auriacum pro rege Britanniæ haberent. Is ſimul, pulſo ſocero, potitus regni fuerat, ea de re literas dederat ad Senatum officii plenas. Reddiderant reſponſum nullum: quin Paulum Sarottum ab ſecretis Senatus, curantem ibi negotia publica, revocarant Venetias. Sed jam cuncta ſibi Auriacus magis firmarat, quam ut Jacobo ſpes eſſet recuperandi regni: auctoritate præterea tanta pollebat inter fœderatos, ut pacis tempora utique moderaturus videretur. Unus ex regibus ferme omnibus Ludovicus regium illi nomen honoremque nondum tribuerat. Attamen tum ipſe denique facturus idem ferebatur; tum ſatis manifeſta erant indicia, tacite optare ut cum eo recte Venetis conveniret, quorum opera non diffideret componi tandem pacem poſſe. Inſuper & Pariſiis Jacobus Cavallerinus legatus Pontificis, & Viennæ Borgomainerius legatus regis Hiſpaniæ, ita cum Venerio ac Zeno oratoribus Venetis agebant, ut facile conſtaret, Pontificem regemque Hiſpaniæ pacis cauſa id ipſum cupere. Reſcriptum ergo Auriaco eſt cum gratulatione ſolita regibus fieri nuper creatis. Literas Viennam miſſas ad Zenum, ut Lexintonio, legato Britanno ad Cæſarem extra ordinem, traderet, is læte excepit & honorifice. Hoc anno actum rurſus de Rheno flumine in Padum deducendo. Fatigatus precibus Bononienſium Innocentius Cardinales duos, de Abdua & Barbarinum, venire juſſerat in rem præſentem, ut quo modo quove loco optimum ducerent, faciundum curarent. Sedulo, ut antea, contra tendere Senatus Venetus per Domini-

Veneti literis reſpondent Auriaci.

Rhenum fl. inducere in Padum parat Pontifex.

cum

cum Contarenum legatum. Ac primo quidem perſeve- 1694.
rabat in opinione Innocentius, ſive quod averti flumen
ſine cujuſquam damno credebat; ſive voluntate gratifi-
candi Bononienſibus, quibus Cardinalis quondam præ-
fuerat. Deinde autem, multis ultro citroque agitatis,
cum vera poſtulare Venetum comperiſſet, abſtitit incœ- *Mutat conſilium.*
pto. In alio quoque haud facilem initio præbuit ſe.
Quando in belli ſumptus neque tributa extra ordinem 1695.
imperata, neque pecuniæ fœnebres ſumptæ a privatis,
nedum annui tantum reditus ſufficiebant: juſſus Conta-
renus Pontificem rogare, poteſtatem ut daret exigendi
tributum ab Clericis Subſidii nomine. Quanquam vix
unquam a ſuperioribus Pontificibus id non conceſſum
in bello, quod eſſet contra communem hoſtem Turcam;
tergiverſabatur tamen Innocentius. Relatum ſemel atque *De ſubſidio Clericorum conſultatur Venetiis.*
iterum in Senatu eſt. Ac fuerunt qui cenſerent, *aut mu-
tui titulo accipiendas a Clericis pecunias, quod novem ante an-
nos, haud repugnante Pontifice, fuerat factum; aut jure uſur-
pato, quod ſummum ſit regibus in populos cuique ſuos, tribu-
tum illis utcunque indicendum. Neque enim æquum eſſe, ubi ſi-
ne diſcrimine ageretur ſalus omnium, non omnes pariter opem
conferre.* Improbare Sexviri: *tunc nanque pecuniam mutuatos
fuiſſe ab Clericis, quod jus inveteratum, ſancitumque Pontifi-
cum auctoritate, colligendi decumas ex bonis Clericorum, Inno-
centius XI. præter conſuetudinem interpellaſſet. Subſidii autem,
quod largiatur Pontifex, cum illi viſum ſit, diſſimilem eſſe
rationem. Alias temporibus difficillimis petitum majores non im-
petraſſe; neque tamen ad tributa imperanda, quæ Subſidii loco
eſſent, regia poteſtate uſos.* Valuit apud patres res ipſa &
exemplum majorum: apud Pontificem vero moderatio
hæc profuit adeo, ut, legato Contareno vixdum inci- *Pontifex annuit Senatui.*
piente rurſus petere, libens annueret. V. Kal. Martias
terræmotus ingens fuit, Venetiis quidem terrore major *Terra movet.*
quam damno, at alibi fœda clade memorabilis; Aceli *Aceli clades.*
præſertim, quod Tauriſani oppidum agri eſt, ad cæteras
laudes, inclytum amœnitate omni. Bis mille & ſeptin-
gen-

1695. gentæ ferme domus ibi collapſæ aut paſſæ labem; templa complura turreſque proſtratæ; mortales admodum multi ædificiorum caſu oppreſſi interiere. Quocirca obſecratio ab Senatu & a populo facta. Animis interim inſidebat omen triſte, & tacita quædam erat divinatio illorum, quæ per idem fere tempus infeliciter contigerant in Græcia. Zenus ſumma cum cura Chium dudum muniebat: ſed permunire negotii eſſe compererat prope immenſi. Præter enim quaſſata mœnia reficienda, atque intus aggere firmanda; propugnacula in muris nova forma conſtitui oportebat. Tum quia partibus pluribus ob ſtructuram abnormem adiri oppidum facile poterat ab terra; decrerat, circumjectis ædificiis dirutis, vallum aggeremque pro muris opere continenti ad mare uſque perducere. Sumptum hæc immodicum longamque moram poſtulabant; ut, niſi literis ejus de urbe capta perſcriptum eſſet ad Senatum, conſilium utilius videretur, ea ſolo æquata, inde diſcedere. Munientem improviſus claſſis hoſtium adventus averterat ab incœpto. Jam Conſtantinopoli, quod commeatibus minus liberis ab Ægypto atque Aſia multitudo aleretur, gravis eſſe cœperat Venetus; foreque graviorem in dies, confirmata Chii poſſeſſione, providebant. Conſultante cum Viſſiriis ac Baſſis rege, ira & cupiditas recuperandæ inſulæ ſtimulabat animos; ut eſſet una omnibus ſententia, *non dandum hoſti ſpatium ad reſtituendos muros, recentiaque ab Italia excipienda auxilia. Si auctis militum copiis, claſſis univerſa* (nam naves celſiores quoque poſt Venetorum ab Smyrna abſceſſum Helleſpontum redierant) *eo trajiceret, occaſionem rei bene gerendæ volentibus non defuturam.* Haud vana ſpes viſa. Ergo cujuſvis generis inſtrumento militari atque non exiguo voluntariorum numero in naves impoſito, edictum præfectis, *maturarent claſſem educere: ſimul atque ſatis militum ex Troade, Æolia, Joniaque collegiſſent, proficiſcerentur Chium.* Adjectæ minæ atroces: *ſi Venetum, ubi ubi eſſet, adoriri cunctarentur, pœnam capite ſubituros.* Nihil dilata

Munitio Chii difficilis.

Turcæ de Chio recuperanda deliberant.

Mittitur eo claſſis.

1695.

lata navigatio eſt: paucoſque circa Abydum Tenedumque ac Mitylenen morati dies, dum partem præſidiorum acciperent in naves, illinc in inferiora Adramytteni ſinus deſcenderunt. Quod ubi perlatum eſt ad Zenum: in ſe, ut putabat, venientibus occurrendum ultro arbitratus, delectum militem conſcendere actutum naves jubet. Poſtero die, is dies fuit a. d. VI. Kal. Decembr. ad Cenuſſas inſulas appulſa claſſe, Smyrnam illos vela direxiſſe intelligit. Nihil minus placebat, quam regredi Chium, cum tam prope abeſſet hoſtis: neque, ſi in ſinum Adramyttenum pergeret, tutum receptum in Smyrnæ portu habentem cogi ad certamen cernebat poſſe. Optimum cenſuit ibi conſiſtere, ut ex ejus cœptis ſumeret conſilium. Itaque quadraginta ipſos dies afflictati tempeſtatibus, & eſt hyeme regio ventoſiſſima, in anchoris Veneti ſtetere. Turcæ interim omnia ad navalem pugnam & Chii oppugnationem diligenter inſtruebant. Literis ad præfectos dimiſſis, quidquid inde auxiliorum contractum eſt Smyrnam, id ſupplendis præſidiis navium deſtinatur. Magnam præterea pecuniam ad conducendum militem cum attuliſſent: certatim dantibus nomina mediterraneis Minoris Aſiæ, celeriter numerum decem millium ferme explevere. His ad diem certam conventus indictus Erythras; quo citius, cum opus eſſet, tranſportarentur in objectam inſulam. At naves, ab cæteris rebus oppido firmæ, nautis infrequentes erant & tormentorum libratoribus: neque horum quidquam ex regione illa poterat comparari. Et eo uno Venetis inferior fuiſſet Turca, ni Britanni ac Belgæ, qui in Smyrnæo portu naves habebant, nihil reformidantes nefas tale, magnam mercedem pollicentibus barbaris copiam nautarum libratorumque præbuiſſent. Tum ſeu nondum cuncta prorſus aptarant ad certamen, ſeu ſtudio fallendi Venetum; claſſis tota in Smyrnæ portum ſe recepit. Quietum inde videbatur reliquum tempus hyemis fore. Zenus tamen, cum adeo in propinquo eſſet

Occurrit Zenus.

Turcæ Smyrnam petunt.

40. dies Veneti conſiſtunt ad Cenuſſas.

Apparatus Turcarum;

quos juvāt Britanni & Belgæ.

1695. hoſtium metus, haudquaquam omittendam ratus cuſtodiam Cenuſſarum: Hieronymo Priolo, qui paulo ante Contareno ſucceſſerat, tuendum demandat portum cum majoris formæ navibus, ac tribus triremibus, minoribuſque navigiis armatis pluribus. Ipſe ægrum diuturna jactatione militem remigemque quiete inſtauraturus, aliam omnem claſſem reducit Chium. Cæterum proſpicienti, quantum belli terra marique inſtaret, difficilia complura occurrebant; ut non ſatis expediret conſilium. Nam & muniendæ urbis facultatem hyems adimebat imbribus fœda; & triremes reficiendas ſi ſubduceret, ne Turcæ eam ipſam arriperent occaſionem pugnandi cum ſolis navibus gravioribus, verebatur. Claſſis quoque univerſa, quia jamdiu nihil ſubvehebatur ex Italia, attenuata rerum neceſſariarum inopia erat. His anxius curis ſpem unicam habebat in auxiliis, quæ ſub initium fere ipſum autumni cognorat miſſa Venetiis. Sed ea quoque ſpes irrita fuit. Naves enim commeatum, ſupplementum, & pecuniam portantes, quibus præerat Bartholomæus Ruzinus, in faucibus Adriatici ſinus coorta repente tempeſtas disjecerat. Ruzinus, prope cum eſſet ut navis, qua vehebatur, armamentis magna ex parte amiſſis, mergeretur fluctibus; cum quanta potuit pecunia in ſcapham deſcendit. Ægre inde littora Italiæ cepit non procul Hydrunto. Navis diu in alto jactata, tandem ad Corcyram inſulam ejicitur. Eodem cum onerariis aliquot decurrit navis alia, cui Marcus Lauredanus imperabat. Is ubi audivit, Ruzinum longius regreſſum, ut cæteras colligeret naves, quas penitus in ſinum intulerat impetus tempeſtatis; timens ne, ſi illum Corcyræ opperiretur, diuturna nimis mora foret, cum reliqua pecunia onerariiſque Zacynthum petere intendit, protinus illinc Chium trajecturus. Zacynthum tamen prætervehi non eſt auſus; accidente fama, Afrorum navibus Ægæum mare infeſtum eſſe. Quamobrem, dum de his afferrentur certiora, in quo ſtatu ſit res, imperatori perſcribit:

Contarenus manet ad Cenuſſas.

Zenus redit Chium.

Auxilia tempeſtate disjiciuntur in faucibus ſinus Adriatici.

ſe,

ſe, ut primum tuto liceret, partem auxiliorum Chium perducturum. Tum vero ſenſit Zenus, ſubeunda ſibi aſpera multa. Ne tamen cui rei deeſſet, quocunque poſſet auxilio; mittit extemplo qui Lauredanum acceſſant: ſimul inſtructa navigia aliquot Maleam Peloponneſi promontorium jubet contendere, ut tutam navigationem præſtarent. Continuo ut, quibus potiſſimum indigebat, ocyus pararet, Joanni Pizzamano naves dat duas, quibus tranſmittat Naupliam ad accipiendos commeatus: pecuniam autem, partim ab circumjectis inſulis tributum exigendo, partim mutuam ſumendo a privatis, conficit, quanta in ejus menſis ſtipendium numeraretur militi. Claſſem quoque utcunque reparaturus, imperat trierarchis ne amplius duas triremes & quinqueremem unam eodem tempore ſubducerent; quibus celeriter refectis, ſubducerentur aliæ totidem: ita nanque navales copias in expedito fore, ſi quid ab hoſte moveretur ex improviſo. Nihil horum agi poterat, quod non ſubjectum oculis Chiorum, ac per eos notum illico Turcis eſſet. Gens fere infenſa Latinis, nam pars maxima diſciſſi ab Eccleſia Romana ſunt, jam inde a principio ceperant metum, quidnam ſe eſſet futurum, Venetis inſulam retinentibus, quos Latinis immodice fauturos ſuſpicabantur. Timor hic augebatur, quod Naxienſis Epiſcopus Latinus aderat una. Oderant peſſime, ut cujus conſilio atque hortatu ad ſe translatum putarent bellum. Neque deerant ex principibus, qui quaſi flabellum invidiæ, imperitam multitudinem ventilarent. *Profecto haud temere eſſe, quod homo in Græca ſacra animo inimico claſſem Venetam ſequeretur. Materiam creſcendi apud Romanum Pontificem ex injuria Græcorum quærentem veniſſe ad cuncta miſcenda. Dum incerta inſulæ poſſeſſio foret, nihil movere eum: dempto vero Turcarum metu, non ante quieturum quam Chii aut inſula abire, ſolo, in quo geniti eſſent, relicto in perpetuum, aut ad inviſos mores rituſque tranſire cogerentur.* Hæc facile credita, ne egregie ulla in parte juvarent Venetos, effecerant:

1695. *Zeni cura.* *Chii male animati in Venetos.* *Cauſa.*

Iiii 2 ut,

1695. ut, cum in oppido muniendo operarum præcipue paucitate laboraret imperator, ex tota inſula haud plus trecenti, quod in ſpeciem auxilii vix ſatis erat, convenirent. Ut autem, ſeneſcentibus illorum viribus, propius ſpem fuerunt veterum dominorum: legationibus clandeſtinis Smyrnam miſſis, Turcas impellere ad Chium repetendam non deſtiterunt. Itaque cum & undique appaſſent neceſſaria; & ſcirent Conſtantinopoli reprehendi cunctationem ſuam: omnium rerum cauſa maturandum rati, VII. Id. Februar. Smyrna proficiſcuntur. Poſtridie ejus diei ad Argennum promontorium anchoras jecere. Quod cum alius ſuper alium a Priolo nuncius attuliſſet Chium: extemplo conclamatum in oppido ad arma eſt, conſcenſumque in naves; roſtratis etiam quæ reficiebantur, extra quinqueremem unam, raptim deductis. Ac primis tenebris enavigantes, aliquanto ante lucem ad Cenuſſas pervenerunt. Ibi Priolus remulco triremium trium e portu extraxerat naves majores: reliquum noctis componendis armamentis conſumitur. Luce jam certa deſcendentibus in fretum hoſtibus obviam procedunt. Viginti maximæ formæ naves fuere, triremes totidem, & quinque quinqueremes. Turcarum claſſis numero navium prope par: nam viginti naves celſiores, quatuor & viginti triremes erant. At multitudine militum adeo ſuperabant, ut ter tanto majora eſſent, quam in Venetis, præſidia triremium, naviumque aliarum. Imperabat navibus gravioribus & nunc Haſſanes; tertius quidem inter duces, quos iis copiis præfecerat rex, ſed qui arte rei maritimæ omnibus longe anteiret. Ejus conſilio ita aciem inſtituerant, ut ab læva parte cum ſexdecim navibus claſſis ſuæ Haſſanes ipſe præſideret; ab dextra triremes extenderent cornu, quatuor navibus majoribus datis, quæ munimento eſſent. Hunc claſſis ordinem conſpicatus Zenus, non dubitavit quin celſiores naves ſuas navibus ejuſdem formæ hoſtium objiceret. Eas in ventum adverſum nequicquam tendentes,

Turcas advocant.

Hoſtium claſſis ad Argennum.

Zenus properat ad Cenuſſas.

Ordo claſſium.

teſ, juſſæ triremes remulco trahere: ubi ſingulas in fronte explicaſſent, tum in lævam recipere ſe ſe, atque una cum quinqueremibus pugnam inire; præceptis cuique trierarcho, quæ ſervarent inter concurrendum. Ipſe, quo ſolutior eſſet ad edenda imperia pro tempore in claſſem univerſam, imperatoriam triremem ſic inſtruit, ut Giccam præficeret ad mediam; proram tuendam daret Cittadellæ; puppim autem Jo. Baptiſtæ Dotto Melitenſi eq. Patavino: qui æmulatus domeſticum decus, voluntarius antea miles, ob fortem operam, locum deinde meruerat inter duces. Magno utrinque animo decertaturi videbantur: quippe, utra viciſſet claſſis, ejus utique Chium liberamque poſſeſſionem maris cernebant fore. Duces quoque admonendo atque hortando accendebant magis. Veneti: *cum hoſte dimicandum eſſe, a quo bellum navale nunquam tentatum feliciter; & cujus recentem confeſſionem haberent, nequaquam parem eſſe eum. Nihil profuturam multitudinem, qua fretus poteſtatem denique faceret pugnæ. Inconditam turbam eſſe, milites ſubitario delectu conſcriptos; quos, ubi ex propinquo contuliſſent vires, certo ſcirent, primum impetum vix laturos. Itaque memores rerum circa ea ipſa loca geſtarum imperia exequerentur alacres; & Venetum nomen invictum mari, Superis bene juvantibus, præſtarent.* Turcæ itidem fiduciam oſtentantes: *quæ regia cura præparanda fuerant, plena eos omnia cumulataque habere. Navium robore, numero ac virtute militum, auxiliorum varietate, longe ſuperiores eſſe. Tempore quoque capto ventiſque ſecundis pugnaturos. Nec Venetum jam, quia audeat, ſed quia neceſſe ſit, in aciem prodire. Victoriam igitur haud dubiam ſibi proponerent: ubi claſſicum ceciniſſet, audacter cum hoſtibus congrederentur; neque prælio prius abſiſterent, quam adverſam claſſem deleſſent.* Tum quibus cum mandatis regis exiſſent memorantes, ampla præmia edicunt, in quorum ſpem confligerent: ſi quis ulla in parte ceſſaſſet, e veſtigio in illum ſe animadverſuros denunciant. Haud dum anguſtias intrarant freti, quod Cenuſſas Joniæque littora interfluit, jamque ſe meridie incli-

1695.

Duces utrinque hortantur ſuos ad pugnã.

1695. inclinabat ſol; cum ab celſioribus Venetorum navibus pugnæ initium eſt ortum. Sex antecedebant cæteram claſſem, quarum prima Prioli prætoria erat. Is, tametſi nondum huc pervenerat, ut deſtinato ictu petere naves hoſtium poſſet: tamen plurimum intereſſe ratus ad oſtendendum animum, ſi prior laceſſiſſet, recedere inde jubet triremes, tormentiſque ut ignes admoveant, magiſtris imperat. Vana pleraque, utpote ex longinquo miſſa, tela inciderunt. Turcæ contra, ubi acceſſerunt propius, undique ſimul emittentes tormentis globos, prœlium incipiunt: ac in magnum illico diſcrimen adduci res viſa. Nam aliæ naves Venetorum, quas deinceps dirigere in frontem gubernatores juſſi fuerant, non ſequebantur; quod triremes omnes præpropere feſtinantes, ut ſe in conſtitutum reciperent locum, eodem tempore ab iis diſceſſerant. Et primo credidit Haſſanes, conatu exiguo opprimi hoſtes poſſe, ut qui ſexdecim navibus adverſus ſex pugnaret. Poſtquam illi ſtrenue ſuſtinebant impetum, & navim quanque male mulctabant, quæ ſubiret infeſtius: æquatum juxta certamen eſt, ac ſi compari numero contenderetur. Interea triremes æqua fronte proceſſerant ad pugnam. In eas ne quatuor naves celſiores Turcarum inferrentur, obſtitere ab cornu ſummo objectæ quinqueremes. Atrox ibi atque anceps aliquandiu mars hæſit. Melior Turca erat robore navium, Venetus virtute militum atque arte gubernatorum. Verterat in hunc demum periculum. Jam quinqueremes duæ, Jacobi Contareni & Petri Marcelli, remis maliſque perfractis ac parte remigum amiſſa, vix regebantur. Itaque cum vix ægreque tolerarent reliquæ vim; Turca, contempta earum paucitate, mediam in aciem triremium, ubi imperator præfectique roſtratarum Petrus Quirinus & Carolus Piſanus præerant, proras convertit. Hæc cauſa novi ſuſcipiendi conſilii Venetis fuit. Certam nanque triremium perniciem fore cernens Zenus, ſi penitus illati hoſtes ab mutuo inter

Prælium committitur ab navibus gravioribus:

ab triremibus.

In magno periculo cōſilium Zeni:

ſe

ſe auxilio cornua intercluſiſſent: flexa repente in dexteram prora, incitatoque remigio, quinqueremium ac navium aliarum ordines intervectus, claſſem modico intervallo circumducere inſtituit, ut ab tergo triremes illorum aggrediatur. Subita res præbuit tumultus nonnihil; nondum gnaris trierarchis omnibus quid pararet. Paulo poſt cum certatim ſequerentur; triremes aliquot ſub ipſis pene navibus Turcarum in anguſtum conglobatæ, implexæque remis atque armamentis, procellam plumbearum glandium ingentem excepere. Confeſtim tamen proripuit illinc ſe Piſanus, cujus triremis agilitate præſtabat remigum; ut ſpatium cæteris ad ſe explicandum eſſet. Opportune quoque ab eodem Piſano ac Bartholomæo Contareno ſubventum quinqueremibus duabus, quæ æſtu delatæ procul, quod obliquas ſe ipſæ ad ictus præberent, ſummo in diſcrimine verſabantur. Senſere Turcæ, mutari rationem pugnæ, vana ſibi ut fierent auxilia navium celſiorum, quæ in adverſum æſtum reciprocari non poſſent. Ergo locum capere, unde ceſſerant Veneti, conſtituunt, naves ibi pro munimento nihilominus habituri. Et id celeriter adeo executi ſunt, ut agmen carperent abeuntium extremum. Triremes duæ, Vincentii & Marini Georgii, ne ſtipatis in arcto triremibus aliis inciderent, longiore poſt quinqueremes circuitu tendebant. In eas invectæ illico Turcarum triremes tres. Altera cum perviciſſet remis, ut reciperet ſe ad ſuos; alteram, quæ aberat propius, circumſiſtunt. Obſtinatius, quam pro numero reſiſtentium, fuit certamen. Ubi plurimis interfectis, ad ultimum Marinus ipſe, & cum eo Marcus Pizzamanus eximiæ ſpei juvenis, impavide pugnando ceciderant: triremi prope vacua hoſtes potiuntur. Dum hic denuo concurſuri aciem inſtruunt utrinque: qua parte dubium adhuc prœlium erat inter naves celſiores, ex inſperato rem inclinavit fortuna. Puppim prætoriæ Prioli, incertum quo caſu, ignis corripuit: fruſtraque conati nautæ latius ſerpentem flam-

1695.

& Haſſanis.

Triremem Georgii capiunt Turcæ.

Prætoria Prioli, & navis Bra-

1695. flammam reſtinguere. Illuc ad opem ferendam navis alia, qua Gaſpar Bragadenus vehebatur, acceſſerat: ſed ignem ſubito ſic diſtulit ventus, ut continenti incendio ambæ conflagrarent. Crevit inde animus Turcis: quibus ſe undique acrius inferentibus, parum abfuit quin navis Nicolai Piſani (is tertium locum inter navium majorum præfectos tenebat) ab tribus circumventa caperetur impreſſione prima. Egregium tunc fortitudinis ſpecimen ab Piſaño editum. Etenim in tanta imparitate, non cæde ſuorum, non vulnere ſuo perterritus; ſimul dimicando, hortandoque dimicantes, non reſtitit modo, ſed repulit etiam multa cum cæde naves ſingulas. Illud etiam neutiquam vulgatæ laudis, quod corruptis licet ex parte armamentis, perforataque pluribus ictibus nave; ultro tamen ciere prœlium auſus, terrori quoque eſſe cœperat Turcis. Medio in ardore plumbea trajectus glande cum concidiſſet: ne turbatam duce amiſſo navem rurſus illi indipiſcerentur, Contarenus prohibuit; qui, ſervata Jacobi Contareni quinquereme, in pugnam redibat. Tum redintegratum certamen eſt: & jam utrinque conjunctæ naves omnes aderant, ac paſſim permiſtis viribus gerebatur res. Ibi navis alia Venetorum, aciei extremæ, dubium unde coortis flammis abſumpta.

gadeni incendio abſumuntur.

Nicolai Piſani virtus;

qui interficitur.

Contarenus navem ejus ſervat.

Navis Veneta alia conflagrat.

Cæterum neutris remittentibus, contentio in noctem extrahitur. Bis interea roſtratarum claſſes frontibus adverſis concurrerant. Et primum quidem ab Turcis pugna tentata magis, quam inita. Nam poſtquam naves quatuor majores, quibus confiſi illuc deſcenderant, deferebat æſtus in claſſem aliam ſuorum: veriti, ne hinc ab triremibus, hinc ab navibus celſioribus hoſtium intercluderentur, relicto certamine, ſuperiora freti, unde venerant, repetunt; trireme una, dum dextrorſum quinqueremes Venetas prætervehuntur, ab his ſuppreſſa. Ut autem circumvecti ab tergo aciem denuo explicuere; Venetus, recuperata Marini Georgii trireme, audacter prœlium committit. Pugnatum aliquandiu eventu ancipiti. Poſtre-

Semel atque iterum concurrunt triremes.

Veneti Turcicam unā deprimunt.

Georgii triremem recuperant.

Digitized by Google

1695.

Turcæ fugiunt ſub veſperum.

Poſtremo gravius prementem hoſtem Turcæ jam non ferebant: fugam igitur haud dubie capeſſunt. Fugientibus inſtat ille; medioque in curſu triremem eorum aliam demergit. Nox finem ſequendi cum feciſſet: claſſis Venetorum univerſa ad Cenuſſas inſulas rediit; duobus ferme millibus ſuorum ac tribus navibus, quæ incendio perierunt, amiſſis. Turcarum cæſa millia plus tria, & triremes duæ depreſſæ. Horum naves celſiores idoneo loco ad auxilia ab Jonia accipienda, jactis anchoris, conſtiterunt: ſinus haud procul Argenno perfugium præbuit triremibus. Nocte traducta armamentis ſarciendis, poſtero die Veneti ſub ortum ſolis recipiunt claſſem in altum, ſpatium ut eſſet concurrendi. Ubi & hoſtis ceſſabat, neque laceſſere ipſi cominus poterant ventis reflantibus: ad Cenuſſas revertuntur. Per dies aliquot a bello quies fuit. Interim quaſſatæ in prœlio naves utcunque refectæ: una, quæ compagibus aquam acciperet, Chium miſſa. Proxima terra ſuppeditabat Turcis rerum omnium copiam. Et decimo poſt die quam fuerat dimicatum, ſatis valide cum inſtauraſſent claſſem, tum demum periclitari iterum ſtatuunt certamen. Vento vehementi, quem triremes non ferrent, movens cum ſolis navibus majoribus Haſſanes, proras ſic dirigit, ut Cenuſſarum littora, naveſque intervehi Venetorum poſſet. Referebatur eo conſilium, ut ſimul horum triremes in portu clauderet, ſimul ſecundis ventis uteretur in pugna adverſus claſſem aliam in alto ſtantem. Quod ut animadvertit Bartholomæus Contarenus, quem Priolo placuerat ſuffici; cunctis raptim pro tempore inſtructis ad prœlium, ac, ne in anchoris vellendis mora eſſet, anchoralibus inciſis, circumagit modico intervallo naves. Continuo, ſequi juſſis cæteris, ipſe princeps obliquo curſu fruſtratus ventum, prope littora inſularum hoſtibus occurrit. Longo veniebant agmine: quod autem ſpatii nihil ad terram relictum eſſet, proſpere ab Veneta prætoria, & navibus aliquot prætoriam ſectantibus

Sarciuntur utrinque naves.

Decimo poſt die iterum pugnatur.

1695. bus initum ex ſuperiore loco certamen eſt. Ac cœpta ſolerter habuiſſet res fortunam, ſi ordo navium omnium explicari itidem ad terram potuiſſet. Poſtquam paucæ tenebant curſum, pleræque debiles mutilatæque irrito conatu tendebant in adverſum impetum maris: timens Contarenus ne mox ab iis intercluderetur, omiſſo incœpto, in altum evehitur. Tum procedentes Turcæ ad oſtium portus, ſimul in claſſem triremium ferreas pilas jacere, ſimul petere naves celſiores multiplici genere miſſilium. Impediit fluctuatio ipſa navigiorum, ne triremibus admodum noceretur. Naves aliæ, quantum poterant aſpero mari ventiſque contrariis, ſtrenue repugnantes, vim hoſtium tres horas ſuſtinuere: extremoque prœlio ab duabus una circumventa præter ſpem ſervata eſt; armatis, qui in eam tranſcenderant, occiſis dejectiſve. Vento demum ingraveſcente ac majores volvente fluctus, ut arbitrium moderandi nullum jam eſſet, dirimitur pugna. Venetos longius inde abripuit æſtus: Turcæ non procul loco, in quo dimicaverant, ad anchoras conſtiterunt. Haud dubium eſt, quin incluſæ portu triremes quinqueremeſque opera parva deleri, obſeſſis faucibus, potuerint. Defuerunt tempori Turcæ: quare Zenus in elabendi occaſionem intentus, ut primum ventus paulum deſæviit, noctis ſilentio egreſſus portu, prius ferme Chium tenuit, quam illi moviſse eum ſentirent. Quinqueremis una Petri Marcelli, antequam ſuperaret anguſtias, carinam fixerat vado. Jam luceſcebat: miſsæque ab Haſsane naves aliquot deprehendere laborantem conabantur. Et deprehendiſsent, ni ad opem ferendam contento remigio revectus Carolus Piſanus, nondum ab hoſte circumſeſſis ad exitum faucibus, religatam puppi in altum extraxiſſet. Cæterum ubi Chium eſt ventum, gravis cura Zenum inceſſit, qui locum cerneret, non periculum mutatum. Nam & naves celſiores Contareni vento præterlatæ aberant multum; & hoſtes ad clauſtra portus occupanda non dubitabat maturaturos. Unicum ſupererat auxilium,

Certamen dirimit ventus vehemens.

Periculum triremium in portu Cennſſarū.

Nocte Zenus elapſus, Chiū tenet.

Carolus Piſanus ſervat quinqueremem Marcelli.

1695.

Zenus Chiũ revocat Cõtarenum:

qui vento prohibetur.

xilium, ſi reverſæ naves portum ab alto tuerentur. Ergo Contarenum, qui cum parte earum ad caput D. Helenæ ſubſtiterat, quanto res in diſcrimine verſetur, edocet. *Nequicquam ab ſe nocturna profectione quinqueremes triremeſque incolumes abductas, ſi Chium ipſe navibus omnibus regredi paulum cunctaretur*. Contarenus, quod erat, cauſari: *ſparſas tempeſtate naves eſſe; eaſque inopes viris atque armamentis: quinque claudas perforataſque ne attinere quidem certamini objici. Quæ ut nihil obſint; adeo tamen increbuiſſe ventos, nulla ut arte contra niti queat*. His auditis, in univerſum eventum belli anxius, quando moræ locus neutiquam relinquebatur, duces extemplo advocat in conſilium. Minime anceps deliberatio inciderat. Idem cenſere ad unum, *ni propere inde abſcedatur, certum exitium mari terraque impendere. Quam enim ſpem eſſe claſſis ſervandæ, ubi neque erumpere in apertum, ſi hoſtis fauces obſideat, poſſint, neque ſi intendat ignes, alio quo effugere? Præſidium autem quod in urbe ſit, ni ante oppugnationem devocetur, dedi haud dubiæ neci. Brevi Turcam adfuturum valido exercitu; quippe ad eas copias, quas habeat in navibus, decem millia armatorum cum omni bellico inſtrumento ex Jonia acceſſura. Tum, ſeu urbem ſeptam teneat, qui incluſos obſidionem laturos, quibus cum alia deſint pleraque, tum commeatus in paucos ſuppetant dies? ſeu aperta vi res geratur, apparere multo minore illam certamine occupaturum, quam ipſi ceperint. Nec opera juſta ulla pro muris, nec terrenum poſt muros munimentum eſſe, unde oppugnatores arceantur tormentis. Muros etiam pluribus locis vix trium in altitudinem pedum excreviſſe, militibus & navali turba in ipſo apparatu muniendi alio avocatis; ut ubi multitudo barbarorum conferta irruat, inter impetum primum expugnari poſſit oppidum. Remp. profectò prodi, ſi, prædamnata ſpe Chii inter tot adverſa retinendæ, claſſem terreſtreſque copias, cum minime neceſſe ſit, in manifeſtam ruinam trahant. In his omnes ſpes opeſque ſitas eſſe, quibus imperii fines, Peloponneſum præſertim, quam ſucceſſu elatum hoſtem deinceps appetiturum videant, tueantur*. Concilio inter-

Conſultat Zenus de abitu.

1695. erat Stenaus. Is vera hæc eſſe haudquaquam inficiatus; *paratum tamen ſe*, dicere, *in credita urbis cuſtodia permanere, rationem modo aliquam inirent, quemadmodum id fieret, ſi non ſine periculo magno, at ſine certa pernicie*. Ubi in anguſtiis tantis conſilium aliud ſuccurrebat nullum: victus Zenus ducum conſenſu, cedere tempori ac fortunæ ſtatuit. Itaque diſcedendi ſic compoſitus ordo eſt: ut milites cum armis rebuſque ſuis ſine mora naves conſcenderent: qui Chiorum ſequi Venetum vellent, iis pariter conſcendendi poteſtas uti eſſet: balliſtas atque alia quæ ad bellum uſui ſunt, ut remiges ac navalis turba in onerarias inferrent; quæ avehi nequirent, corrumperentur. Præfecto machinatorum Mutono negotium datum, ut effoſſos ſub muris operibuſque cuniculos ſulphureo pulvere curaret e veſtigio complendos: ubi claſſis portu exceſſiſſet, tum ut lento igne appoſito incenderentur. Miſſi vero qui Contareno nunciarent, inſtare abitum, monerentque, præcedere ſineret longas naves atque onerarias; ipſe ſatis magno intervallo agmen clauderet. Vulgata fama diſceſſus varie affecit animos Chiorum. Lætum id, quamvis gaudium premerent, pleriſque Græcorum eſſe: contra acerbum Latinis, queis aut decedendum patria, aut atrocia ibi patienda; cum propter ſtudium in Venetos expromptum, in Turcas odium, nihil ab his ſperarent veniæ, nihilve timerent uſitatæ crudelitatis. Plurimi eorum, collectis raptim, quæ ferre ſecum poſſent, abire parant; in quibus Leonardus Balſarinus, Chii Epiſcopus Latinus. Quod ſuperfuit diei, & parte noctis inſumpta profectioni inſtruendæ; tertia vigilia ſolvunt. Atque defuncti jam videbantur malis; cum adverſata denuo fortuna eſt. Nam & Chii ſub claſſis abſceſſum ipſum, antequam cuniculi accenderentur, ad igniculos extinguendos accurrerunt, inituri apud Turcas gratiam; & navis una oneraria, quam prope portum, culpa gubernatoris, venti vis intulerat penitus in vada, nulla ſervari ope potuit. Rem aliis intentatam aggreſ-

Diſceſſum parant.

Inſulanorũ multi ſequitur abeuntem Venetum.

Oneraria una hæret in vado, quã

aggreſſi Piſanus, & Natalis Baſſus, quorum triremes omnium poſtremæ exierant. Ac primo quidem, innexis proræ funibus, diu multumque laboraverunt, ut extraherent in altum. Ubi, alterius rupto fune, alterius reſoluto, procul ab navi quæ hæſerat immobilis, impetus ipſe abduxerat: contentione ſumma remigum militumque remiges adjuvantium, rurſus connituntur in auxilium. At cum diu contrario mari tetendiſſent; quando quidquid impellerent remis, longius ab navi rapiebat æſtus: ſpe denique opitulandi præciſa, claſſem jam excedentem freto ſequi inſtiterunt. Sexto inde die Naupliam perventum eſt. Turca quinto poſt menſe, quam amiſerat, recuperata Chio, iræ explendæ avidus, fœde in Latinos, ut quiſque præcipue haberetur infenſus, animadvertit. Quatuor, qui reliquis dignitate anteſtarent, laqueo interempti. Alii aliis affecti pœnis: adempta pleriſque bona: everſiſque aut in Meſchitæ uſum converſis templis, duriſſima cunctis lex impoſita, ut, ſi eſſe incolumes vellent, ſacra obſervarent ritusque Græcorum. Hoc exitu petita bello ab Venetis Chios. Venetiis interea, ut quæque nunciarentur proſpera vel adverſa, varii habitus animorum fuere. Non. Novembr. allatum cum eſſet literis Zeni, veniſſe Chion in ditionem; conceſſum quoque mari ab hoſtibus, qui fuga ſalutem quæſiiſſent: patres ob rem tam ſecundam, honorem Deo habuerunt gratulatione magna populi. Continuo factum ſ.c. ut in equites D. Marci Antonius Zenus imperator adſcriberetur. Quarto autem inde die idem ille, qui Zeni attulerat literas, Jacobus Margnanus cohortis prætoriæ præfectus, literas alias tradidit Marini Michaelii, ne turbaret lætitiam præſentem, initio occultatas: quod tamen ſic auſus de ſententia privata non tulit impune. Ex his ut eſt intellectum, *irrupiſſe Turcas in Peloponneſum: ad eos obſervandos Lanojam legatum cum equitatu miſſum: provinciam totam in tumultu eſſe*: ex gaudio verſi repente animi in curam metumque ne forte Pelopon-

1695.

Piſanus & Baſſus fruſtra conantur abſtrahere.

Naupliam perveniunt.

Turca ſævit in Latinos.

Habitus animorum Venetiis.

Literæ Michaelii.

1695. loponneſus, diſtractis illinc viribus, amitteretur. Erant nihilominus, qui plus tandem ibi minarum eſſe crederent, quam periculi. *Neque enim hoſtes ejuſmodi apparatu intraſſe provinciam, ut potiri oppidis poſſent. Huc ſpectare motum, ut ab Chio, qua adempta vehementer angeret, Venetos avocarent*. Itaque cum alii in ſpe, in timore alii eſſent; non ſatis conſtabat, conſilium inſulæ occupandæ laudarent improbarentne: apparebatque, ex eventu famam habiturum. Diu in expectatione incerta fuit Civitas. Demum egreſſos quidem Peloponneſo Turcas acceperunt; at non ita multo poſt nuncii perferuntur triſtes, *pugnatum ad Cenuſſas; naves aliquot amiſſas; ceſſumque urbe atque inſula Chio*. Tum mœror ingens dolorque exortus: & adeo præceps malum viſum patribus, ut injiceretur ſuſpicio, ne aliquorum culpa id eveniſſet. Omnium primum auxilia navium & militum quam maturrime mittere in Græciam conſtituunt. Navium deinde celſiorum præfectura, raro honoris exemplo, de integro demandatur Bartholomæo Contareno. Nicolao Piſano Georgius Paſchalicus ſufficitur: ſex quoque ex patriciorum ordine deſtinati, qui ſinguli ſingulis præeſſent navibus. Paucis poſt diebus, de literis Zeni datis Naupliæ referentibus Sexviris, in diverſum ſententiæ tendebant. Opinati Sexviri, nihil in imperatore reprehendi poſſe præter fortunam, cenſebant reſcribendum: *quoniam ea contigiſſent, qua præſenti conſilio atque ope indigerent; ſtatueret ipſe, quod in tali diſcrimine duceret ſalutare: cum cura etiam inquireret, an alicujus perfidia aut ignavia male geſtum bellum fuiſſet: ſenatum effecturum, ut quamprimum cuncta neceſſaria ſupplerentur*. Alii inſcitia imperatoris, & pravitate quorundam, præſertim Petri Quirini, arbitrari ignominiam acceptam. Itaque extemplo creandos extra ordinem, qui illuc trajicientes rebus agendis opera ſua adeſſent: mittendos ſimul, qui quæſtiones exercerent in facta cujuſque, & comperta referrent ad Senatum. Cum multa in partem utramque, accenſis ſtudiis pro Zeno & adverſus Zenum dicta eſſent;

Nuncii amiſſæ Chii.

Refertur de literis Zeni.

Variatur ſententiis.

ſent; incerta patribus hærebat deliberatio. Hinc enim 1695. cauſæ inciderant, quamobrem ſuſpecta haberetur fraus: hinc neque tempus anni aptum novis ducibus deligendis (jam aderat ver) neque æquum videbatur contra Zeni aliorumque dignitatem quidquam decernere, rumores ſequentes, quorum nemo certus auctor extaret. Suſpenſos animos flexit in ſententiam ſeveriorem Jacobus Minius. Is acriter invectus in imperatorem, *haud facile eſſe*, inquit, *diſpicere, nequius conſilium inierit Chii capiendæ, an captam fœdius amiſerit. Cupidum prædæ ingentis ex inſula opulenta, abduxiſſe claſſem procul Peloponneſo, eoque maximum in periculum conjeciſſe provinciam. Chio occupata; quæ conſervandæ firma erat ſpes, ſi claſſem hoſtium haudquaquam parem viribus deleret, eam ultro, oblatam amiſiſſe. Semel ad Leſbum, iterum ad Phocæam elapſos Turcas. In Smyrnæ portu, cum jam fuga paſſim ex navibus fieret in terram, e manibus emiſſos. Tum minime ſalubrem militari diſciplinæ amœnitatem inſulæ avertiſſe animum a memoria belli; ut deinde deſcendentibus illis in pugnam, vix ulla præparata re, ſine ordine, temere obviam itum ſit. Quale ſpecimen virtutis in prælio ediderit imperator, hinc cognoſci, quod poſt prælium reverſus Chium, ſine ope hoſtis quæ aggravaret, adeo pavide egerit omnia, ut, urbe deſerta, bellici apparatus parte ibi relicta, Chiis proditis, nocte intempeſta fugientis in modum trepidus abſceſſerit.* Crimina hæc refellere parante Andrea Bragadeno Vviro Continentis; interfatus præter loci conſuetudinem Laurentius Superantius unus ex Sexviris, *mutare ſe eo momento ſententiam*, dixit. *Nam, ut quæ Zeno objicerentur, incerta eſſent adhuc; non eſſe quidem certe e rep. continuari illi imperium, qui in ſenatu probris laceratus detrimentum famæ feciſſet.* Idem viſum maximæ parti patrum. Ergo ſtatim perfertur de abrogando Zeni imperio. Petrus Quirinus præfectura claſſis amotus: præfectique duo creati extra ordinem Paulus Nanius & Franciſcus Grimanus. Tum decretæ quæſtiones; quibus exercendis præpoſitus idem Minius qui accuſarat. Comitiis proximis impe-

Jacobus Minius invehitur in Zenum:

cui abrogatur imperium.

1695. imperator legitur Alexander Molinus. In hunc facile ut

Sufficitur Alex. Molinus.

conſentirent, fecit tum ſpectata bello virtus, tum quod Marino Michaelio jam datus ſucceſſor profectuſque, in tempore videbatur eo perventurus. Nanius & Grimanus quinque navibus rerum militarium refertis copia juſſi actutum vela facere. Proficiſci una parabat Minius.

Quæſtiones exercet Minius.

At quia per dies hos ipſos naves aliquot reficiendæ Nauplia venerant Venetias; ibidem quæſtiones habitæ ſunt. De quibus cum retuliſſet ad Senatum: cenſuerunt, Zenum, Quirinum, Piſanum, decemque trierarchos judicio obnoxios eſſe.

Multi vocantur ad dicendam cauſam.

Plerique eorum Venetias illico advenere. Zenus & Quirinus paulo poſt eodem perducti, miſſique in carcerem. Ruzinus quoque citatus, quod auxilia Chium non pervexiſſet. Zenum, & Quirinum mors ſubtraxit judicio.

Moriuntur Zenus, & Quirinus.

Ruzinus paucos poſt menſes, reliqui inde omnes, cauſa dicta, abſoluti ſunt.

Ruzinus, cæterique abſolvuntur.

Horum præclara opera reſp. poſtmodum eſt uſa, Piſani ante alios: qui & ad exercitum reverſus, munus quod jam obibat, porro adminiſtravit; & attributam deinde Illyrici præfecturam geſſit magna laude. Interim Hadrianopoli, triduo ante quam ad Cenuſſas inſulas navali prœlio decertaretur, migrarat e vita Achomates rex, longinquo morbo & multis angoribus pereſus.

Mors Achomatis.

Cordi erat principi Viſſiriorum, Heibrahimum filium demortui, vix bimum, creari regem: ita nanque ad puberem uſque ætatem ejus penes ſe poteſtatem regiam videbat fore. Veruntamen Viſſirii alii Baſſæque, male in illum animati, favere Muſtaphæ filio natu majori Mahumetis Quarti. Et, his valida manu armatorum adjuvantibus, Muſtapha regnum invadit.

Succedit Muſtapha:

Cum ætas vireſque utilem ſpondebant præſentibus rebus; tum ipſe de ſe deque bello, quod eſſet in manibus, elate prociterque diſſerere; ut impleret ſuos certioris ſpei, quam quantam ratio ex fiducia copiarum ſubjiceret. Peropportune non multos poſt dies nuncii allati recuperatæ Chii, disjectæque Venetorum claſſis; nemo ut unus eſſet, quin felix ejus

impe-

Digitized by Google

imperium ominaretur. Ante omnia lapſas res deſidia regum ſuperiorum ut reſtitueret, ſemet ad exercitum profeſſus eſt iturum. Itaque delectus paſſim imperavit, præſertim in Aſia; certamque diem ad conveniendum Taurunum militibus edixit. Tum auri argentique vim ingentem ex publicatis locupletum bonis exiguo tempore coegit; uxore etiam Achomatis regis, ne cui parceret, deſpoliata fortunis. Halium inſuper Viſſirium voluit necari, nullam aliam ob cauſam, ſi vera quæritur, quam quod pecunioſus homo exiſtimabatur. Libens adjuvit mater. Avaritiam muliebrem ſuperante voluptate, qua exultabat filio rege; Hadrianopolin veniens, magnum auri pondus multorum annorum ſpatio furtim coacervatum reconditumque attulit, quo uteretur ad bellum. Ea ſuadente, Halio ſufficit Mahumetem Boſnenſem, ſolertem alia, militarium fere imperitum. Cæterum ad Pannonicum bellum, quod adminiſtraturus ductu ſuo foret, ita adjecit animum, ut ſimul cum aliorum, tum Veneti curam minime omitteret. Peloponneſi recuperandæ percupidus, refici celeriter naves jubet; copias auxiliares accerſit Afrorum; claſſique univerſæ ſummo cum imperio Haſſanem præficit, cui uni res ad Chium bene geſta tribuebatur minime ambigue. Heibrahimo autem, qui terreſtribus copiis præerat in Græcia, mandat ut quantum plurimum poſſet armatorum colligeret, ac primo quoque tempore irruptionem tentaret in Peloponneſum; ſatis ſperans Venetos, ſi priuſquam inſtaurarent vires, terra ſimul & mari urgerentur, non diu reſtituros. Quod ad Polonos attinebat & Moſchos, eam ſe ſolicitudinem dempturum pollicitus rex Tartarorum, undique gentem excivit ad arma: ac, ubi militum, quod ſufficeret ad tuendos fines, opportunis locis diſpoſuit; cum delecto equitatu venit Hadrianopolin, ut exercitum ſequeretur in Pannoniam. Dum ibi profectio inſtruitur regis; Heibrahimus ſpe celerius coactis octodecim prope millibus hominum, in his tria millia erant

1695.

qui iturus ad exercitum, militē comparat & pecuniā.

Imminet in ſpem recuperandæ Peloponneſi.

Tartarorū utitur auxilio contra Polonos & Moſchos.

1695. Græcorum, quos contraxerat Liberachius, ad Iſthmum Corinthium jam proceſſerat. Fere contra fauces poſitis [*Heibrahimus ſollicitat Peloponneſios.*] caſtris, mittit Græcos homines duos, qui promiſſis ſollicitarent Peloponneſios. Faciebant fidem literæ Viſſirii manu teſtatæ, *ſi ad Turcas defeciſſent, nihil cuiquam fore noxæ, quod ſtetiſſent ab Venetis; vectigal nullum Turcarum regi penſuros; militem duplex ſtipendium accepturum, quam quantum a Venetis pepigiſſent*. Commodum contigit, ut in tali [*Molinus Naupliam venit.*] provinciæ periculo, novus imperator Molinus appelleret Naupliam. Ut recenſuit exercitum, decem millia peditum, equites mille & ducentos; quia accidebat rumor, expectari ab Heibrahimo claſſem, ut uno tempore Peloponneſus terreſtri ac maritimo bello peteretur: valido [*Iſthmum munit.*] præſidio Corinthum firmat, præponitque extra ordinem, multa in armis laude virum, Juſtinum Ripam. Tum Laſcarum tribunum cum quatuor millibus Peloponneſiorum, quos Philippus Donatus & Bartholomæus Maurus conſcripſerant, ad Iſthmi ſaltus occupandos jubet contendere: datiſque literis ad Antonium Molinum præfectum inſularum, ut triremes ſuas compleret milite, [*Piræum trajicit.*] mitteretque in Corinthium ſinum; ipſe, dum equitatus Piræum portum Argolidis terra peteret, peditem imponit in naves, protinuſque eodem proficiſcitur. Optimum cenſuerat, portum illum habere velut cardinem; ut hinc terreſtribus copiis aditu provinciæ arceret Heibrahimum, hinc Haſſani, ubi res poſceret, inſtructa ad pugnam claſſe occurreret. Aſt conſilia hæc prævertit Heibrahimus. Ubi nanque ſolviſſe eum Nauplia cognovit ex transfugis; anguſtias tentare ſtatuit priuſquam plus fieret hoſtium. Atque exercitu omni movens, Liberachio cum [*Heibrahimus fauces ſuperat:*] Græcis mille & trecentis præmiſſo, Peloponneſios incautius agentes ſubito impetu fudit fugavitque. Inde Argos [*Caſtra ponit ad Argos.*] uſque progreſſus, primum ſcalis arcem capere, mox præfectum condicionibus perlicere ad deditionem conatur. Poſtquam vanum erat inceptum: Liberachio cum ſex Græcorum cohortibus agros circa populante, pro-

pter

1695.

pter colles, qui Argis imminent, caſtra locat valloque circumdat. Naupliam, ſimul ac Haſſanes cum claſſe advenisset, adoriri totis viribus propoſuerat: eo ab Argis oppugnandis abſtinuit. Molinus interea, ut ſe ab Turca ſenſit fruſtratum, Piræo reverterat Naupliam.

Molinus Naupliam redit.

Ibi copiis expoſitis, nullum dubium fuit quin ſtatim Argos iretur. Nam leve tutabatur præſidium; apparebatque, quanta diſcriminis moles impenderet, ſi barbari eam bello cepiſſent ſedem. Ut, ducibus Stenao & Auguſtino Sagredo, qui Michaelio in Peloponneſi præfectura ſucceſſerat, ventum eſt Palæocaſtrum, id nomen arci dirutæ inter Naupliam Argoſque;

Stenaus & Sagredus Palæocaſtrum procedunt.

exploratoribus de numero Turcarum, deque loco, & munimentis caſtrorum comperta referentibus: haud viſum, qua cœperant, ire pergere. Etenim nec pervenire poterant Argos, ut non prius caſtra eorum in propinquo poſita aggrederentur; &, quod iidem præſtarent numero, ac regione permunita conſtitiſſent, valde difficilem dimicationem futuram ſibi cernebant; quæ ſi adverſa fuiſſet, ſumma rerum in Peloponneſo periclitaretur. Ergo ad arcem caſtra metati, intenta cura obſervant hoſtem; ſatis credentes, nec auſurum armis operibuſque Argos oppugnare, cum ipſi abeſſent tam prope; nec, paucos intra dies exhauſto circa agro, diu ibi morandi facultatem habiturum. Inter hæc quinquaginta milites in caſtra Turcarum transfugiunt.

Transfugæ incitant Hebrahimum ad eos adoriendos.

Iis affirmantibus, Venetos longe impares eſſe copiis; incertos conſilii duces; militem autem conſternatum animis, ſi repentina ingrueret vis, pugnandi cauſa non reſtiturum: in ſpem erigitur Heibrahimus, ſi exercitu univerſo invaderet, facile ſuperandi. Itaque Græcos revocat, qui palati per agros prædabantur. Tum equitatum educit caſtris, a quo primus fieret impetus: peditibus præcipit, ſtatim ſequantur; atque ubi ad hoſtem ventum ſit, quam latiſſime expandant aciem, ut circumire equeſtri procella turbatum poſſint. Hæc per exploratores cum comperiſſent Veneti duces, ſatius duxerunt

Obviam eunt Veneti.

 runt

1695. runt Turcis ultro occurrere. Non procul Argis venientem in ſe equitatum excepere impavide repuleruntque. Paulum inde progreſſis peditatus in conſpectu fuit. Conſtituerat Stenaus, arte ut adjuvaret vires, ſimulare in frontem certamen; flexo interea in dextram agmine, collibus ſuccedere, illinc autem ab latere, atque ab tergo juſta hoſtem adoriri pugna. Ubi is latius extendebat cornua, jamque acriter utrinque inferebatur: ſuo quiſque loco conſiſtere juſſi, audacterque manus conſerere. Ac qui in dextro erant cornu, non ſuſtinuerunt modo Turcam, ſed etiam brevi referre pedem coegerunt. In ſiniſtro plurimum fuit periculi. Cohortes nanque aliquot Janiſſarorum circa Heibrahimum gravius connixæ turbaverunt ordines: dataque forent terga, ni Stenaus cum tribus cohortibus ex ſecunda acie provolans in primam, prœlium reſtituiſſet. Et jam pellebantur undique barbari, cum victoriam magis quam dimicationem diremit nox. Cæſi aut vulnerati eorum ad mille & ducentos, præterque duces alios, gener Heibrahimi Bechirus Baſſa ibi interiit. Venetorum interfecti centum & decem, in his Antonius Contarenus; vulnerati paulo plures, inter quos Petrus Sagredus, cui balliſtæ majoris ictus lævam abſcidit. Stenaus, poſtquam primis tenebris hoſtes ſe in priora caſtra receperant, recta procedit ad colles vicumque Argivorum, unde & ſubmitteret in arcem ſubſidia, & in illos, qua fere immunita caſtra erant, decurreret. At Heibrahimus, quo certiorem victoriam deſtinaverat animo, eo magis pugnæ perculſus eventu adverſo; &, ſive denuo dimicandum eſſet, ſimilem exitum, ſive locis tutis hærens Venetus traheret bellum, in aliena atque hoſtili terra rerum omnium inopiam timens: nihil cunctatus eſt tenebris tegentibus inde abire. Quinquaginta transfugis, qui vana ſpe decepiſſent, aditu in ipſo caſtrorum necatis; tredecimque tormentis, ac vi aliorum magna inſtrumentorum relicta: fugæ magis, quam itineris modo Corinthum contendit. Reſcitum ab Venetis

Prœlium committitur:

quod finit nox.

Heibrahimus abit.

ſub

1695.

Veneti inſequuntur.

ſub lucem eſt: miſſæque confeſtim turmæ aliquot Epirotarum equitum, quæ veſtigiis ſequerentur, parte impedimentorum adempta, ceciderunt ad ducentos, paulo plures vivos ceperunt. Ita multo minore certamine, quam quod viſum fuerat inſtare, Peloponneſo exceſſerunt Turcæ; ingenti populorum lætitia, Corinthiorum præſertim & Argivorum, qui propius periculum venerant. His non multo poſt, quod egregie manſiſſent in fide, Senatus præmia dedit, immunitatem tributorum, partemque publici agri, quem præfectus provinciæ viritim divideret. Molinus, pacata regione, tuto abduci claſſem poſſe ratus ad rem gerendam mari; quatuor millia militum ac Peloponneſios bis mille, una cum legatis duobus, Lanoja & Caſtellio, attribuit Sagredo, queis tutaretur Iſthmi aditus.

Molinus Andrum claſſe petit.

Ipſe maximæ formæ navibus tribus & viginti, ſex quinqueremibus, ac viginti triremibus, petit inſulam Andrum. In portu, quem Gaureleon vocant, placuit conſiſtere. Inde, dum opperitur copias ſociorum, naveſque duas cum ſupplemento Venetiis jam pridem profectas, quibus Hieronymus Michaelius præfectus alter navium graviorum vehebatur; ſpeculatorias dimittit paſſim, quæ de claſſe Turcarum explorata referrent; ubicumque data occaſio eſſet, pugnæ fortunam tentaturus.

Haſſanes egreditur Helleſponto.

Eduxerat mature Haſſanes viginti naves celſiores, & duodeviginti triremes, addito numero haud parvo biremium & onerariarum. Ac primum quidem inſulas adiit aliquot, ut ſuppleret remigio roſtratas. Poſtea appulſus Lesbum, diu moratus ad inſulam eſt præſtolandis auxiliis Afrorum. Æſtate jam adulta, naves advenere eorum tredecim. At quia ſimul undique nunciabatur, conatu inani Heibrahimum penetraſſe in Peloponneſum: veritus ut ſatis eſſet tutum nudare oram Minoris Aſiæ, præſertim vero timens Chio, quam Venetos rurſus petituros credebat; eo ſtatim tranſmiſit.

Chium trãſmittit.

Evocatam ex oppido imbellem turbam triremibus tranſvehit in continentem. Mox copiam commeatuum

tuum

1695. tuum contrahi jubet intra muros: auctoque præſidio, vigilias ſtationeſque in mœnibus diſponit; atque, ut quæque pars minus firma videbatur, ita eam objectis raptim operibus communit. Dum hæc Haſſanes; Molinus, aucta claſſe Venetis navibus duabus, quinque triremibus Romanis, & ſeptem Melitenſibus, Tenon Myconenque inſulas prætervectus, Nicariam trajicit, deinde Samum. Sub veſperam cauſa aquandi exſcenſionem fecerat; cum audiit, claſſem Turcicam ad Chium ſtare. Quare prima vigilia ſolvens, poſtero die, is dies fuit a. d. VII Kal. Octobr. invehitur fretum, quod latere uno Joniam, altero Chium contingit. Conſpecta procul Venetorum claſſe, gaviſus impenſe Haſſanes occaſione dimicandi eſt. Nam & numero ſuperabat navium majorum, in quas cum inſignibus imperii e triremibus tranſierat; & victoriæ ſpem memoria recens ſubjiciebat certaminum eo ipſo in freto ab ſe editorum: præterea, valde increbreſcente tunc Euro, ſatis fidebat, nullum uſum triremium ac quinqueremium fore hoſtibus, qua parte virium imparem videbat ſe eſſe. Ergo concedere intra Chii portum roſtratas, armamenta interim in navibus aliis componi, expedirique nautas & milites ad prœlium jubet. Poſteaquam ſubibat audacter Venetus, medium tunc ferme diei erat; nulla mora confligendi eſt facta. Primæ omnium prætoria Contareni, & imperatoria Haſſanis concurrerunt. Ut porro quæque navis deinceps ſequebatur, ita pugnam cum hoſte inibat. Molinum cum claſſe triremium & quinqueremium, quæ vim venti non ferrent, abſtulit procul æſtus; ut poſtremo in ſinum Chii inſulæ a præſenti tempeſtate tutum vix ægreque ſe receperit. Dimicatio interea minime æqua tenebat. Etenim ventus aptior Turcis flabat, quam Venetis: ac ſæpe altero ex latere navium contorqueri nequibant pilæ, ne miſſa flamma in ventum adverſum retro in naves ipſas impelleretur. Nihil tamen ob id retardatus Contarenus ſuſtinebat hoſtes: ejus exemplo ſtre-

urbem munit. *Molinus trajicit Samum:* *inde Chii fretum ſubit.* *Navale prœlium inter Venetos & Turcas:*

nue

nue uſque agebant alii; ut nuſquam intermiſſo certamine, claſſis utraque impetu maris ad Cenuſſas inſulas ſub occaſum ſolis deferretur. Ibi, permiſtis anguſto in freto viribus, recruduit contentio: jamque virorum prope magis, quam navium prœlium erat. Inſigni alterutrius clade nobilitari potuit locus, ni, re neutram in partem inclinata, nox pugnantibus interveniſſet. Tum paulum regreſſus illinc Haſſanes, propter Chium anchoras jacit: Contarenum in altum abripuit æſtus. Paulo plures a Turcis, quam a Venetis deſiderati ſunt. Horum tamen jacturam graviorem fecit amiſſus Angelus Bembus navis præfectus, qui fragmento ferreæ pilæ ictus in capite, pene ſtatim expiravit. Vincentius quoque Paſta, qui navem ducebat aliam, plumbea glande pectori incuſſa eſt vulneratus. Inſequenti die, conjuncta cum imperatore claſſe, revectus ad freti fauces Contarenus, evocare hoſtes ad prœlium, exonerandis, ut fieri ſolet, tormentis. Ubi nemo contra prodibat, modico inde intervallo conſiſtit & ipſe ad anchoras; in id intentus unice, ut ſimul atque rei gerendæ data foret opportunitas, claſſem inſtructam paratamque ad dimicandum haberet. Biduum reficiendis navibus moratus Haſſanes, tertio die exit in altum. Et illico, magno utrinque ardore congrediuntur. Qua præſtabat rei maritimæ arte Contarenus, ita moderari curſum cœperat, ut videretur vento ſecundo in pugna uſurus. Triremes obſtiterunt & quinqueremes; quæ aſpero mari, nam idem, qui antea, tenebat Eurus, ſequi non poſſent. Quapropter, ne abjunctæ ab reliquo agmine eſſent in periculo, ibi quoque neceſſe fuit vento adverſante cum Turcis confligere. Concurſu fere primo Venetæ prætoriæ damnum illatum. Etenim præter milites haud paucos, gubernator, præfectuſque nautarum interfecti ſunt. Joannes quoque Zenus, quem navis alia habebat ductorem, ferrea tormenti pila diſcerptus occidit. Quæ tamen nequaquam minuere Contareno animum: cumque & ipſe valide repugnaret, & præfecti

1695.

Nocte dirimitur, exitu incerto.

Iterum claſſes concurrunt.

1695. fecti omnes nutum ejus obſervantes magna ubique vi reſiſterent ; duas horas ita certatum eſt , nihil ut Turcis ſuccederet e ſententia . Tum ab Haſſane aliud atque aliud conſilium captum . Ac primo quidem naves ſex excedere jubet acie , ferrique in claſſem triremium Venetarum , quas ventus ingraveſcens proxima Lesbi inſulæ coegerat tandem petere . Ut Contarenus in eas ipſas naves acrius invehebatur : veritus Turca ne interciperentur , omiſſo incœpto , tres in partes dividere conſtituit claſſem , prœlio multiplici Venetum diſtenturus . Sed jam prætoria Afrorum male mulctata fugerat : naves aliæ duæ aquam compagibus accipientes pene mergebantur : cæterarum non paucæ perforatæ mutilatæve ordinem vix retinebant . Quare ſpe depulſus , priuſquam acciperet detrimenta majora , dato ſigno colligendæ claſſis , abire parat . Hoc in ſtatu res erant ; cum repente una ex Venetis navibus , igne caſu accenſo , conflagravit . In ea milites nautæque periere ad ducentos quinquaginta : abſumpta inſuper familia Stenai ; nam ipſum forte fortuna invitatum exceperat paulo ante in triremem ſuam Franciſcus Grimanus præfectus roſtratarum . Inde puncto temporis differri incendium in alias duas , quæ aberant propius . Dum reſtinguuntur flammæ ; recepto animo Haſſanes dirigit denuo quas poterat in frontem naves , prœliumque inſtaurat : quod tamen , Venetis impigre repugnantibus, extractum in noctem eſt, diremptumque haud ſatis certo eventu . Amiſſi aut vulnerati Venetorum quinque & triginta ſupra ſexcentos . Longe plures ab Turcis cecidiſſe conſtat : in navi nanque una imperatoria deſiderabantur plus trecenti . Naves quoque duæ , vixdum finito certamine , ſubmerſæ ſunt . Initio ſecundæ vigiliæ , cadente jam Euro , in locum , ubi pugnatum fuerat , cum roſtratarum claſſe Molinus venit . Conjunctis ibi cum Contareno viribus , viſum eſt non dare hoſti tempus ad reſpirandum . Nulla parte noctis cadebat luna : itaque confeſtim aggredi conſtituunt . At Haſſanes

Dum Turca coactus damno abire parat,

navis Veneta una incenditur:

itaque pugnam inſtaurat:

qua extenditur in noctem ambiguo eventu.

ſanes

ſanes a diſcrimine utique abhorrens, triremibus remulco 1695.
trahentibus naves celſiores, curſum intenderat Phocæam, *Haſſanes detrectat*
quaſſatam claſſem illic refecturus. Ob id ſpe novæ pu- *novum certamen.*
gnæ dejecti, Sigrium Lesbi portum advertunt proras. *Phocæam*
Haud procul inſula tempeſtas ſæva adoritur ab Vultur- *concedit.*
no: qua diu multumque jactati ac diſſipati late, ſer- *Claſſis Veneta diſji-*
vata ægre navi quæ pene mergeretur fluctibus, pars *citur tempeſtate.*
Lemnum, cæteri circumjectas inſulas ceperunt. Ad Scy-
rum poſtea cum conveniſſent; nacti tandem ventum ſe-
cundum, revertuntur in Peloponneſum. Datis inde *Redit in Peloponne-*
Molinus literis ad Senatum exponit, *ut ſemel atque ite- ſum.*
rum navali prælio cum Turcis dimicatum eſſet. Utrobique ab *Literæ Molini ad Se-*
Contareno ea virtute rem geſtam, ut ad extremum illos noctur- natum.
na profectione fateri cogeret terrorem. Se cum claſſe triremium neutri interfuiſſe certamini, quod earum uſum nullum venti interea ſævientes permiſiſſent. Hinc arrepta occaſione, ad- *Petit fa-*
diderat, *viderent patres, an expediret imperatorem exinde in* *cultatē conſcendendi*
navibus celſioribus potius, quam in triremibus ſedem habere. *naves graviores.*
Id propterea admonere ſe, quod proſpiciat, in poſterum navales pugnas huic ſimiles fore. In dies nanque pauciores ab Turcis inſtrui triremes; augeri contra numerum navium majoris formæ, quibus ad extremum unis mari videantur bellaturi. Præterea ſæpius expertum ſe, triremes in expeditionibus maritimis impedimento eſſe haud exiguo. Cum enim id genus claſſis commodius feratur mari tranquillo, naves autem aliæ duntaxat ventis impellantur; difficile fieri ut conjunctim tendant. Quinqueremes quoque terribiles quondam claſſibus triremium Turcicarum, nunc neque in pugna navibus maximæ formæ ſatis reſiſtere; & inter navigandum retardare triremium curſum, quarum remulco prægraves ipſæ magnitudine trahendæ ſint. Grati patres erga Contarenum, in ordinem equitum D. Marci retulerunt. Continuo ſinguli, quorum opera præclara fuerat in prœlio, collaudati; ac pro merito cujuſque ornati donis. Stenao decreta duodecim auri pondo, ad jacturam penſandam, quam fecerat rerum ſuarum navi incenſa. Aliquot autem poſt diebus, cum de literis imperatoris

Digitized by Google

1695. referretur, variabant ſententiæ. Erant qui cenſerent, *monere ſalubriter Molinum. Quid nanque præponi navalibus copiis ſuprema cum poteſtate ducem, niſi in ea parte ſit claſſis, qua ferme unice maritima res adminiſtretur? Si qui olim inſtituerint, ut imperator triremibus veheretur, mutatam videant rationem navalium pugnarum; cui dubium eſſe, temporibus accommodantes conſilia, ſummum imperium habenti daturos naves celſiores inſidendas? Britannos, Belgas, Gallos, mari tunc potentes ante gentes cæteras, hujuſmodi navibus uti; iiſque præficere imperatorem. Et habere quidem Gallos præterea triremium aliquid; quas tamen non ad maritima certamina, ſed ad opportunitates alias plerunque adhibeant. Quod autem proprie pertineat ad Venetos; Turcas vires ſuas in navibus majoribus jam collocare. In has Haſſanem imperatorem e triremibus conceſſiſſe, eodemque ſecum tranſtuliſſe imperatorium inſigne trium-luminum. Si claſſis claſſi, dux duci opponatur; cur non pariter Venetum imperatorem e navibus ejuſdem formæ bellum gerere?*

Certatur in ſenatu ſententiis contrariis.

Magnæ parti nihil placebat minus. *Quæ cauſæ valuiſſent apud majores, quamobrem triremes deſtinarent imperatori ſedem, eaſdem & nunc tenere. Ejus enim ſaluti, in quo maximum ad omnia momentum, rectius conſuli, ſi triremibus vehatur; quæ & minus obnoxiæ ſint incendiis, & agilitate ſua facilius ſubtrahantur periculis aliis. Tractum autem littorum ingentem, ſparſaſque paſſim inſulas qui tueri poſſe ſupremum ducem, feſtinantem quo ſubita neceſſitas vocet, niſi adjutum triremium celeritate; quibus nihil opus ventum expectare, ſine quo curſus eſſe graviorum navium nullus queat? Cretico bello Jo. Baptiſtam Grimanum præfectum claſſis, idem petentem, neutiquam impetraſſe; inter reliqua, propterea etiam, quod tunc navibus maximæ formæ dux præeſſet expertæ virtutis Thomas Maurocenus; cujus haberetur injuria, ſi in ducenda navium illarum claſſe alium prapoſuiſſent. Hoc impetrante tunc Molino, cui non apparere, vehementer offici Contareno? In ea præfectura factis multis illuſtrem, ſecundum nemini, nuper titulo equeſtri ab ſenatu auctum, non poſſe inde detrahi dignitate incolumi.*

Vincit ſententia, quæ Facile ſententia vicit hæc: reſcriptumque Molino, *pa-*

tres

tres nihil mutare. Cæterum, qua parte claſſis potiſſimum 1695.
fidebat Turca, eam ut & ipſi augerent: ſit ſ. c. ut quatuor naves formæ celſioris, jam ædificatæ, deducerentur; quæ egregie viris atque armis inſtructæ primo quoque tempore ad claſſem contenderent; atque ut nautis & libratoribus largius procederet ſtipendium. Imperatori autem permiſſum, ut, ſi videretur minuenda claſſis roſtratarum, naves quinqueremes duas, detractis armamentis, Venetias mitteret, in navalia ſubducendas. In Illyrico, extraquam crebræ incurſiones invicem factæ, annus imbellis fuit. Patres, late prolatis ibi imperii finibus, compoſuerunt etiam quæ pertinerent ad juvandum inde ærarium. Stephanum Capellium redituum publicorum curatorem creavere; quem obeuntem munus ejuſmodi placuit a poteſtate præfecti Illyrici liberum eſſe.

facultatem eam denegat.

Steph. Capellius redituum curator.

FINIS LIBRI VIGESIMISECUNDI.

HISTORIARUM VENETARUM

LIBER VIGESIMUS TERTIUS.

1695. VEnetis hæc agentibus, fama apparatus converterant in ſe animos hominum Cæſar & Moſchus. Cæſar undique ex Pannonia atque ex Germania contracto milite, inſuper ab Federico Auguſto, Electore Saxonico, millibus octo armatorum gentis ejus acceptis, exercitum effecerat ſexaginta millium. Imperatorem dixerat Fed. Auguſtum ipſum, florentem ætate ac militaris cupidum gloriæ; legatis additis, quorum conſilio bellum adminiſtraret. Fere tamen ſumma referebatur ad Capraram: qui mature profectus in Pannoniam collegerat ad Petro-Varadinum copias; caſtraque ibi foſſa ac duplici vallo communierat. Ignorabat, quam partem petituri hoſtes eſſent. Itaque pluribus ſimul locis, quibus præcipue metuebatur, diſpoſuerat præſidia. Miſſi, qui in Savi ripa excubias agerent; ut, ſi illac perrumpere in Inferiorem Pannoniam pararent, per tempus ab Petro-Varadino obviam iretur. Gronsfeldio legato attributæ cohortes quinque, ad tutandam Tibiſcum urbem & circumjectam regionem, qua in Pannoniam Superiorem eſt aditus: juſſuſque Aſchembergius claſſis præfectus naves inſtructas habere, quas, ubi res poſtularet, Turcarum objiceret claſſi. Veteranno autem, qui Tranſylvaniæ cum ſeptem armatorum millibus præerat, imperatum, ſedulo cuſtodiret provinciæ fines; præmoneretque, ſi quid impenderet periculi: exercitum nanque omnem ſine mora adfuturum. His conſtitutis, eodem ferme tempore Saxonicus Elector & rex Turcarum pervenere ad exercitus. Regi erat in animo, Savo trajecto, protinus ad hoſtem

El. Saxoniæ ducis exercitum Cæſaris,

conſiſtit ad Petro-Varadinum.

Præſidia diſponit.

Veteranno dat tuendã Tranſylvaniam.

1695.

Rex Turcarum Tranſylvaniam cogitat.

hoſtem ducere. Poſtquam præfecti copiarum, quæ priore anno perpeſſi ibidem fuiſſent, memorantes, valde dehortabantur; flectere illinc decrevit in Tranſylvaniam: & ſtatim loco opportuno infra Taurunum jungi pontibus Iſtrum jubet. Quod ſimul Federico Auguſto nunciatum eſt; minime dubius quin Tranſylvania peteretur, Aloyſium Ferdinandum Marſilium tribunum, ad quævis prudentem opera belli, cum millibus aliquot equitum mittit trans Iſtrum, qui pontem Tibiſco amni imponendum curaret. Non multo poſt intelligens, Turcam toto exercitu Iſtrum tranſgreſſum; de concilii militaris ſententia, Herbevillio legato cum præſidio modico ad cuſtodiam caſtrorum relicto, Iſtrum primo, mox, ponte ab Marſilio jam perfecto, Tibiſcum tranſducit copias. Quo minus, ut fuerat decretum, pergeret porro ad hoſtes, obſtitit, quod præmiſſi ad itinera exploranda retulerunt, invias circa paludes eſſe. Ergo via alia occurſurus, amne rurſus trajecto, præter ejus ripam, quantum accelerare poterat, agmine citato contendit Segedunum. Interim Temeſvariam venerat rex; deque ejus exercitu armatorum millia quindecim proceſſerant ad Lippam oppugnandam. Tuebantur Germani mille & ſexcenti: nec animus iis ad defenſionem deerat. Sed Turcæ faſcibus ſarmentorum complentes raptim foſſam, quatuor ſimul ab partibus tanta ſe vi intulere, ut urbem non ſatis validam muris prope inter impreſſionem primam expugnarent; reſiſtentium ad mille cæſis, cæteris captis. Eodem cum reliquo exercitu rex continuo acceſſit. Jamque Tranſylvaniæ intraturus fines erat; cum trepidi nuncii afferentes, Germanorum copias, Tibiſco ad Segedunum ſuperato, Genadium prætergreſſas appropinquare, averterunt ab incœpto. Vix quadraginta millia habebat militum. Propterea univerſi aleam certaminis timens, Lippa everſa, avectoque militari inſtrumento, retro unde venerat Temeſvariam celeriter repetit. Quo cognito Germani, non metu receſſum ab hoſte opinantes, ſed

Marſilius pontem Tibiſco imponit.

El. Sax. Iſtrum trajicit, & Tibiſcum.

Regreſſus petit Segedunum.

Turcæ Lippam expugnant;

quam rex evertit, & Temeſvariã redit.

ut

Digitized by Google

1695. ut Iſtro tranſmiſſo, deinde Savo, in Inferiorem Pannoniam impetum daret; cum ſimul accepiſſent, ab iis qui Taurunum cuſtodiebant, & multitudine quam expoſuerat claſſis, Tibiſcum oppugnari (Gronsfeldium, ut in nullo metu ejuſmodi, illinc ad exercitum revocarant) eadem qua ierant via ad Iſtrum revertuntur. At præterquamquod obſeſſo oppido ferri nequiit in tempore auxilium, altero nanque poſt die quam cœperat obſideri, expugnatum eſt; rei quoque bene gerendæ occaſionem Turcis præbuerunt adverſus Veterannum. Is locum delegerat ſylva, foſſa, ac palude ſeptum, non procul Lugas, ſic arcem vocitant ad Temeſium fluvium, quadraginta circiter ab Temeſvaria millibus paſſuum, unde obſervaret aditum provinciæ; & quod per literas fuerat antea compoſitum, cum Federico Auguſto, inter Lippam Genadiumque conjungeret poſtmodum copias. Rex ubi abiiſſe comperit exercitum Germanorum, ad conſilium, quod metu abjecerat, redit. Converſo agmine, Lugas intendit petere; haud dubia ſpe, Veterannum ubi oppreſſiſſet, parva opera ſubacturum ſe ad imperium accipiendum Tranſylvaniæ urbes. Et Veteranno hauddum gnaro profectionis ſuorum adeo improviſus hoſtis adventus fuit, ut ne objiciendi quidem valli ſpatium eſſet. Foſſam habebat a fronte. Ibi conſtitutis quatuor tormentis, actutum inſtruit militem; peditem in prima acie, in ſecunda equitem locat. Ac initio invehentes ſe magno conatu barbaros repulit non ſemel. Dederat deinde cadaveribus eorum oppleta foſſa, velut ponte injecto, tranſitum ſuccedentibus. Nihil tamen propterea territus, equitatu in primam aciem inducto, præſens ipſe ubi plurimum periculi oſtendebatur, ita ſuſtinuit impreſſionem, ut, ſex horas variante fortuna, incerta eſſet victoria. Poſtremo ubi ſuos, qui iidem ſemper pugnarent, ſegnius reſiſtere, Turcam vero cohortes integras feſſis uſque ſubmittendo urgere acrius ſenſit, jamque in perniciem ultimam prœlium ſpectare: cedere inde paulatim,

Germani ad Iſtrum accedunt.

Tibiſcum opp. capitur a Turcis.

Rex Lugas contendit oppreſſurus Veterannū.

Pugnam committit.

tim,

tim, ſervatis ordinibus, conſtituit. Sed, dum inſignis 1695.
inter primos reſtando, impetum retardat hoſtium, quinque vulneribus acceptis collabitur; ut ægre ab iis, qui circa erant, ex acie eriperetur.

Veterannus ſauciatur.

Ducis caſu non defecerunt milites, nuſquam trepide neque effuſe referentes gradum; donec ductu Truchſes legati in vicinos montes receperunt ſe ſe.

Milites ejus recipiunt ſe ſe.

Quatuor millia & ſexcenti hi fuerunt, duobus millibus & quadringentis fere in pugna amiſſis. Veterannum equo impoſitum, neque tolerantem jactationem vulnerum, qui ſervabant reducere in tutum haud potuere. Obſitum cruore exanimemque, non procul loco, in quo certatum fuerat, oppreſſerunt Turcæ trucidaruntque.

Veterannus trucidatur.

Multo ſanguine & ipſis victoria ſtetit. Etenim cæſi feruntur ad quatuor millia & ſexcentos; inter quos tres Baſſæ, ducesque alii complures: ſauciati ſupra mille & octingentos. Nec rex inſequi victos in Tranſylvaniam recedentes eſt auſus. Cum enim manum modicam tanto labore ſuperaſſet; providebat, quantum certaminis inſtaret, ſi cum exercitu Germanorum univerſo foret dimicandum, quem fama adverſæ pugnæ excitum ad provinciam tuendam non dubitabat mox venturum.

Turca abſtinet Tranſylvania.

Ergo victoria ea contentus, Lugas vi captam, proximam quoque arcem Karanſebes, unde Truchſes raptim in itinere præſidium deduxerat, diruit: tum prius conceſſit in Valachiam, quam Federicus Auguſtus & Caprara, nunciato Veteranni diſcrimine, feſtinantes in auxilium cum robore copiarum, ad Tranſylvaniæ fines pervenirent.

Lugas & Karanſebes diruit.

Inde traducto per Moeſiam, Thraciamque exercitu, redit Conſtantinopolin, exceptus gratulatione populi ingenti; ipſe quoque factorum ſuorum oſtentator magnificus, actis ante ſe captivis mille & trecentis, militaribus ſignis aliquot, atque numero haud parvo tormentorum.

Revertitur Conſtantinopolin.

Ac erant quidem minora hæc, quam quæ ſpe animoque proficiſcens deſtinarat. Juſte tamen æſtimantibus videbitur collegiſſe laudem non prorſus immeritam; qui per ludificationem hoſtis prævalidi ſic geſſerit

bel-

1695. bellum, ut neque occaſionem illi ſuam daret, neque ſuæ occaſioni deeſſet. Moſchus, cum hæc ab Germanis agerentur, mole tanta virium invaſerat Tartaros, prope ut videretur adventu primo debellaturus. Diviſos exercitus, alium, præpoſitis ducibus e gente ſua, ad obſidendam Oczacoviam urbem, in faucibus Boryſthenis poſitam, miſerat; alium regendum legato tradiderat Franciſco Lefortio Genevenſi: qui, dum ipſe ſubſequeretur, occuparet ire oppugnatum Tanaim, ſitam ad fluvium cognominem, qua in Paludem Mæotidem influit, Aſoph appellant; ædificatis lintribus, quæ ſenos capientes homines, per Occam, ex hoc per Volgam flumina, illinc per foſſam Kamuz trajectas in Tanaim copias, urbi admoverent. Sed utrobique is exitus belli fuit, ut incœpti pœniteret. Hinc præfecti Moſchorum, quatuor caſtellis in ripa Boryſthenis magno expugnatis certamine, ducere poſtea ad Oczacoviam, quo Tartari undique concurrerant, auſi non ſunt. Hinc rex ſumma quidem vi armis ac machinis Tanaim oppugnare eſt adortus; naveſque Turcicas duas militari inſtrumento refertas cepit. At fœda cum cæde ſæpius repulſus a muris, quando identidem erumpentes barbari nihil quietum in operibus & ſtationibus eſſe ſinebant, ut conatus omnis caſſe adhiberetur: omiſſa oppugnatione, caſtellum excitavit haud inde procul; parteque copiarum, quæ ſeptam tenerent urbem, relicta, cum cætero exercitu revertit in regnum. Obtulerat hoc anno Polonis fortuna opportunitatem potiundæ Camenecciæ; averſo in Germanos rege Turcarum, Tartariſque ſuo proprio occupatis bello. Inteſtina procerum diſſidia, præſertim præfecti armorum Lithuaniæ Sapieha, Ducis Radzivilli, & Epiſcopi Vilnenſis, quamobrem e manibus occaſio amitteretur, cauſa fuerunt. In gentis concilio animi adeo exarſerant ira, ut neque a maledictis neque ab armis temperaretur. Et extremo ſolum æſtatis collegerunt legati exercitum: tum hoſtium vixdum ingreſſi fines, nihil experientes, domum redierunt.

Moſchorum expeditio in Tartaros:

parũ felix.

Moſchi redeunt domum.

Diſſidia Polonorum obſtant gerendis rebus.

runt. Alibi interea fervebant Chriſtianorum regum inter ſe bella. In Italia ſtabat ſententia Caſale urbem oppugnare, quæ jam annum obſidebatur: atque ad hoc Eugenius Princeps Sabaudiæ, præfectus Cæſaris copiarum, vere primo venerat in Inſubres. Rem aliquandiu diſtinuit, quod inter fœderatos parum conveniebat, utrum urbem, poſtquam expugnaſſent, integram ſervarent, quod placebat Cæſari; an munimenta ejus demolirentur, ad poſtulatum Victorii, qui vereretur ne Germani eam ſibi arcem in Italia facerent. Cæſare ad extremum, ut tolleretur mora, concedente: miſſus cum cohortibus delectis Rabutinus legatus ad inſidendos aditus Alpium, ne qui impetus in Pedemontium ex improviſo fieret ab Catinato. Apte quoque ad hunc retinendum in Delphinatu, ubi tunc habebat ſtativa, Ruxelius claſſis Britannicæ imperator, adjunctis navibus Belgarum, maritimam Narbonenſis Galliæ oram, nunc hac nunc illa parte deſcenſione comminanda, infeſtam reddebat. Ita regione ſatis ab tergo tuta, quinque & viginti millia peditum, quatuor fere equitum, Caſale ducuntur; copia machinarum, quæ Pado ſubveherentur, ſequente. Haud plus millia tria Gallorum intus recenſebantur, minus quam pro urbis magnitudine præſidium. Ob id Crenanius, qui ibi imperabat, oppidanis dederat arma; parabatque multitudinem aliam ex agris contrahere intra muros. At obſtitit Mantuanus Dux, coactus ab Cæſare edictum promulgare, ſi quis Monferratenſium ulla re adjuviſſet Gallos, capitale futurum. Magno ardore aggreſſi ſunt urbem fœderati. Ab arce Germani & Sabaudi, ab latere urbis, qua proſpectus eſt in campos propinquos Pado, Hiſpani oppugnabant aggeribus, vineis, varioque genere balliſtarum. Reſtitere Galli duodecim dies: & quanquam, amiſſis munimentis aliquot externis, nonnihil etiam ruerat murorum; animi tamen ſuperabant ad diutius propugnandum. Veruntamen oppidani, tectorum territi incendiis ac ruina, ut deditio maturaretur, impu-

1695.

In Italia Caſale oppugnatur.

Reſiſtunt Galli 12. dies.

Digitized by Google

1695. lerunt. Facta eſt autem in condiciones: *ut externa quidem munimenta arcis Germani Sabaudique, urbis Hiſpani, interna autem Galli corrumperent; nihilque ad eam tuendam, præter murum, quo cingitur, integri relinqueretur. Hac ubi acta eſſent, tum ut Galli cum rebus ſuis, & decem balliſtis aneis emigrarent urbe, qua ſtatim Mantuano Duci traderetur.* Parvo tempore æquatæ ſolo longi operis munitiones: ægreque impetravit Mantuanus ab Cæſare, ut propugnacula duo in Padum verſa ſtarent, quibus jus tutaretur quod ſibi eſſet in id flumen. In Alſatia Lorgius & Badenſis viribus prope pares, præter levia certamina procurſantium manipulorum, alter in alterius conſpectu ſedentes ſine ullo conatu æſtatem trivere. In Catalonia adnixi Hiſpani ut recuperarent arces in Barcinonenſis agri finibus, de ſe priore anno captas. Et aberat non longe quin Galli, qui Oſtalricum cuſtodiebant, Caſtrumque non procul ſitum, Foliettum nominant, fame ſubigerentur ad deditionem. In tempore tulit opem legatus de-S. Silveſtro, cum cohortibus expeditis ab Noallio miſſus. Hunc inde ſe recipientem ad ſuos adoritur Acugna dux Hiſpanorum: ibique acre atque obſtinatum hæſit prœlium, neutram in partem ſatis certo eventu. Poſt aliquanto Ludovicus Vindocinenſis Dux, Noallio ægrotanti ſuffectus, juſto cum exercitu venit eodem. Ac Hiſpanos quidem cito coegit obſidionem ſolvere: cæterum arcem utramque, quia teneri præſidiis viſum regi non erat, curavit diruendam. Exitu non diſſimili tentatum oppidum Palamus. Ab terra Hiſpani quibus Gaſtanaga prorex Cataloniæ præerat, a mari Britannica claſſis Ruxelio duce oppugnabant. Cum locis pluribus ſternerentur jam muri, repente in vicinis collibus Galli apparuerunt. Uno tempore nuncii allati, Gallicas naves ductu Turvillii mox adventuras Telone. Quamobrem, priuſquam terra marique circumvenirentur, receſſere. Devocatur continuo ab Vindocinenſi præſidium; oppidique mœnia, nam id quoque rex imperarat, evertun-

Coacti ab oppidanis, urbem dedunt.

Muri & munimenta diruuntur:

Hiſpani Oſtalricum circũſident.

Prœliũ ibi victoria incerta.

Palamus fruſtra tentatur ab Hiſpanis.

tuntur. Hoc anno acerrimum in Belgio bellum fuit. *1695.* Certatum etiam eſt majoribus pene odiis, quam viribus. *Fervor belli in Belgio.* Obierat VII. Id. Januar. Maria Jacobi regis filia, octodecim ante annos Auriaco nupta. Huic propterea nullum eſſe jus reliquum videbatur ad regnum obtinendum. At præterquamquod bellicæ virtutis opinio ingens de eo ferebatur, ac beneficiis ipſe ſibi quamplurimos obligarat: feroci præterea ingenio gens, modo ne Jacobum haberet regem, vel advenæ parere certa, non ſolum ratum illi firmumque regnum ſummo conſenſu eſſe juſſit; ſed etiam, aucto ſibi onere tributorum, pecuniam decrevit in bellum, quantam ſuppeditarat nunquam antea. Rex vere multo in Belgium trajiciens, *Rex Britanniæ eo trajicit.* venit Gandavum; Namurci oppugnationem agitans animo, ut magno incœpto ſpem ſuorum æquaret ſociumque. Fallendus hoſtis erat, Dux Villaregius, mortuo Lucemburgico ſurrogatus: qui valido exercitu, inter Tornacum & Aldenardam, in partes omnes intentus conſederat. Ergo Ducem Vvirtembergenſem, Carolum Henricum Principem Valdemontium, & Ducem Bavariæ, cum ſuis quemque copiis Gandavum accerſit: ſimulatque ſe impetum daturum in munimenta, quibus Galli ab oppido Menina ad Furnas opere continenti Flandriam interſepſerant; nulla prætermiſſa re, quæ fidem faceret Dunquercam peti. Poſtquam ſtatione una atque altera Gallorum depulſa, minime dubius Villaregius quin pro munimentis ipſis dimicandum porro eſſet, illuc cum robore virium tranſierat: mittit repente partem exercitus ad Namurcum obſidendum. Secutus ipſe paulo *Namurcum aggreditur.* poſt cum delectis ſuorum; Valdemontio cum triginta millibus militum relicto, qui hoſtem detineret. Adeo tamen approperari iter haud potuit, ut, priuſquam circumſideretur, Mareſchallus Bufleriius cum quatuor fere millibus levis armaturæ equitum non penetraret in oppidum. Hoc adjecto auxilio, quatuordecim jam millia armatorum intus erant. Rex, qui præter ſexaginta mil-

 lia

1695. lia militum, quinque & viginti millia adduxiſſet munitorum; celeriter foſſa valloque circumdatis, IV. Id. Quinct. duabus ſimul partibus oppugnare tormentis aggeribuſque adoritur. Quatuor & viginti dies reſtitit præſidium, non modo pro muris ac munimentis ſtrenue pugnando, ſed etiam crebris eruptionibus in opera ſta- *Fit oppidi deditio.* tioneſque multa hoſtium cum cæde factis. Demum ruina murorum patefactum oppidum deditur; in arcem *Oppugnatur arx.* natura juxta atque arte permunitam concedentibus Gallis. Dum hæc ibi aguntur, Villaregius, copiis undique contractis, ut armatorum ſeptuaginta millia eſſent; quia nequibat ſine magna jactura ſuorum, vallum oppugnantium non auſus tentare, verterat alio bellum, ſi forte eos inde abſtraheret periculo rerum ſuarum. Legia amne trajecto, opprimere adventu repentino Valdemontium parat. Ubi præmonitum hunc ab transfugis, eludentemque ſolertia multimoda, donec amiſſis perquam paucis, in tutum ſe ſe reciperet ad Gandavum, juſto prœlio ag- *Villaregius Dixmuda potitur,* gredi non potuit: Dixmudam magno invadens impetu, altero poſt die urbem, præſidiumque quatuor millium & quadringentorum militum accipit in deditionem. Si- *& Deynſa.* militer potitur Deynſa, ſex ab Gandavo millibus; atque urbis utriuſque muros, ut cura tuendi liber foret, *Bruxellas petit.* diruit. Bruxellas poſtmodum ingenti apparatu tormentorum vaſti oris proficiſcitur, juſſu regis urbem incenſurus. Spes ſuberat, Britanniæ regem feſtinantem ad avertendam cladem, omiſſurum interim Namurci arcem. Stimulabat quoque ira propter incendia a Barclajo illa- *Maritimas Gallorum arces incendunt Britanni:* ta locis pluribus in maritima ora Galliæ. Claſſe enim amplius centum varii generis navium Caletum & Dunquercam conatus fuerat incendere: illinc vero repulſus vento, Maclovium poſtea, mox Magnam-Villam, maritimas Britanniæ Minoris & Normanniæ arces, igneis conjectis globis, partem magnam flammis abſumpſerat. Bruxellis igitur appropinquans Villaregius, ſcriptis literis ſignificat urbis præfecto, miſſum ſe incendiorum invi-

cem

cem ultorem: ſi pergerent deinceps fœderati ſævire in tecta muroſque, eadem ab Gallis expectarent. Ubi acceſſit, tantum percontatus, qua regione urbis habitaret uxor Bavariæ Ducis, ut, lege belli obſervata inter hoſtes nobiles, ei omnino parceret, admovet balliſtas. Tres perpetuos dies ignium procella effuſa, partem urbis plus tertiam concremavit aut disjecit: æſtimataque jactura eſt amplius quadrigenties centenis millibus florenorum. Neque tamen propterea aut Barclajus incendiis abſtinuit, aut quidquam remiſſum ab rege de oppugnatione Namurcenſis arcis. Barclajus Dunquercam, deinde Caletum claſſe repetens, utrobique damni intulit nonnihil: intuliſſetque longe gravius, niſi Galli e prominentibus in altum molibus jaculantes, navigiis quoque armatis e portu immiſſis in propius ſubeuntes naves ejus, quarum etiam unam aut alteram cepere, ſubmoviſſent. Rex periculo permotus ſociæ urbis, aſſumptis cohortibus ad iter expeditis, contenderat Bruxellas. Poſteaquam ſerum eſſe vidit auxilium; in caſtra reverſus, multo acrius quam ante oppugnare arcem inſtitit. Et brevi ſic prociderant muri, ut ſtrata pleraque omnia ruinis eſſent. Itaque delectas cohortes roboraque centurionum jubet invadere. Atrox prœlium cum plurimorum utrinque cæde fuit. Ac repulerunt quidem vim Galli, ſtationibus duntaxat duabus amiſſis. Cæterum quando imminuti numero feſſique labore ac vigiliis, ſi denuo ingrueret impetus, ſuffecturi haud videbantur; externæ autem opis expectatio nulla ſuſtentabat: nam adjectis Valdemontii copiis adeo firmaverat cuncta hoſtis, ut Villaregio, qui modico inde intervallo poſuerat caſtra, perrumpendi via haudquaquam relinqueretur: pacti ut dimitterentur cum armis & rebus ſuis, arcem dedidere. Agminis exeuntis poſtremus erat Mareſchallus Buflerſius. Hunc tradi in cuſtodiam voluit Britanniæ rex ducique Trajectum ad Moſam; ulturus conventa ab Villaregio violata, qui facultatem denegaſſet redimendi pretio

1695.

Villaregius partē Bruxellarum corrumpit flammis.

Rex Britanniæ vi adoritur arcem Namurci.

Arcis deditio.

1695. tio milites Dixmudæ & Deynſæ captos: qua paulo poſt facta ab Ludovico rege, in libertatem reſtituitur. Per dies eoſdem detrimenta maritimarum arcium penſavit præda, quam egere Gallorum naves, unde infe-

Præda de hoſtibus mari acta a Gallis.

ſtus hoſtibus Oceanus fiebat. Non ſolum navigia aliquot Belgica intercepta; ſed etiam ſeptem naves celſiores onuſtæ mercibus ab Americæ inſulis revertentes in Britanniam captæ ſunt, pertractæque Maclovium. Hos bel-

Fit pacis mentio a Pontifice & Venetis.

lorum motus ſecuta per hyemem quies: interea vero injecta mentio pacis a Pontifice & Senatu Veneto. Nec aſpernabatur Cæſar, modo honeſtis condicionibus liceret; regique Hiſpaniæ ſatisfieret ante alios, ſi forte ei non cun-

Suſpiciones Cæſaris,

cta ad Noviomagenſe fœdus revocanda viderentur. Cura non levis habere cœperat ſolicitum ne Auriacus, ubi ſatis ſibi ac Belgis proviſum putaret, fœderatis cæteris

Ob Callierſiū miſſum a Gallis ad Belgas.

inconſultis, tranſigeret de pace. Miſerat enim Galliæ rex in ipſo ardore belli Hagam Comitum Franciſcum Callierſium, qui utiles leges proponeret, ſi abducere a fœdere Civitates poſſet: intelligebat autem Cæſar, harum & Auriaci rationes ita conjunctas, ut nihil decreturi eſſent niſi conſiliis communibus. Ob id Auſpergium legatum ſuum ad Belgas intentum eſſe jubet ad omnia, ne quid ſe fugeret illorum, quæ inter eos agerentur. Rex Galliæ, qui unus multos annos molem tantam ſuſtineret hoſtium, quietis cupidior, nihil æqui reſpuebat, ut tandem bello imponeretur finis. Et ab Cæſare quidem Hiſpaniæque rege non deſperabat per Pontificem & Venetos pacem fore impetrabilem. At apud Belgas, facile cernebat, nihil ſe profecturum: neque alia mente legarat Callierſium, niſi ut Galliæ populi cognoſcerent, nihil ab ſe prætermitti cauſa pacis; quo minus gravatim, ea fruſtra tentata, in bellum neceſſarium pecunias conferrent. Totas nanque Auriaci Civitates uſque eſſe & ipſe comperterat: Auriacum vero fretum potentia, ſucceſſibus præterea ſecundis elatum, providebat difficilem ſibi, nec, niſi immodicis conceſſis, placabilem futurum. Si ulla

ſpes

ſpes eſſet flectendi ejus, ſitam eam arbitrabatur in Venetis; modo privatam legationem ad pacificandum decernerent Londinum. Verum cum Senatus per idem tempus, officio uſitato erga novos reges, duos deſtinaſſet, Laurentium Superantium & Hieronymum Venerium, ut regnum Auriaco publice gratulatum proficiſcerentur in Britanniam: minus probabat Ludovicus, qui & ipſum ſumpturum inde, diceret, ſpiritus majores; & Britannos collaturos largius auxilia in bellum cauſa ejus, quem, extra Galliæ unum, reges tandem omnes haberent pro rege. Ergo, quod ſupererat duntaxat, Victorium de integro pertentare conſtituit, ut, ſi hunc ab ſociis abjunxiſſet, onere levaretur Italici ſaltem belli quod in dies experiebatur gravius. Juſſus Renatus Teſſæus, qui arcibus in Pedemontio occupatis præſidebat, magna illi polliceri, ut diſcederet ab armis. Promiſſa quidem non emanarunt: attamen comprimi adeo nequiit fama, ut Leganeſius, id quod erat, non ſuſpicaretur. Adveniens hic Auguſtam Taurinorum, deque communibus rebus ſæpius collocutus cum Victorio, non ante rediit Mediolanum, quam ſibi viſus eſt nutantem animum ejus confirmaſſe. Venetiis initio inſequentis anni, quod quarto aut quinto quoque anno olim fiebat, propter bellum autem per viginti fuerat poſtremo intermiſſum, ſ. c. factum eſt, ut IIIviri Quæſitores in continentem mitterentur. Lecti Jo. Baptiſta Gradonicus, Marinus Zanius, Joannes Zenus: quorum Zanius & Zenus intereadum ejuſmodi munere fungerentur, petentes impetranteſque reditum in patriam, alius alio tempore ſucceſſores habuerunt. Ab iis Tauriſani, Carni, Patavini, Rhodigini, ac Vicetini populi, reſque eorum inſpectæ. Tertio & quadrageſimo poſt menſe, quam diſceſſerant, Venetias revocati ſunt. Hoc primum anno utitur Senatus facultate Epiſcopos deſtinandi, quam Alexander VIII Pontifex tribuerat ſex ante annis. Macarſcæ Epiſcopum Nicolaum Blancovichium Vicarium Archiepiſcopi Spalatenſis,

Margin notes: 1695. — *Legatio Venetorum ad Auriacum.* — *Rex Galliæ tentat Victorium.* — 1696. — *Veneti mittunt IIIviros Quæſitores in continentem.* — *Epiſcopi deſtinati a ſenatu.*

Digitized by Google

1696. ſis, Scardonæ Georgium Civalellum Primicerium Eccleſiæ Jaderenſis, & Leonardum Balſarinum, qui triginta annos Epiſcopus fuerat Chiorum, Corinthi Archiepiſcopum dicit. Ob id controverſiæ Romæ aliquid intervenit. Conſuetudo tenuerat, ut Epiſcopi Illyrici deſignati Romam peterent, coram Pontifice examinandi ibique inungendi. Nulla quidem de Balſarino quæſtio erat, perſpectæ virtutis doctrinæque viro, & jamdudum Epiſcopo. Blancovichium autem ac Civalellum, ne ſolveretur mos antiquus, Romam vocabant. Recuſabat Senatus, ne quid minueretur jus regii patronatus ſibi ſemel conceſſi. Re ultro citroque diu agitata: ad extremum Pontifex prona voluntate erga Venetos, non ſolum id de quo contendebatur, remiſit; ſed etiam novis Epiſcopis condonavit partem impenſarum in diplomata. Inter hæc patres, nunquam per hyemem laxata cura apparatus, maritimas terreſtreſque auxerant copias; novis navibus onuſtis milite cum pecunia & commeatu, vere ſummo in Græciam miſſis & in Illyricum. Molinus cum Naupliæ hybernaret, ſimul refecerat naves inſtruxeratque neceſſaria ad inſtaurandum bellum; ſimul, quod præceperat nominatim Senatus, ſtudium huc contulerat, ut valido munimento firmaret Iſthmum Corinthium, quod Peloponneſum ab incurſionibus Turcarum tutaretur. Locis inſpectis, haud facile ſtatuebatur, utrum arcem extrueret in ipſis anguſtiis, ubi veſtigia ſunt muri fauces olim claudentis, quod conſilium afferebat Sigiſmundus Alberghetus, militarium operum molitor clarus; an, quod Stenaus ſuadebat, hinc vias tres ſuapte natura difficiles, inter montes, qui Corinthi arcem & Cenchræas interjacent, objectis per omnes tranſitus munitionibus obſtrueret; hinc ab colle, qui proxime imminet Corintho, continens vallum aggeremque, ſuperimpoſitis per intervalla caſtellis, duceret uſque ad Lechæum. Ea de re conſulto Senatu, viſa patribus arcis extructio majoris operæ, quam ut tempore aggrederentur ſic impedito.

Controverſia, ſacrandi cauſa.

Pontifex annuit Venetis.

Iſthmi Corinthii munitiones.

to. Hoc autem libentius conceſſum eſt in ſententiam 1696.
Stenai, quod ſpem feciſſet, ſexcentis Peloponneſiis adhibitis, quadraginta intra dies exiguo abſolvi impendio munitiones poſſe. Quare cœptum ſtatim opus approperatumque ſumma diligentia ab Juſtino Ripa, Peloponneſi extra ordinem præfecto; accita induſtria excellentis machinatoris, Jo. Baptiſtæ Morarii Patavini. Opinione tamen longius id, ſumptuque gravius didicerunt experiendo, quam Stenaus putarat. Nam & ad aggerem ſtruendum a Corintho ad Lechæum (tractus eſt paſſuum mille & quingentorum) quamvis numero multo majore Peloponneſiis admotis, diuturniore tempore opus fuit; & parte altera Corintho propior via, in vallem præaltam demiſſa, laboris præbuit plurimum: vix ut ratio inveniretur, qua agi illuc poſſent grandiores balliſtæ. Opere nondum abſoluto, accidit, quod videretur metum levare ne in poſterum Turcæ irruptionem facerent in provinciam. Liberachius, qui expeditionum iſtiuſmodi auctor ductorque ferme unus fuerat Turcis, tranſiit ad Venetos. Tranſitionis ſpem obtulerat nonnullam etiam Mocenico imperatori. Res tunc irrita, nunc per Græcos homines duos, quorum altero ſacerdote ad confeſſiones ſacras utebatur, cum Molino convenit. Fuere condiciones: *ut Liberachium equitem D. Marci ſenatus crearet: ut terras poſſidendas ei attribueret cum jure imperii; atque ut quindecim ſociis ejus fidiſſimis, præſertim Georgio Gerachario* (frater is Liberachii erat) *unde commode viverent, præberet: imperator autem Venetus adjutor fugæ ut eſſet*. Paulo poſt valida manu militum profectus Thebis, tentaturum aliquid contra Naupactum ſimulat. Ubi primum tuto licuit, cum triginta ſuorum ab cætero abſcedens agmine, littus Corinthii ſinus petit; ibique a triremibus duabus Venetis, quas ex condicto miſerat imperator, exceptus eſt, tranſvectuſque in Peloponneſum. Gaudio id fuit provinciæ populis. Senatus, quæ cum illo pacta fuerant, probavit. Opera quoque ejus, quantum po-

Liberachius tranſit ad Venetos.

1696. potuit citra periculum, uſus poſtmodo imperator ad tumultus in Phocide concitandos. Vix tamen profuit quidquam: ut, etſi articulari morbo tunc laborabat, non deeſſent, qui de fide hominis dubitarent. Quamobrem habuit inde eum imperator aſſidue apud ſe; donec juſſu Senatus venit in Italiam, ut procul omni ſuſpicione ætatis reliquum exigeret. Cæterum, Iſthmi munitionibus perfectis impoſitoque præſidio; ſimul ac tempus idoneum gerendis rebus advenit, auctus Molinus auxiliaribus copiis Pontificis & Melitenſium ſociorum, maturavit claſſem colligere. Tum frequenti in concilio deliberatum eſt, utrum claſſe tota occurrerent Haſſani, quem ferebant in Ægæum deſcendiſſe; an, viribus diviſis, miſſoque adverſus Haſſanem Contareno cum celſioris formæ navibus, cætera ipſi claſſe tralati in Atticam terram, Thebas oppugnatum irent. Hæc Molini erat ſententia, quem dudum cupido inceſſiſſet potiundi urbe opportuna Turcis ad invadendam Peloponneſum; præſertim quia præfecto eorum compererat exercitum eſſe admodum infrequentem: ut prorſus fideret, ſe haud difficulter expugnaturum. Quando maximæ parti conſilium dividendæ claſſis improbabatur; poſtero die, concilio rurſus advocato: *quod nondum Venetiis adveniſſet quantum commeatuum in eam æſtatem ſatis eſſet claſſi univerſæ, ſuadere ſe*, ait, *ut Contarenus claſſe navium majorum Andrum tranſiret: capi interea Thebas poſſe. Ubi primum commeatus ſuppeditarent, tum ſe triremes quinqueremeſque cum illo juncturum*. Aſſenſere omnes. Itaque Contarenus ſine mora Andrum trajicit. Molino, Cenchræas appulſa claſſe, optimum viſum militem ibi exponere. Et jam ingreſſus iter erat Thebas, cum revocarunt ab Contareno nuncii: ex quibus cognoſcit, ipſum cepiſſe Gaureleon portum Andri; claſſem autem Turcicam ſex & triginta navium celſiorum, quinque & viginti biremium ſupra Caphareum promontorium Eubœæ conſpectam. Quocirca mutato propoſito, quinque millia militum tradit Sagredo ad Iſthmi clauſtra tuen-

nititur in Italiam.

Nauplia conſultant Veneti.

Contarenus Andrum navigat.

Molinus Thebas petit.

tuenda. Cæteris inde juſſis conſcendere, Andrum petere 1696. intendit. Septentriones venti circa Æginam primum, poſtea circa Ceam inſulas aliquandiu detinuerunt: ut propterea vereretur ne, ſi claſſis Turcarum Andrum interim tranſmitteret, ſine magno diſcrimine accedere ipſe ad Contarenum non poſſet. Ac Haſſanes proſpero uſus vento non ſolum illuc decurrerat; ſed etiam, dum portum prætervcheretur, tormentis vulnerare Contareni conatus naves, infra eam inſulam adventum Venetarum triremium opperiebatur. Simul tamen tranquillitas prima data eſt; cum quam maxime incitato remigio maturaſſet Molinus, in oculis hoſtium, qui vento cadente immobiles hæſerant, XII Kal. Septembr. ſub veſperum Andrum tenuit. Contareno ibi non invento, qui die eodem mane egreſſus portu, Tenon verſus proceſſiſſet; ad eum navigat poſtridie. Ut copias conjunxere, libuit pugnæ fortunam confeſtim tentare. Sex & viginti maximæ formæ naves habebant, quatuor & triginta triremes, quinqueremes ſex. Lenis quoque ventus, qui flare tum cœperat ab ortu ſolis, in hoſtem ferebat. Poſtquam hunc auxilio biremium moliri fugam viderunt: triremibus remulco trahentibus naves alias, cedenti inſtant; ac demum longo tendentes agmine adipiſcuntur. Prima prætoria Contareni erat: cogebat agmen Georgius Paſchalicus: Petrus Duodus, alter navium celſiorum extra ordinem præfectus, mediæ præerat claſſi: quinqueremibus ita diviſis, ut Jacobus Moſtus tres haberet circa frontem, totidem ductu Aloyſii Mocenici poſtremam firmarent aciem. Initum illico ab Contareno certamen. Subiere continuo naves ſex, quas Fabius Bonvicinus, Nicolaus Foſculus, Andreas Piſanus, Ludovicus Flanginus, Aloyſius Nanius, & Joſephus Maria Meli regebant. Cæteræ, quod priuſquam conſequerentur, trahi deſierant ab triremibus, ſerius aliquanto ad pugnæ locum pervenerunt. Ne Moſtus quidem, quamvis ita, ut fuerat conſtitutum, direxiſſet in prœlium quinqueremes,

Inde Andrum.

Conjungitur cum Contareno ad Tenon.

Inſtās Turcis.

Contarenus pugnā conſerit:

1696. mes, congreſſus extemplo eſt. Nam neque conniti in frontem poterat, ne ictibus tormentorum præcedentes læderet naves Contareni; &, ſi latera invaderet, partem navium inſtructiſſimam tormentis, certa cum jactura id ſe videbat facturum. Quare capto ex re conſilio, læva prætervehitur, ut in puppes impetum faciat. Viſus Molino plus nimio audere: non mediocriter tamen profuit; nam illinc inceſſendo Turcas, quatuor eorum naves ab reliqua acie in ſe avertit. Interim labore haud parvo ſuſtinebat certamen Contarenus, qui ſeptem navibus adverſus duas & triginta pugnaret. Sed ubi Duodus & Mocenicus advenientes juſtam expleverunt aciem, Molinus ſimul partem magnam triremium intra teli conjectum explicavit; ſic undique urgeri hoſtes, vix ut ordinem retinerent. Ars ibi perſpecta Haſſanis. Cum enim Venetus vento adjutus inſiſteret acrius, ut qui ex propinquo conferre vires vellet: ipſe contra apte eludere, cedendoque ſenſim, nuſquam ſe opportunum indepturis præbere. Tres horas eminus certatum tormentis. Et, inclinata jam in veſperum die, cum poſuiſſet ventus, abire inde ſecundo mari Turca; octo navibus, in his prætoria, male mulctatis, cæterum claſſe incolumi. Inſecutæ, dum lucis ſuperfuit quicquam, triremes quinqueremeſque. Ac damni nonnihil intulere; biremibus etiam aliquot perforatis, demerſiſque. Primis tenebris ad Caphareum Eubœæ æſtu defertur Haſſanes: Veneti Andrum petiverunt. Cecidiſſe ea die tradunt barbarorum ad mille, totidem fere vulneratos. Ab Venetis non amplius centum octoginta duo amiſſi ſauciative; in his patricii duo voluntariam militiam ſecuti, Jacobus Contarenus & Franciſcus Corrarius. Pro certo exiſtimabat Molinus, ſi longior dies fuiſſet, cladem memorabilem inferri hoſtibus potuiſſe. Ergo novi cupidus certaminis, in id unice incubuerat ut eos, ubiubi nactus eſſet, adoriretur. At Haſſanes, refectis utcunque navibus, cum nec parem cerneret fore ſe, ſi congrederetur marte æquo;

Inde Molinus.

Eludit Haſſanes.

1696.

quo ; neque induceret animum Ægæo abſcedere , ne videretur Venetis prorſus conceſſiſſe : evectus in altum , errare cœpit circum Cycladas ; ubi impedito paſſim inſulis mari , facilique receptu poſt promontoria , pertrahi invitus ad pugnam non poſſet . Nec vanum fuit conſilium . Sequentes anxie inſtanteſque , quocunque claſſem verteret , diu fruſtratus hoſtes eſt . Poſtremo reverſus Eubœam , Euripi Chalcidici intrarat fauces .

Intrat Euripum Chalcidicum.

Viſa Molino occaſio non prætermittenda , quam jamdudum fruſtra quæreret . Quare ducibus convocatis , auctor erat , ut eodem claſſis navium celſiorum induceretur . Abnuere Contarenus : *neque enim ventum idoneum tunc eſſe volenti ſubire ; &, ſi idoneus ſit, haud parvi diſcriminis fore illuc, hoſte obſiſtente , penetrare , quod anguſtiæ nonniſi ſimplici ordine navium ſuperari queant* . Dum conſultando tempus terunt , Haſſanes , ne proficiſcens inde conſpiceretur , nocte intempeſta egreſſus freto tranſmittit inſulam Tenon ; non-nulla ſpe , ſi aggrederetur ex improviſo , ejus occupandæ .

Tenũ tranſmittit.

Poſteaquam inſulanos , quos Bartholomæus Maurus arcis præfectus , viſa procul claſſe Turcica , ad arma excitarat , paratos animadvertit prohibere appulſu littorum ; neque ita multo poſt afferebatur Contarenum appropinquare : omiſſo incœpto , in Helleſpontum curſum avertit .

Recipit ſe intra Helleſpontum.

Jamque multum proceſſerat autumnus . Igitur & Veneti , dimiſſis ſociis , Naupliam rediere . Interea de rebus omnibus , ut quæque gerebatur , Molinus & Contarenus perſcripſerant ad Senatum . Uterque in literis ſuis leviter ſignificarant , aliena culpa factum , ne egregia de hoſtibus victoria ad Andrum inſulam reportaretur .

Molini & Contareni literæ ad Senatum.

Movit id patrum animos : perlatumque eſt de ſenatore in Græciam mittendo , qui de iis , quæ ibi acta erant , inquireret .

Deſtinatio Quæſitoris.

Delectus Petrus Garzonius , unus ex Sexviris . Hic affectas vires corporis in primis cauſæ ſibi eſſe cum excuſaſſet , quare demandatum munus non ſuſciperet , neque excuſationem accepiſſent patres ; multam legis ſubivit . Deſtinatur poſtea Joannes Zenus ; quo itidem recu-

Res omittitur.

ſante ,

1696. ſante, rei mentio intermiſſa: jam enim liquere cœperat, ab dolore magis, quod depugnatum ex ſententia ad Andrum non eſſet, ſcripſiſſe utrumque, quam quia culpari ibi merito poſſet quiſquam. Eadem æſtate in Illyrico tentatur Olcinium. Olciniatas, maritimos latrones, qui nuper accitis etiam piratarum Afrorum navigiis, Illyrici maxime oram infeſtabant, non ultra ferendos arbitratus Delphinus; de ſede eorum oppugnanda Senatum conſuluerat. Indicarat, quamobrem id ſibi tunc videretur opportunum. *Nam urbem ſitu quidem validam, quippe extremo littore poſitam in rupe confragoſa, at, quod pro comperto nunciaretur, neque viris neque armis ſatis firmam eandem, imparatam inſuper ab commeatibus, ut procul metu obſidionis; credere ſe ſe, interclufis terra marique auxiliis, expugnari poſſe. Suleimannum Baſſam Albaniæ, unde præſertim ſperarent obſeſſi opem, cum robore copiarum nuper profectum in Pannoniam. Ab ſe, ne qua ſuſpicio ejus rei oriretur, hinc Marcellum præfectum Aſcrivii, hinc equitem Burovichium cum Illyriorum numero haud parvo miſſos ad Chulmiæ populandos fines. Utrobique manipulos Turcarum cæſos, & caſtella aliquot capta: itaque regionem magno in tumultu eſſe, & undique circum animos illuc converſos. Si occaſione utendum putarent, militum aliquid confeſtim decernerent, pecuniamque, & commeatum; Aloyſium autem Priolum, cum iis quas habebat navibus, juberent Caſtrum Novum quamprimum petere, ut ei imperaret quæ uſui eſſent.* Spes objiciebatur non vana: pertinere etiam ad dignitatem armorum cenſebant, cæteris terra jam tutis, Adriaticum quoque ſinum pacare, prœdonum receptaculo exciſo. Quamobrem permiſſum Delphino ut Olcinium aggrederetur: data, quæ petebat, auxilia: juſſuſque Priolus Caſtrum Novum contendere; addita ei navi una maximæ formæ, milite rebuſque neceſſariis omnibus inſtructa. Delphinus aliis ſe atque aliis intentum ſimulans, ut tegeret incœptum, poſtquam octo ferme millia armatorum collecta audivit ad Caſtrum Novum, quo conventum indixerat, eodem celeriter tranſit; conſcenſiſ-

Delphinus ſpectat Olcinium.

Conſulit ſenatum:

qui annuit.

ſcenſiſque navibus, VI Id. Sext. proficiſcitur Olcinium. 1656. Satis creditur, ſi obſideri ex nec opinato urbs cœpta eſſet, labore non magno redigi in ditionem potuiſse. Veruntamen obſtitere Epidaurii. Ab odio in Venetum, *Epidaurii præmonent Olciniatas.* cujus augeri opes in finibus ſuis ægre ferebant; quoſvis motus ejus ſemper obſervantes, octo ante dies quam illuc perveniret claſſis, nuncio in celocem impoſito, præmonuerunt. Et jam contraxerant Turcæ intra muros commeatuum aliquantum: paſſim etiam dimiſerant ad accerſenda hominum ſubſidia. Quare Delphinus inſeſſum ſaltum, qua ſuccedere ad urbem conſtituerat, conſpicatus, Olcinium prætervehitur claſſe; ut regione alia, quæ ad meridiem vergit, quatuor ab oppido millia paſſuum, applicaret littori naves, militemque exponeret. Inde non longe abſunt colles; quos regreſſi citius ab ſaltu Turcæ occupaverunt. Ad mille erant. Hos, dum copiæ in terram egrediuntur, terrendos abigendoſque ratus, navigia mittit aliquot cum militibus Illyriis, qui in quodam littorum flexu procul a conſpectu deſcendentes, ab tergo adorirentur. Quanquam ardua ibi ſunt, & difficilia ad aſcenſum loca; tamen brevi circuitu cum ſtrenue in jugum illi evaſiſſent, fuderunt primo impetu barbaros: fuſos per vias inviaque perſecuti, triginta eorum interfecerunt, paulo plures vivos cepere. Tum omnis exercitus *Exſcenſio Venetorum.* ad Olcinium procedit. Tumulos primum in proximo inſident: poſtea vicum incendunt, qui frequentius prope quam oppidum habitabatur: deinde naviter rem agente Alexandro Vimes legato, cui injunctum munus fuerat oppugnationis apparandæ, ſex ſimul partibus admoveri opera verberarique muri tormentis cœpti. Olciniatas, ferum genus, cum ſpes inexuperabilis munimenti reddebat ferociores; tum ſibi conſcios, quandiu *Olcinium oppugnatur.* quamque inimici in Venetum inſultaſſent, deſperatio veniæ ad repugnandum acrius incitabat. Erat quoque cur præcipuo quodam modo infenſum ſibi hoſtem magis metuerent. Meminerant, exutum ibi armis cæſumque

olim

Digitized by Google

1696. olim ab Turcis contra pacta deditionis præſidium Venetum: itaque nihilo mitiorem fore tunc in ſe eum victorem putabant pro haud dubio. Quocirca ad omnia parati atque expediti, non die non nocte ceſſabant ab opere; obſtruentes impigre, ut quid munimentorum rueret, variique generis tela, qua oppugnantes accedere conabantur propius, undique ingerentes. Sed nullæ vires æque, ac mœnia ipſa defendebant ſe ſe, prææltæ rupi abſciſſæque impoſita: &, ſicubi minus difficilem aditum hæc præberet, murus tutabatur ab lato admodum fundo in ſexaginta pedum altitudinem editus: arx quoque impendebat faſtigio rupis applicata verſo in ſeptentriones, quæ munitionibus ſuis fere contingeret murum. Præterquam hæc faciebant oppugnationem ſegniorem; ea etiam cura ſollicitabat Delphinum, ne Scodrenſis Baſſa atque Omerus Suleimanni filius, quos auxilium Olciniatis pollicitos compererat ex captivis, ſpatium interea haberent ad cogendum militem & opem iis ferendam. Ac, ut magnum ardorem hortando obeundoque injiceret ſuis, eſſe tamen opera in effectu haud potuere prius quam Turcæ ſoluturi obſidionem advenirent. Primo quidem plus mille armatorum poſt tumulos conſederant tecti ſylvis; occaſionem penetrandi in oppidum, ſi quam negligentia hoſtis dediſſet, quærentes. Hos emiſſæ caſtris cohortes tres ductu Burovichii e veſtigio cum fugaſſent; biduo poſt numerus major haud paulo, amplius quatuor millia peditum, equites ſexcenti in vicinis collibus conſpecti ſunt. Et bipartito agmine protinus decurrerunt, duabus ſimul partibus munitiones invaſuri. Pro vallo excepere venientes hinc Burovichius & Lucichus, hinc Simonichius & Racettinus tribuni Illyriorum, centuriis aliquot adjectis Italici generis. Eodem feſtinabat Delphinus cum ala equitum Epirotarum. Veruntamen præter opinionem tentatum magis ab Turcis, quam initum certamen. Ut namque impreſſionem etiam ſenſere ex adverſo factam, non ſecus quam ſi in inſi-

Reſiſtunt acriter Incolæ.

Auxilio veniunt Turcæ.

Venetos adoriuntur.

dias

dias incidiſſent, turbati in fugam effunduntur. Illyrio- *1696.*
rum deſiderati tres & viginti, ictuſque vulnere gravi *Repelluntur.*
eques Andreas Butcovichius. Addidit res ea animos Ve- *Validius*
neto. Itaque Olciniatas oppugnatio aliquanto, quam *oppugnat Delphinus.*
ante, acrior adorta eſt. Atque paucos intra dies, ſuper-
quamquod conjecti globi igniferi ingentem intus ſtra-
gem fecerant tectorum; decuſſa quoque eſt pars muri
ad ima arcis, itemque pars alia portæ proxima ad occi-
dentem, qua præfectus Aſcrivii præerat Marcellus. Non-
dum quidem ſic aperuerat ruina oppidum, ut, ſi dare-
tur impetus, tranſcendendi multum ſpei eſſet. Attamen
profeſſi Illyriorum duces, ſe cum delectis ſuorum, ſi
fieret poteſtas, parte altera irrupturos; hoc facilius ab
Delphino impetrarunt, quod per idem tempus affereba-
tur, magnum numerum Turcarum circa Scodram colli-
gi, ſtatuiſſeque Baſſam ipſum properare in auxilium.
Optimum viſum ad diſtringendos oppidanos duobus
locis copias admovere. Subituri erant Illyrii, qua urbs
fere ad occidentem vergit: partem aliam, quæ pertinet
ad arcem, aggredi placuit centurias aliquot Italorum mi-
litum, qui viderentur ex toto exercitu agilitate corpo-
rum, armorumque habitu ad conſcendendum aptiores.
Qui primi cepiſſent murum, iis præmia proponit Del-
phinus: cohorteſque plures paratas eſſe jubet, ut, ſi lon-
gior foret pugna, feſſos ſuſtentarent. Dato ſigno, iis ani- *Impreſſio*
mis utrinque ad mœnia acceſſere, nulla ut vi reſiſti vi- *tentatur frustra.*
deretur poſſe. Poſtquam ad ardua ventum eſt; repente
ſic obtorpuerunt metu, vix ut quiſquam ſcandere au-
deret. Multitudo oppidanorum jam repleverant muros;
fœminæ quoque ac pueri tela ſaxaque viris miniſtrantes
aderant. Itaque ergo Illyrii paucorum territi cæde, nul-
lo conatu ſumpto, receſſerunt ſtatim. Regione altera
milites novem ſtrenue connixi evaſerant in ſummum.
At quando nemo deinde ſequebatur; priuſquam telis ob-
ruerentur undique incidentibus, vix ægreque in tutum
receperunt ſe ſe. Duo eorum tamen aggerem auſi tran-

 ſilire,

1696. ſilire, quem poſt diruium murum objecerant obſeſſi, penetrarunt in oppidum; ibique pugnantes ad ultimum occubuerunt. Delphinus, quoniam vis aperta non proceſſerat, eo rurſum vertit conſilia, ut operibus mœnia oppugnaret. Angulus erat muri, non procul ab arce; quem ſi dejeciſſet, ſpem fecerat Joannes Erbeyus, bellicarum machinarum peritia habitus inter primos, ea certamine haud magno capi urbem poſſe. Et paucos ante dies negotium huic dederat, ut cuniculo curaret ſubruendum. Ergo nuſquam alibi oppugnatione intermiſſa, inſtare maxime operi Erbeyus tunc juſſus: quod dum perficitur, Turcarum millia aliquot, Omero duce, bipartito, ut antea, ſe in munitiones caſtrorum intulere. Id quoque incœptum conatu fuit, quam effectu gravius. Primum nanque impetum ſuſtinentes Illyrii, paulo poſt non referre ſolum coegerunt pedem; ſed etiam auſi egredi iurbaios effuſoſque, multis occiſis, aliquandiu inſecuti ſunt. Jam, muro perfoſſo, ad exitum venerat cuniculus. Nihil tum Delphinus cunctatus, Scodræ enim Baſſam cum duodecim ferme millibus militum Barbanam amnem tranſgreſſum, appropinquare nunciabatur; ſuccendi cuniculum jubet. Ac murus quidem fragore ingenti diſſiluit: cæterum locus etiam ante præceps, recenti lapidum lapſu in altitudinem abruptus tantam erat, ut, vel nullo prohibente, haudquaquam facilis aſcenſus eſſet. Ea urbis denuo aggrediendæ injecta mora. Dum autem, advectis eodem balliſtis aliis, fit per muri ruinam via: viſa procul in collibus ſigna Turcarum, ad curam certaminis, quod impendebat, animos convertetur. Baſſa tantiſper ſubſiſtens, dum formam ſpecularetur caſtrorum; trifariam diviſis copiis, partibus ab tribus vallum adoritur. Tempore uno clamorem oppidani tollunt, & miſſilium grandine abſterrere eos, qui in operibus ſtationibuſque erant, conantur. Nihil horum inopinatum accidebat Venetis: propterea nuſquam quicquam turbatum. Interim qui vallum tuebantur, impavide

Cuniculus agitur.

Scodrenſis Baſſa vallū aggreditur.

vide repugnare: atque, ut quiſque locus maxime premeretur, ita illuc celerrime Delphinus ſubmittere auxilia. Anceps aliquandiu contentio fuit. Venerant poſtremo Veneti prope periculum. Qua nanque præerat Baſſa, inſilierant repente Turcæ, ac pene uſque ad intima penetrarant; ut, terrore incuſſo, cædes magis eſſet, quam prœlium. Quod ut animadvertit Erbeyus, cum glandium igniferarum jaculatoribus ducentis illuc confeſtim advolans, impetum paulum repreſſit. Continuo increpando, qui omiſerant certamen, cum rurſus incitaſſet; brevi non reſtituit modo pugnam, ſed etiam princeps ipſe inſtando atque urgendo, hoſtem munitionibus expulit. Præbuerat id tumultum circa non exiguum; ut & alibi oppugnarent jam ſegnius Turcæ. Ac rei gerendæ tempus veniſſe ratus Delphinus, omnibus ſimul portis militem emittit. Nihil minus metuerant, quam ne Venetus ſe vallo erumperet. Igitur ſubito pavore conſternati, labore haud magno pelluntur. Cedentibus victores inſtant: &, ut in locis aſperis difficili fuga, multos etiam obtruncant. Iniri numerus interfectorum nequiit. Satis tamen conſtat, inter anfractus collium non parvam factam cædem: atque cum duces alii, tum Baſſa ipſe cecidit: nonnulli etiam vivi capti, ac ſigna duodecim adempta. Ibi Delphinus capita occiſorum lanceis infixa, ſignaque eorum oſtendit obſeſſis: captivum quoque unum aut alterum ire voluit in urbem, & exponere quæ acta eſſent; ſi forte poſſet pertinaciam frangere. Sed nihil hæc moverunt jam abalienatos a ſenſu malorum. Mori obſtinarant potius, quam venire in hoſtis poteſtatem, a quo pœnas ex ſe, non victoriam peti magis magiſque crederent. Tum vero anceps cura Delphinum agitare. Nam ſi ſternere latius muros, minuereque abrupta ruinarum vellet, res egebat mora: interea proximo ſydere æquinoctii, quod mari eo velut ſtatum tempus ventis Auſtris eſſet, minime tutam ſtationem navium videbat fore littore importuoſo. Ergo quando ſpes una ſu-

1696.

Certamen anceps.

Erumpitur a Venetis.

Fugantur Turcæ.

Pertinacia obſeſſorum.

1696. pererat in celeri expugnatione, adoriri oppidum totis viribus ſtatuit. Tribunorum ac centurionum robora deligit, attribuitque promptiſſimum quemque militum, qui primi niterentur inſcendere; cohortibus aliis ita diſpoſitis, ut, ubi uſus eſſet, ordine ſuccederent ad pugnam. Ut autem vano timore obſeſſos ab certo periculo averteret; & ab terra pluribus partibus ſimulat impreſſionem, & maritimam oppugnationem oſtentat. Veruntamen, omnibus quæ conſilio ducis provideri poſſent, paratis inſtructiſque: defuit militibus ad invadendum animus. Cum oppidani ultima deſperatione ac rabie furentes, tum loci iniquitas atque altitudo ruinæ terrebant. Itaque, cuncta in majus fingente metu, quod vulgo occupaſſet mentes opinio, rem fruſtra tentari; ubi ſignum aggrediendi datum eſt, tum primi incompoſiti ſubierunt, tum alii, nequicquam ducibus extimulantibus ut adderent gradum, ſegniter ſequebantur. Creſcere inde barbaris fiducia: ipſi vero moliri aſcenſum labore irrito: interim non pauci tranſverberari telis, aut devolutis ſaxis opprimi. Id ubi vidit Delphinus; ne plures caſſe abſumerentur, maturavit receptui canere. Continuo habitum concilium. Et nemo unus erat quin cenſeret omittendum protinus incœptum. Nam, poſtquam aditus in præſens non dabatur ad perrumpendum; ſi expectarent jam inſtantes autumnales motus, apparebat magnum in diſcrimen claſſem adduci. Quocirca, oppugnatione relicta, parant profectionem. Placuit, prius tormenta inſtrumentumque aliud bellicum imponi in naves; poſtea militem ſub ſignis conſcendere: ac utrumque ſine tumultu aut inſectatione hoſtium perfecerunt. Ita, re infecta, diſceſſum Olcinio eſt. Viſa nihilominus gens ſcelerata dediſſe pœnas non leves, oppido cremato ac diruto, regione circa ferro & igni pervaſtata, plurimiſque eorum interfectis. Reverſus in provinciam Delphinus, omnia ibi pacata invenit. Ad Citclutum modo paulum fuerat trepidatum; ex improviſo ire ad oppugnan-

Vi atque armis oppidum adoriuntur Veneti.

Fruſtra.

Cauſæ omittendæ oppugnationis.

Abeunt.

Citclutum nequicquã tentatur a Turcis.

gnandum auſo Baſſa Chulmienſi: quem tamen Georgius Barbarus, arcis præfectus, multorum cum cæde a muris ſubmotum redire in fines mox coegit. Nihil ultra hoc anno actum in Illyrico & in Græcia. In Pannonia ſtetit per Turcam, ne ad univerſam dimicationem veniretur. Millia armatorum ſupra quinquaginta principio æſtatis convenerant ad Petro-Varadinum. Iidem præerant qui præterito anno, Federicus Auguſtus & Caprara. Viennæ anceps tenuerat deliberatio, Taurunumne, an Temeſvariam aggrederentur. Facta ad extremum Capraræ poteſtate, ageret quod eſſe duceret e re; maluit hic Temeſvariam tentare: quam ſi cepiſſet, liberum ſe ad Pannoniam Superiorem quod attineret cura, nam ſita urbs eſt opportune ad regionem tranſdanubianam tuendam, facilius Tauruno potiturum pro certo habebat. Quare Guido Starembergio cum decem millibus militum relicto ad præſidium Petro-Varadini, Iſtrum tranſmittens, ducit Segedunum; ubi Tibiſco flumine ſuperato, præter ripam Maruſii ad Genadium procedit. Inde Federicus Auguſtus cum parte equitatus prægreditur ad Temeſvariam, ut noſceret ſitum ejus. Appropinquanti millia aliquot Turcarum a præfecto urbis emiſſa occurrerunt: quibus levi pugna repulſis; poſtquam loca circa, formamque munitionum eſt contemplatus, rediens in caſtra, quæ ad oppugnandum uſui ſunt, expediri jubet. Interea non procul Tauruno cogebatur hoſtium exercitus: ad octoginta millia hominum erant; in his tamen rudes partem magnam, tumultuario delectu in Dacia, Moeſia, Thraciaque conſcripti, quod vix quidquam exercitati militis ex Aſia ob res ſeditione turbatas comparari potuiſſet. Modico ſucceſſu prioris anni inflatus Muſtapha bellum gerere decreverat ductu itidem ſuo; nequicquam diſſuadentibus Viſiriis & Baſſis propter ærarii inopiam ſumptuſque ingentes, quos regis profectio poſtularet. Et vi pecuniæ cito confecta ex occupatis prædivitum multorum bonis, mature ſatis movit Hadrianopo-

1696.

Res Pannoniæ.

Capraræ cogitat Temeſvariā.

Fed. Auguſtus Temeſvariam procedit.

Exercitus Turcarum ad Taurunum; quo venit rex.

Digitized by Google

1696. nopoli. Ubi allatum eſt, Nyſſam eum perveniſſe, atque illinc Taurunum contendere, ut Iſtrum trajiceret; miſerat nanque præfectus Temeſvariæ, qui admonerent inſtare obſidionem: dubium nullum fuit ducibus Germanorum quin, dilata in aliud tempus oppugnatione Temeſvariæ, cum hoſte ſignis collatis decertarent. Virtuti fidebant veteranorum militum, quos inconditæ multitudini Turcarum objicerent; ubi hos deviciſſent juſto prœlio, per otium Temeſvariam Taurunumve expugnaturi. Cæterum magis placebat id fieri, quam quomodo fieret, expediebant. Uno enim tempore conſtrui pontes plures audiebant non in Iſtro ſolum, ſed etiam in Savo: ut, quam partem petiturus hoſtis foret, quaque ipſi potiſſimum exciperent, ignorarent. Viſum ad ultimum, quod ſatis eſſet in ſpeciem famamque oppugnationis, Temeſvariam circumſideri: venturum haud dubie regem ad ferendam opem: eam autem ſibi acie decernendi occaſionem futuram. Itaque Starembergio & Rabutino cum iis quas habebant copiis, ab Petro-Varadino & Tranſylvania accitis, millibuſque ſex militum ad Truchſem legatum miſſis, quibus regionem cuſtodiret circa Tibiſcum: mota ab Genadio caſtra, feſtinatumque Temeſvariam eſt. III. Non. Sext. operibus ac tormentis oppugnare adoriuntur. Simul vero eſt nunciatum, hoſtem Iſtrum tranſiiſſe; omiſſo incœpto, agmine ad pugnam compoſito obviam eunt. Erat regi in animo ſtationes Germanorum ad Tibiſcum ſubito adventu opprimere. Ubi itinera nuſquam non obſepta, paratoſque in anguſtiis ad prohibendum armatos animadvertit; loco idoneo ad muniendum inter Tibiſcum flumen & Beczkereck, ſic appellant, lacum, caſtra poſuit. Non inde procul aberat tumulus editus. Circa eum tumulum leve ſtatim contrahitur certamen. Ut enim appropinquare Germanos vidit, cohorteſque aliquot captum tumulum tormentis inſtruere; equitatus partem ire protinus ad deturbandos juſſit. Sed præterquam aſcenſus nequa-

Germani Temeſvariã tentant.

Omiſſo incœpto, obviam eunt hoſti, ad Tibiſcum.

Ad proximum tumulum contrahitur prœlium.

quaquam erat facilis, quod acriter defendebant qui oc- *1696.*
cuparant; reliquus etiam exercitus Germanorum ſubſidio mox venit. Tum ab tumulo oppugnando in eos converſi Turcæ, cornu dextrum aggrediuntur. Semel repulſi, iterum ac tertio inſtaurant impetum. Poſtquam demoveri gradu non poterat Germanus, ipſi magno numero transfigebantur; in caſtra redierunt. Tenuerat ſe interea munimentis rex, ſententia certa, univerſo periculo ſummam rem non committere. Caprara, quia audax nimis conſilium videbatur, eum adoriri intra ſepta, neque ſperabat ſponte egreſſurum; caſtra illinc refert millia tria paſſuum, ſi forte poſſet elicere ad dimicationem æquam. Ac ſectatus quidem Turca eſt; ita tamen ut, propere vallo circumdato, nuſquam opportunus invaſuris eſſet. Eadem arte cum ſæpius receſſiſſent Germani, ille ſemper eluderet; tandem, conſtitutis ſignis, exonerari cœpta ſunt tormenta in munientem. Itidem tormentis valide repugnatum ab hoſte: neque ante quieverunt, quam finem jaculandi nox attulit. Abire tunc longius Caprara; ratus ita denique rem ſolutiorem apud barbaros fore. Quod tamen evenit aliter. Occaſione nanque uſus rex, citato agmine declinans in dexteram, locum multo tutiorem caſtris occupavit. Palus a fronte, ab tergo amnis Begh nomine, latus utrunque ſylvæ muniebant. Id ubi cognovit Caprara; ſecutus ſine mora, tria millia peditum, levis armaturæ equites bis mille ductu Heuſteri legati intrare jubet ſylvam, indeque plumbeis glandibus latus alterum inceſſere. Ita uti imperaverat, factum: quando autem Turcarum cadebant plurimi, non ultra diſtulit rex delectas turmas equitum emittere, quæ modico circuitu adorirentur ab tergo. Et primo ſatis ſuccedebat inceptum: parumque aberat quin Germani circumventi cæderentur. Deinde cum auxilium tuliſſet ala equitum, inſtauratur pugna; qua utrinque creſcente ſubſidiis, anceps variuſque mars belli erat. Rem inclinatam ſemel ſuſtinuit legatus Heiſlerus; qua maxime tur-

Turcæ in caſtra recipiunt ſe.

Conatur Caprara eos elicere ad certamen.

Pugnam committit:

primo premuntur Germani.

1696. turbata ſigna & fluctuantem aciem animadvertit ſuorum, mille peditibus audacter in hoſtem inductis. Ut ſaucium eum exanimemque efferri ex aeie viderunt milites, terror tantus cepit, ut vix ſervarent ordinem. Per Rabutinum recenti cum equite illuc raptim invectum, denuo reſtituitur certamen; quod extractum ambiguo eventu in multum diei. Ad extremum gravius connixus Turca haud dubie pellebat Germanos: cum repente equites, queis Caprara etiam ut tribunus imperabat, effuſiſſimis habenis in latus incurrunt. Et ordines primo prope impetu perfregerunt. Ruentes mox in aciem mediam, perculſos paſſim ſternebant; ut non ultra dimicandi cauſa reſiſtere auſi barbari, qua poterat quiſque, fugam in caſtra per diverſa peterent. Deſerta etiam inter tumultum illum forent caſtra, ni rex cernens pavorem ſuorum edixiſſet centurionibus, ut ſi quem vidiſſent terga dantem, extemplo occiderent. Amplius mille equites, ab agmine fugientium intercluſi, in medio cæſi ſunt. Baſſa ſimul, qui hos regebat, vivus venit in poteſtatem: cui cladem æſtimanti ſi fides ſit, millia militum non minus octo Turcæ amiſerunt. Germanorum ad millia quatuor deſiderati, inter quos Heislerus, Heidersheimius, & Polandus legati: vulnerati millia plus duo; in his Princeps Valdemontius. Secundum eam pugnam unum agere rex Turcarum, ut aggere ac foſſa, arboribus etiam congeſtis caſtra magis permuniret. Poſtquam Germani biduum ibi morati, quia neque ſperabant certamen propinquum, neque facere, cum ab hoſte ceſſaretur, poterant, Genadium redierunt: Temeſvariam venit, ſpeciem præferens magnæ victoriæ, quod cripuiſſet oppidum ex obſidione. Haud ita multo poſt Taurunum, inde Hadrianopolin revertitur. Eadem æſtate in Croatia ductu auſpiciove Battiani præfecti, arces duæ, non magno admodum ab Vana flumine intervallo, Uranogrod & Tudorovv, aliaque obſcuri nominis caſtella vi atque armis expugnata. Cæterum, unde minime expectabatur,

Deinde vincunt.

Rex Turcarum caſtra permunit.

Redit Hadrianopolin.

1696.

Moſchorum rex Tanaim oppugnare ſtatuit.

tur, a Petro rege Moſchorum vulnus ingens Turcis inflictum. Deceſſerat Joannes frater ejus natu major, qui cum aliquot annos regnarat: atque, ut ipſe natura animoſior erat promptiorque ad belli opera, huc intenderat curam, ut conſtitueret militarem diſciplinam; terroremque, quem hactenus oſtenderat modo hoſtibus, tum denique verum inferret. Ex omnibus copiis collecto robore, ſexaginta millibus armatorum, ducibus autem ac machinatoribus maxime ex Germania accitis mercede: ubi primum pabuli copia in agris fuit, proficiſcitur ad urbem Tanaim oppugnandam. Modicum cuſtodiebat præſidium, Turcarum millia tria: militibus, quos Muſtapha rex, haud ignarus quid hoſtis moliretur, per hyemem ac veris principio terra marique illuc miſerat cum bellico inſtrumento, partim dilapſis, quod pecunia in ſtipendium defecerat, partim ab Coſaccis, qui biremium claſſe percurſabant Euxino Ponto, captis disjectiſve. Noviſſime claſſis triginta navium cum vario genere auxiliorum Conſtantinopoli adventabat; magna ſpe deleri navales Coſaccorum copias, ſubvenirique urbi, priuſquam obſideretur, poſſe. Sed ea quoque evanuit ſpes. Nam & Coſacci agilitate adjuti navigiorum, locorumque peritiſſimi eluſerunt, identidem laceſſentes ac recipientes ſe ſe in vada, quæ graviores Turcarum naves non perferrent: & a Moſchis objecta claſſis in oſtio Tanais, ne qua navis invecta freto Paludem Mœotidem, flumen porro ſubiret, prohibuit. Rex interea exercitu infeſto fines ingreſſus hoſtium, commiſſis prœliis duobus, altero Tartaros ducem ſecutos Noradinum, altero vim magnam Turcarum ab Caphæ Baſſa in Taurica Cherſoneſo coactorum ſuperarat. Tum omni belli terrore undique admoto, Tanaim adoritur oppugnare. Reſtitit præſidium magis quam pro numero: ad erumpendum etiam animus fuit non ſemel. Poſteaquam muri multis prociderant locis, jamque propugnaculum unum invadens Moſchus ceperat gravi cum cæde; ut paulo plus tertia pars

Coſacci prohibent auxilia Turcarum.

Moſchi prœlio uno atque altero victores.

Tanaim adoriuntur.

1696. militum intus ſupereſſet, iique ipſi muniendo ac pugnando feſſi non ſufficerent: pacti ut dimitterentur incolumes, urbem dediderunt. Rex, deſtinato milite ad cuſtodiam, reficiendique muros cura præfectis delegata; dum recens eſſet pavor, ad urbem aliam, ſitu ac munimento validam, oppugnandam ducit. Luctichum vocant: poſita eſt ſuper ripam Tanais minoris. Ac breviore etiam, quam putarat, certamine eſt potitus. Nam quanquam Tartari denuo conſurrexerant ad bellum: attamen veriti incluſi ne per Coſaccos, qui aditus inſederant viarum, ferre auxilium in tempore non poſſent; cum primum modo impetum ſuſtinuiſſent, aperuerunt portas regi. Per dies eoſdem, ſecunda hæc aliis augente fortuna, Coſacci cum Tartaris acie congreſſi, fuderunt eos; cædenteſque fugientium terga adeo pertinaciter inſecuti ſunt, ut ex ingenti multitudine evaſerit vix dimidium. Ita rex, ubique victor, magna cum gloria Moſcuam rediit. Et cum alibi paſſim fama claruit armorum, tum Cæſaris & Venetorum animos in ſe convertit. Miſerat hyemis extremo Coſmum Nikitium legatum ſuum Viennam, qui Cæſari aperiret, *propoſitum ſibi eſſe terreſtri ac navali bello Turcas adoriri*; peteretque, *ut ſe reciperet in communionem fœderis, quod jampridem iciſſet cum Venetis & Polonis*. Non multo poſt idem rogarat per literas Senatum Venetum. Apparebat quidem, fore momentum haudquaquam leve ad premendum hoſtem, ſi Moſchus viribus recte uſus, vera virtute conniteretur. Sed, quod ad id locorum nihil fere præter inanes tumultus conciſſet, ſtatuerant in præſens ſpem ejus alere: ut, ſi expeditio, quam coquebat, ſucceſſiſſet ex ſententia, tum denique adſcriberent in ſocietatem. Allatis nunciis cœpti tam proſperis initiis belli, ſimulque per literas ad Cæſarem & Venetos iterum petente rege: non ultra dilata res eſt. Hoc duntaxat interceſſit moræ, quod, quamvis decem ante annis fœdus initum eſſet inter Moſchos & Polonos, non viſum tamen cum Moſchis paciſci, Polonis

Urbem accipiunt in deditionem.

Luctichum capiunt.

Coſacci Tartaros fundunt.

Legatio Moſchorum Viennam de fœdere.

lonis inconſultis. Cum autem in concilio legatorum, 1696. cui Carolus Ruzinus Venetorum intererat nomine, de condicionibus deinde ageretur: in eo, quod proponebat Moſchus, *ut fœdus fieret in ſeptem annos, liberum tamen interea cuique ut eſſet pacem cum Turcis facere;* Germanus & Venetus neutiquam aſſenſi ſunt. *Quid enim attinere jungi fœdera, inter illos, quorum unumquemque, cum libuerit, oblata utilitate privata aliqua, ab cæteris ſit hoſtis abſtracturus?* Ergo Moſcho concedente, conſcriptæ ſunt leges: *ut inter Cæſarem, Venetos, & Moſchum ſocietas eſſet in tres annos: ut pergerent pro ſe quiſque bello Turcas urgere; ejuſque adminiſtrandi conſilia inter ſe communicarent: cum opus foret, ut invicem ferrent opem paratam: ne fas eſſet quidquam tranſigere cum Turcis, niſi de ſententia communi ſociorum: ratum firmumque fœdus uti maneret, quod inter Cæſarem, Polonum, & Venetum, quodque Polonum inter & Moſchum jam intercederet.* Eodem fere tempore, quo hæc Viennæ agebantur, Petrus rex ſcriptis ad Senatum Venetum literis magnopere contendit, ut ad ſe quamprimum mitteret navales fabros tredecim. *Rudes ferme ad maritima bella Moſchos eſſe. Quia hoſtem habeant navalibus fidentem copiis, ei ſe æquari robore virium cupere. Comparandam eſſe claſſem, qua parta tueri, & extendere deinceps ad alia ſpem poſſent. Et ad id multitudine ſylvarum regiones, quæ circa Euxinum Pontum ſint, abundare: ſed ipſos ædificandi naves inſtruendique ignorare artem. Adhibitis nuper ex Dania, Britannia, & Belgio opificibus, navigia aliquot conſtructa, hiſque ſe in Tanais obſidione uſum. Peritiores artifices nuſquam alibi eſſe, quam Venetiis, ſcire ſe ſe. In eo juvare ſociam gentem inducentes patres animum, rem facturos cum pergratam ſibi, tum quam communis utilitas penſatura abunde foret.* Haud gravate datum eſt: itaque profecti fabri tredecim. Hi intra tres annos, novem triremes, majoris formæ naves quatuordecim, & quadraginta navigia minora ædificarunt in Roxolanis, decem millia paſſuum ab flumine Tanai; in quod nivibus liqueſcentibus delata, mox curſu ſecundo in

quod fit cũ Cæſare & Venetis in certas leges.

Moſchorum rex petit a Venetis fabros navales;

qui mittuntur.

1696. in Paludem Mœotidem deducta ſunt. Rex, valde probata opera eorum, cum præmiis domum, ut convenerat, remiſit. Moritur hoc anno Joannes III Poloniæ rex, mœrore magno non Polonorum modo, ſed etiam Chriſtianorum populorum omnium. Fuit enim miranda virtute, perque ſæcula cuncta celebrandus meritis in rem Chriſtianam. Natus patre Jacobo Sobieſcho, arcis Cracovienſis præfecto, uni ſibi debuit incrementa ſua. Ob ſingulare ſtudium, præſtantiamque militaris ſcientiæ, brevi potitus honoribus præcipuis eſt. Mareſchallus creatus, inde præfectus ſummus copiarum regni, Coſaccos, qui in Ucrania rebellaverant, fudit, ex iiſque oppida atque arces ad ſexaginta recepit: Palatinatu Braklaviæ, & Inferiore Podolia, fœda cum cæde expulit Tartaros: Turcas ſemel in Ruſſia Nigra, iterum in Moldaviæ finibus ad Tyram fluvium, continuato per triduum certamine, devicit. Haud ita multo poſt maximo conſenſu gentis defertur ei regnum. Rex periclitantem Chriſtianorum libertatem ſuſtinuit; Turcis immani multitudine copiarum Viennam Auſtriæ alterum menſem oppugnantibus, jam jamque irrupturis, prœlio in paucis memorando fuſis cæſiſque. Ne porro, quo ſpiritus incitabant ingentes, factis aliis hæc cumularet, Poloni obſtitere ipſi, pertinaciter diſſidentes inter ſe. Juſtus, liberalis, munificus, acer conſilio, manu ſtrenuus: nullo labore aut vinci animus, aut corpus, prægrave licet, fatigari. Qui dignitate, idem exemplo ad ardua capeſſenda anteibat: primus committebat prœlium; eo confecto, ultimus redibat. Ad gloriam bellicam acceſſerant ornamenta alia ingenii: nam & linguarum multarum peritus erat, & optimarum diſciplinarum ſolers cultor: quibus ut erudiretur, veniens in Italiam adoleſcens, Gymnaſium Patavinum adierat per triennium. Eo fuit ſapientiæ amore, ut quidquid otii ſupereſſet ab negotiis ſive pacis ſive belli, hoc omne ſtudiis tribueret ingenuarum doctrinarum, artiumque. Præcipiti morbo correptus,

Mors Jo: Poloniæ regis.

Elogium ejus.

reptus, xv Kal. Quinct. obiit; altero & ſeptuageſimo *1696.*
anno ætatis; cum regnaſſet duos & viginti. Eodem an-
no præter ſpem redditur pax Italiæ, prænuncia pacis, *Pax in I-*
quæ paulo poſt per univerſam Europam bellum extin- *talia.*
xit. Deduxerat Catinatus, adulto jam vere, ex Alpi-
bus in Pedemontium exercitum validum, quinque &
triginta millia peditum, equitum millia plus decem: ca-
ſtraque fecerat primum ad Avilianam; poſtea inter Ri-
volium & Ripam Altam conſederat. Ut nihil inde ag-
grederetur, fieri vulgo putabant, quod Victorii & fœ-
deratorum copiæ circa Auguſtam Taurinorum haberent
ſtativa: neque enim tutum ei eſſe, parato hoſte ad mo-
tus omnes, quidquam tentare. Nonnulla tamen ſuberat
ſuſpicio, Viennæ præſertim, clandeſtino cum Gallis agi
de pace: quam ſuſpicionem enixe amoliebatur cum le-
gatus Victorii apud Cæſarem, tum Victorius ipſe, pro-
feſſus ad extremum, *citius ſe in caſtris illius vel inter gre-
garios militaturum, quam ut ab rege Galliæ leges acciperet.* Sed
brevi, quod res erat, diluxit. Catinatus nanque Augu- *Condiciones*
ſtam Taurinorum propius accedens mittit caduceatorem, *offert Gal-*
qui ſcriptas condiciones perferret: *redditurum Victorio regem,* *lus Victo-* *rio:*
*quæcunque bello ademiſſet, extra Nicæam & Villam Francam:
ſimul pax ubique conveniſſet, his quoque oppidis ceſſurum; in
eamque rem obſtricturum fidem apud Pontificem & Senatum Vene-
tum: interea facultas ut eſſet copiis regis eundi per Pedemon-
tium in Inſubres: ſi autem jungere cum illo arma contra Hiſpa-
nos Victorius vellet, partem Inſubriæ adjecturum imperio ejus:
ſin condicionem quamvis detrectaret,* præmonebat, *juſſum ſe
prioribus intacta cladibus ferro ignique evaſtare, atque Augu-
ſtam ipſam Taurinorum obſidere.* Abnuere primo haud per- *qui primo*
plexe Victorius, ſeu vere ſeu arte præparata ad fallen- *recuſat:*
dum. Poſtquam denuo venerat caduceator ab Catinato,
qui eadem vehementius urgeret: tum velut metu vi-
ctus polliceri, *acturum ſe cum Cæſare atque Hiſpaniæ rege,* *deinde aſ-*
ut uſque eo dum pacem facerent cum rege Galliæ, in Italia ab- *ſentitur.*
armis abſtineretur; ſimul poſtulare, *ut ſibi e veſtigio Nicæa* *Condiciones.*

& Vil-

Digitized by Google

1696. *& Villa Franca traderentur*. Facile aſſenſus Catinatus; ea lege tamen, *ut ne exinde Hiſpanis jus eſſet militem externum in provincia retinendi: ſin bellum praoptarent, ut ad eos cogendos Victorius cum Gallis vires conſociaret*. Continuo illud adjectum: *regem, everſis Pinarolii munitionibus, redditurum urbem cum agro: decreſſe etiam affinitatem ita jungere, ut Ludovicus Burgundiæ Dux, filius natu major Delphini, Mariam Adelaidem, filiam ejus majorem natu, uxorem duceret*. In has leges cum conſenſiſſent, obſidibus utrinque datis, Victorius, quæ pepigerat, ad Cæſarem perſcribit & Hiſpaniæ regem; ſimul magnopere rogat, ut in Italia bello finem imponant. Edicit inde, quadraginta dierum induciæ ut interim eſſent; exercituſque, nam id quoque cum Catinato compoſuerat, illinc ſtatim abducerentur; ut fœderati Carmaniolam, Pinarolium Galli peterent. Improbare ac repugnare omni ope Leganeſius, & Princeps Eugenius Sabaudiæ. Ubi Victorius, penes quem ſumma erat imperii militaris, perſeverabat in propoſito: fremere, *auſum, poſthabita ratione Cæſaris & regis Hiſpaniæ, abuti poteſtate, conſulentem unice utilitatibus ſuis*. Dux autem Gallovidius inſita ferocia coram etiam facere in eum contumelioſe, *hæreditarium*, arguendo, *ingenium leve mutandæ fidei*. Nec defuit, qui in militari concilio auctor eſſet denunciandæ fœderatorum iræ, Auguſtæque Taurinorum protinus oppugnandæ. Vicere tamen, qui cenſebant nihil temere movendum; integraque omnia ſervanda, donec Cæſaris atque Hiſpaniæ regis voluntatem acciperent. Viſum his perindignum, Victorium eo progreſſum, ut privato conſilio arbitrium ageret belli & pacis. Dolor atque indignatio ad coercendum extimulabat. Verum, quando via in præſens facilis non erat; conſtituit Cæſar, nullum literis reſponſum dare: nam, ut nihil aliud, mora certe injecta ne Catinatus vim admoveret, ſpem ſe interea tentaturum ſocii ab incœpto revocandi. Poſtquam legatus Sabaudus Viennæ condicionem quamlibet reſpuebat: placuit Mansfeldium ire in Ita-

Induciæ.

Repugnant fœderati Victorii.

Mittitur in Italiam Mansfel.

Italiam, & agere cum Victorio ipſo, *ut fœderis memor perſtaret in ſententia gerendi belli. Id quo validius gereretur, aucturum Cæſarem copias ſuas; utque idem faceret Hiſpaniæ rex, curaturum: annuam pecuniam, quam hic, Britannique, ac Belgæ pepigiſſent in bellum, depenſuros etiam bello confecto: non fore unquam Gallis, niſi Pinarolio reddito, pacem impetrabilem; in cujus reconciliandæ gratia, non alia quam ejus opera uſuros fœderatos. Si autem ſocialem fidem, quam uſque ad hanc diem magna cum gloria ſervaſſet, violaret; id illi non dedecori modo, ſed majori quoque, quam fortaſſe opinetur, damno futurum.* Eadem fere mandata ab Hiſpaniæ rege data Leganeſio. Dux ſimul Gallovidius juſſus etiam atque etiam monere, *nullo pacto placere Britannis, Belgiſque tam alieno tempore tranſigi de pace. Continuatum bellum cum utile in commune, tum ipſi profuturum haud mediocriter; quem augere decreſſent pro virtute proque meritis. Subſidia interim, ſi quibus egeret, large collaturos; atque ad ſummam pecuniæ, quæ tunc tribueretur, adjecturos libenter aliam.* Nihil hæc flexerunt Victorium, qui conſilia omnia jam deſtinata apud ſe haberet. Neque ibi ſolum, ſed etiam per legatos paſſim alibi, præſertim apud regem Hiſpaniæ acriter defendere, *ut a principio fuiſſent cauſæ ſuſcipiendi belli, ita tunc omittendi eſſe. Oppida duo, Caſale & Pinarolium, velut clauſtra Italiæ obtinentes Gallos metum attuliſſe ne, ubi data foret opportunitas, repente inducto exercitu, premerent provinciam obnoxiam. Eo & ipſum timentem terris, quas in Italia poſſideat, occupaſſe bellum movere: & ſe, qui propius periculum eſſet, quippe finitimus Galliæ, & duabus illis urbibus concluſus, in armorum veniſſe ſocietatem. Nunc Caſale capto, reddendique Pinarolii obligata ultro citroque fide, cum propediem nullum prorſus Gallorum exercitum habitura Italia eſſet, quid attinere trahi nihilominus bellum? Ejus ſe incommoda ſentire annum jam ſeptimum. Tot urbibus de ſe captis, agris pervaſtatis ac deuſtis, fidentem hoſtem viribus palam exitium minitari, paratum imperii caput Auguſtam oppugnare. Quid ſibi in his anguſtiis capiendum conſilii, fœderatos ipſos ſatis docuiſſe. Neque id*

1696.

dius ad Victorium;

qui conſtās in propoſito defendit captum cōſilium.

1696. *id militum miſſum, quod pacti eſſent; & pecuniæ, quam promiſiſſent, multum deberi. Quin etiam alieni ab ſe animi indicia non obſcura extitiſſe; inter cætera, quod cum Joſepho regi Romanorum jungi matrimonio filiam cuperet ſuam, averſatus Cæſar nuptias eas fuiſſet. His cultum ſe atque talibus, cum ne in Inſubres tranſmitterent Galli bellum, avertiſſet ipſe in ſe; cumque terras & urbes ſuas pro alienis ferro & igni populandas expugnandaſque quotidie objiceret. In præſens autem, quia inducere animum non poſſint finire aliquando in Gallos odia; ne bello abſiſtatur, vel cum periculo ne continuatum trahat reliquum fortunarum ſuarum in id diſcrimen, unde receptum nullum habeat ad pœnitendum, opponi fœderis religionem; & præmia oſtentari, quæ tunc demum daturi ſint, cum, maturis ubique ad pacem rebus, nulla jam indigeant opera ſua. Apparere, niſi dum liceret, dum occaſio eſſet, conſuleret ipſemet ſibi, quid in ultimis malis expectandum ab fœderatis, qui debita ex fœdere auxilia non præſtando, ſe in eam neceſſitatem compuliſſent.* Interea exeunte die induciarum, quando nihil apud Victorium, ſeu leniter agendo ac pollicendo, ſeu objurgando territandoque proficiebant Leganeſius & Mansfeldius: ne inter ipſos quidem conſtabat, quid tam arduo tempore agerent. Ægre Galli, ac tantum ne enixe contendentibus pernegarent, conceſſere ut proferrentur induciæ. Ubi neque tum ſatis expediebatur conſilium ullum; Catinatus vero, libera jam fide, moverat Pinarolio: cernens Leganeſius, Mediolanenſem provinciam peti; accitis Valentiam ducibus Hiſpanis, & Franciſco Moles, legato regis apud Venetos, conſultare, utrum continuaret bellum, an pacis condiciones acciperet. Deliberatio brevis erat. Nam præterquamquod nulla parte copiarum pares videbant ſe eſſe, neque urbes undique inſtructas habebant apparatu bellico; pecuniæ etiam inopia valde laborabatur. Metus inſuper haud ex vano ſolicitabat ne Victorius, hoſtis ex ſocio factus, vires ſuas conjungeret cum Gallis. Ergo cum univerſi abſtinendum bello cenſuiſſent; placuit tranſire actutum Viennam Fabri-

Induciæ proferuntur.

Concilium fœderatorum.

Digitized by Google

bricium Vicecomitem, qui quam difficili loco res eſſent, Cæſari oſtenderet: rogaretque, ut aut extemplo mitteret ad bellum auxilia, aut ſineret pacem componi. Nihil horum præteribat Catinatum. Et veritus ne, ſi prolatando daret ſpatium hoſtibus, novum aliquod conſilium enaſceretur, quod turbaret conventa; quantum accelerare poterat maturans, Valentiam procedit, ſtatimque operibus ac tormentis aggreditur oppugnare.

Catinatus oppugnat Valentiam.

Fecerat Cæſar paciſcendi facultatem Mansfeldio, ubi ventum ad extrema eſſet. Is tamen, quoad Victorius aperte ad hoſtes non deſciviſſet, minime deſperans poſſe in ſocietate retineri; incœpto Gallorum haud magnopere permovebatur. Poſtquam Victorius cærulea indutus veſte, liliis aureis interſtincta, quæ inſignia ſunt Borboniæ gentis, in caſtris hoſtium conſpectus eſt, dux nequaquam dubius Gallici exercitus: tum vero omni ſpe ſublata, non amplius diſtulit cum legato ejus de pace colloqui.

Victorius in caſtris Gallorum:

Papiæ congrediuntur. Rem diſtinebat, quod per Gallos aliter tranſigi nihil poterat, niſi exercitus uterque e veſtigio decederet Italia. Id Germanis atque Hiſpanis neutiquam erat facile; ut qui ob ſummam anguſtiam ærarii militaris nequirent abitum confeſtim inſtruere. At opera interim urgente Catinato, ut jam prope exitum oppugnatio eſſet; victus Mansfeldius periculo ſociæ urbis, condicionem non ultra recuſavit.

cum quo colloquitur Mansfeldius.

Viglebani, quo cum milite Hiſpano venerat Leganeſius, ut ſpe auxilii erigeret obſeſſos, Non. Octobr. paciſcuntur: *ut illico ab armis diſcederetur; &, copiis utrinque abductis, donec ubique pax fieret, inter Victorium Gallorum imperatorem, Cæſaremque & ſocios ejus, induciæ in Italia uti eſſent.*

Viglebani res componitur.

Ac Galli quidem provincia ſtatim exceſſerunt. Germani vero Hiſpanique duos ibi fere morati menſes ſunt, dum pecunia colligeretur ad profectionem. Hetruſcis, Parmenſibus, Mutinenſibus, Mantuanis, Genuenſibus, aliiſque populis imperata in id nummum aureorum millia trecenta; tertia pars præſens, reliquum menſium aliquot penſionibus. Cum

Galli abeunt:

1696. hi oneribus tributorum jamdiu preſſi, negarent ad tempus effici tantum pecuniæ poſſe, aliquid detractum eſt de ſumma. Pontifex quoque, quo minus gravis ſolutio eſſet, ultro de ſuo contulit nonnihil. *inde Germani.* Tandem menſe Decembri proficiſcuntur. Quod autem via difficilis pediti eſſet per Rhætos, qua ierat equitatus; legati Galliæ & Hiſpaniæ regum tranſitum in Germaniam per fines Venetos ab Senatu petentes impetrarunt. Hoc anno nihil actum in Belgio dignum memoratu. Numero & robore copiarum ferme pares Gulielmus rex & Villaregius, movendis crebro caſtris, atque urbium invicem comminandis oppugnationibus, nulla re tentata æſtatem extraxere. *Expeditio Jacobi regis in Scotia,* Magis animos in ſe converterat Jacobus rex, hyeme exeunte Caletum veniens. Statuerat valida claſſe tranſmittere ſubito in Scotiam. Sed cunctis nondum tempeſtivis ad expeditionem, conſilium cum emanaſſet; deinde venti adverſi, mox æſtus deceſſus, ne copiæ in naves imponerentur, diu prohibuiſſent: ſpatium fuerat Gulielmo ad defenſionem parandam. Miſſa extemplo in Scotiam quatuor millia militum; ad millia decem ex Belgio accita: juſſique maritimarum arcium præfecti, diſpoſitis per idonea loca præſidiis, ſuos ubique intendere ad cuſtodiæ curam. Eodem tempore Ruxelius claſſis ductor, ad præſentes vires adjecerat naves haud paucas, quæ alio deſtinatæ forte detinebantur tempeſtate: occuparatque invehi fretum, quod Britanniam interfluit Galliamque; ſtatim atque e portu moviſſent hoſtes, concurſurus. Apparatus vulgata fama primo, poſtea Britannorum naves contra Caleti littora, explicata in frontem *irrita.* acie, ſtantes Jacobum ab incœpto deterruerunt. Itaque re infecta Lutetiam revertitur. Haud temere ſpem conceperat ſecundi exitus. Nam ſuperquamquod decem lectorum militum millia, armaque viginti millibus inſtruendis, & vim ingentem bellici inſtrumenti ſecum *Conſpiratio in Auriacum.* ipſe habebat; magni quoque motus hominum faventium cauſæ ejus exorti erant Britannia tota. Conjurarant præ-

terea

terea inter ſe ad quinquaginta, ut, cum jam jamque 1656.
trajecturus ex Gallia diceretur, Gulielmum regem venantem interficerent. Nonnulli eorum, facto indicio, comprehenſi, adeo non inficiati ſunt meditata, ut etiam capite poſtmodo damnati, conſtanter defenderent: tum quoque, cum lege acturus accederet carnifex, impavide profeſſi, *ultro ſe tale petiiſſe decus, ut hominem occiderent, qui ſcelere infando Britanniæ regnum occupaſſet.* Permoleſtum accidit Jacobo regi; qui probus & integer metueret ne graſſatus ipſe hac videretur via, ut in Auriacum immitteret percuſſores. Ob id in colloquio cum Nicolao Eritio Venetorum legato commemorans, *quemadmodum rapuiſſet fortuna omnia ex oculis, eluſiſſetque conſilia ſua: æquo tamen animo id ferre ſe,* inquit: *ſcire enim factum æternæ mentis numine, quo cuncta ſumma & infima pariter, haud ſcrutanda mortalibus providentia, adminiſtrentur. Propoſitum habuiſſe, legitimo bello perſequi Auriacum, ut regnum, unde contra jus faſque pulſus ipſe fuiſſet, recuperaret. Id denique regium eſſe: neque ſe conatus ejus pœnitere. Quod vero Britanni aliquot vitæ illius nuper ſtruxiſſent inſidias; adhibere teſtes ſuperos homineſque, ſe nihil culpæ iſtiuſmodi affinem eſſe: poſtquam audierit, odiſſe facinus crudele; ſi reſciſcere ante potuiſſet, Auriaco fuiſſe prædicturum, ut caveret ſaluti ſuæ. Vehementer cupere, ea de re quamprimum perſcribi ad ſenatum.* Cum autem per hos dies ipſos Superantius & Venerius in Britanniam trajeciſſent gratulatum Auriaco regnum; adjecit: *cernere ſe, temporum cauſa legationem decretam. Quam propenſa erga ſe voluntate ſemper fuiſſet Veneta Civitas, ſatis illam ubique declaraſſe; ibi vero maxime, cum prima Principum Chriſtianorum ſalutaſſet ſe regem Britanniæ, poſtrema Auriaco poſſeſſori injuſto habuiſſet honorem regium.* Cœptum 1697.
anno qui inſequitur agitari ab fœderatis de Turcico bello finiendo: cujus exitum quo propius abeſſe providebant Veneti, eo acrius gerendum rati, naves complures egregie ornatas, cum ſupplemento & pecunia, mature admodum miſerant in Græciam; imperatoremque

Profeſſio ea de re Jacobi apud oratorē Venetum Erizium.

1697. Molinum juſſerant relinquere nihil intentatum, ut cum hoſtibus navali prœlio decertaret. Magnæ certæque fiduciæ erat navium robur, virtuſque militum: & cum ad alia intererat, tum ad armorum famam, belli extremo confeſſionem conceſſi maris, ubi ſemper alias Venetus plus potuiſſet, Turcis exprimi. Molinus ad id jam paratus ſponte ſua, audita inſuper ſententia patrum, magis accenſus; agebat cura omnino intenta, ut ocyus educeret claſſem, & quæcunque præberetur, occaſionem dimicandi arriperet. Dum Iſthmum Corinthium munit milite, contrahitque naves in ſinum Argolicum; affertur barbaros fraude tentaſſe inſulam Tenon, indeque repulſos. Hi tanquam ex inſidiis nocte erumpentes navibus aliquot, parvum inſulanorum navigium ceperant: quod milite ſuo cum compleſſent; eo præmiſſo, popularium ſpecie fallentes cuſtodias littorum, fecerant exſcenſionem. Pars ad prædandum circa digreſſi; pars major nihil minus timentes Venetos oppreſſuri, ſilentio ad arcem ſubeunt. Clamor captivorum, qui ad mare trahebantur, adeſſe Turcas indicio fuit. Tum Bartholomæus Maurus, excitatis illico ad arma militibus atque oppidanis, in ſcandentes ultro egreditur. Et ſimul primos deturbavit, facile poſtmodo totam aciem pepulit per proclive; inſtandoque trepidis uſque ad mare, non prædam ſolum, quam egerant, recepit, ſed etiam permultos, priuſquam conſcenderent, adeptus occidit. Hoc initio rerum ſecundo, Molinus ad Iſthmi anguſtias tutandas cum tribuiſſet Stenao quantum ſufficeret armatorum: juſſo Contareno claſſe ſeptem & viginti maximæ formæ navium, in quibus incendiariæ duæ erant, Lemnum inſulam tranſmittere; ſecutus ipſe eſt diebus poſt paucis cum claſſe roſtratarum, viginti triremibus, & ſex quinqueremibus. Inter Lemnum & Nymphæum Chalcidicæ promontorium conjunctis viribus; indeque Lemnum atque Imbrum prætervecti, contra oſtium Helleſponti explicata acie ſtetere, ut in obvio eſſent Turcis exeuntibus in Ægæum.

Turca fruſtra tentant inſ. Tenon.

Venetorum claſſis ad Helleſpontum.

Digitized by Google

Ægæum. At prævenerat Haſſanes, paulo ante profectus 1697.
Phocæam, ut milite inſtrueret naves graviores ſuppleretque remigio biremes; illinc autem Eubœam trajiceret. Peloponneſum ſpectabat, dum terreſtres copiæ, quæ cogebantur circa Thebas, Iſthmi clauſtra pertentarent, ipſe ex compoſito maritimum admoturus terrorem. Ut intellexit teneri ab hoſtibus Helleſponti fauces; haudquaquam omittendos arbitratus, mutato conſilio, III. Non. *Haſſanes ad Tenedũ.*
Quinct. illuc regreditur. Viginti celſiores naves habebat, triremes totidem; additis ſex navibus Afrorum, incendiariis duabus, & numero magno biremium. Jamque ſuperarat fretum, quod Tenedum & Troadis littora interluit; cum a Venetis, quorum triremes duæ aberant non longe, conſpectus eſt. Confeſtim Molinus & Contarenus, ſublatis anchoris, occurrere intendunt. Quia tamen ſerum erat diei, viſum ſubſiſtere modico ab hoſte intervallo, ut poſtero die ſecundis ſeptentrionibus, qui lenes tunc flabant, in pugna uterentur. Nocte perpetua dabat lumen luna, facili in omnes partes proſpectu: at ventus conſilium turbavit. Hora enim ſecunda noctis valde increbreſcens, triremes quinqueremeſque ſic demum impulit, ut propius claſſem Turcarum deferrentur. Ea Contareno cauſa fuit cur loco abſcederet, unde illis imminebat. Accitus propere ab imperatore in auxilium, ſub- *Pugna Venetorum cũ Turcis.*
it medius inter ſuos & naves hoſtium. Poſtquam hi nihilominus paulatim id moliebantur, ut reſtantes, ac obliquis velis flectentes inde curſum, adorirentur triremium claſſem: quæ una denique protegendi oſtendebatur via, prætoria navi, aliaque Ludovici Flangini, quanta maxima vi poteſt, in confertos invehitur. Impetum mox ſecutæ naves quatuor Paſchalici, Nanii, Meli, & Donati. Averſis ergo in hos Turcis, ſpatium elabendi triremibus fuit ac quinqueremibus; quæ paulo ante ortum ſolis in tutum, infra Lemnum inſulam, conceſſerunt. Triremes modo duæ, quæ Antonii Nanii quinqueremem remulco trahebant, ab cætero aberrantes agmine, quinque-

1697. queremem primo ipſam magnum in diſcrimen adduxere, tribus hoſtium navibus diu eam inſecutis: deinde triremium altera, cui præerat Petrus Antonius Bembus, ablata longius, cum ſe opportunam ictibus præbuiſſet; undique vulnerata, armamentis amiſſis, Lemnum ejicitur. Fruſtra conatus Contarenus hanc ſervare, miſſa navi, quæ retraheret. Nam neque qui intus erant, magna ex parte captivi damnatique, ope oblata prompte uſi ſunt: & naves ſex Turcarum, quæ illuc direxerant proras, ut Veneta navis, priuſquam opprimeretur, rediret ad ſuos effecerunt. Fervebat interea prœlium inter naves celſiores; concurrerantque Venetorum quatuor aliæ, Michaelis Magni, Conſtantini Lauredani, Andreæ Cornelii, & M. Antonii Diedi. Atrox maxime erat duarum, Contareni & Haſſanis, quæ primæ commiſerant certamen. Haſſani, qui valde urgeretur, navis una ſubſidio venit. Quod ut animadvertit Angelus Maria Foſcarenus; eo celeriter provectus, adortuſque ab latere, multa cum cæde ſubmovit. Inde Venetæ duæ adverſum unam imperatoriam Turcicam pugnare. Ac jam Haſſanes vix ſufficiebat; cum ſaxum ingens miſſum tormento incidit in navem Contareni. Super milites complures & nautas interfectos, navis rectori Petro Racovichio pes abſciſſus. Contarenus autem cum in reliquo corpore percuſſus lignis diſſilientibus, tum fragmento ſaxi in gena ictus corruit, ut propter ſtantes mortuum crederent. Propterea parumper elanguit contentio. Mox ſpiritum cum recepiſſet; denuo exortus, non ſolum inſtauravit certamen, ſed etiam circumacta exiguo ſpatio navi, ſequentibus proximis exemplum, locum concurrendi illis quoque præbuit, quæ poſtremum agmen tenebant. Tum vero ſic premi paſſim barbari, ut ſummæ rei timens Haſſanes, concedenſque, paſſis velis Tenedum peteret. Superior Contarenus moleſte ferebat triremis Bembi jacturam. Itaque ſub ipſum prœlii exitum eo dirigit prætoriam, ſi qua poſſet ope reducere. Ut

Veneti triremem unā amittunt.

Prætoriæ concurrunt.

Vulnus Contareni.

qui paulo poſt pugnā inſtaurat.

Haſſanes Tenedum fugit.

Ut vento reflante irritus erat labor; celocem mittit, in 1697. quam pauci e trireme tranſilierunt. Paulo poſt biremes Turcicæ duæ laceram pertuſamque in inſulæ ſinum ægre pertraxerunt; ubi pene ſtatim ſubmerſa eſt. Aliquot dies moratus ibidem Contarenus, ſi forte dimicandi poteſtatem rurſum hoſtes facerent. Poſtquam cognovit, Chii & Phocææ quaſſatas naves refici; Scyrum navigat, quo claſſe roſtratarum jam contenderat Molinus: inde agmine uno Andrum tranſmittunt. Dum hic ſarciuntur damna navium majorum; viſum Molino triremibus trajicere in Peloponneſum ad Iſthmi munitiones inſpiciendas. Et comperto, ad decem millia hominum non procul Thebis in armis eſſe, jamque haud dubie vim inſtare: quinqueremes etiam acceſſit Naupliam, ut remige ac milite uteretur ad opera nova perficienda, augendumque oppidi præſidium. Continuo cum parte claſſis petit Cenchræas, unde pugnæ tempore terrori hoſtibus, ſuis fiduciæ eſſet. Præter ſpem tamen minimum ibi fuit periculi. Non ante ductor Turcarum Megaram deſcendit, quam Haſſanem audiit refectis navibus Caphareum EubϾ promontorium perveniſſe. Tum per ſex turmas explorat Iſthmi tranſitus. His renunciantibus, loca nulla neglecta cuſtodiis, repulſoſque ſe ab iis, qui in ſtationibus pro vallo erant: tria millia equitum ducibus peritis regionis dextra lævaque jubet ſubire; qua iter connitendo aperuiſſent, ea ipſe reliquis copiis extemplo irrupturus. Sed Venetis obnixe repugnantibus, cum parte nulla ſuccederet cœptum: quando ne tum quidem Haſſanis uſpiam apparebat claſſis, cujus fiducia moverat; exercitum Thebas reducit. Interim rei majori imminebat Haſſanes, intentus in occaſionem adoriendi claſſem Contareni ad Andri portum, quo naves duæ nuper Venetiis advenerant. Ac paulo poſt ſpirante Cœcia Andrum profectus, Kal. Septembr. ante fauces anchoras jacit. Oſtia duo portus ejus ſunt. Majus alterum, qua commode permeant naves: alterum minus ac vadoſum;

Veneti Andrum trajiciunt.

Turcæ fruſtra Iſthmũ tentant.

Haſſanes obſidet Andri portum.

Digitized by Google

1697. ſum ; quod impervium eſſe , gubernator affirmaret . Quare ſic conſtituerat claſſem , ut exituros majore oſtio Venetos ſub ſe haberet . Veruntamen eluſit Contarenus . Nactus enim profundum inter vada , oſtio minore ſic evectus in altum eſt , ut venti opportunitatem illi præriperet . Ita ad neceſſarium magis , quam æquum certamen pertractus Haſſanes , tres horas magno labore ſuorum hoſtem ſuſtinuit . Ipſe quoque vulneratus leviter eſt in fœmore : depugnarique potuit clade inſigni , ni ſubſidens ventus evadendi facultatem præbuiſſet . Effuſe fugientem fruſtra Veneti perſecuti . Nam priuſquam adipiſcerentur , biremium remulco adjutus Geræſtum cepit portum Eubœæ. Ferentem ægre Contarenum ereptam ſibi prope e manibus barbarorum claſſem , repentinum infortunium inſuper turbavit . Noctis medio , quæ inſecuta eſt , navis Aloyſii Nanii , cujus eo in prœlio opera fuerat præclara , dubium quo caſu , conflagravit . Nanius ibi , militeſque omnes , ac pars nautarum maxima interiere : perpaucos , in ſcapham raptim deſilientes , fuga incendio ſubtraxit . Cæterum irritaverat utrinque pugna duces . Contarenus , in Andri portu dierum aliquot quiete data militi , in altum excedens , tempora congrediendi circumſpicere , ut denique juſtam victoriam ex hoſte referret . Haſſanes , gubernatore necato , cujus errore iniquum ſubierat certamen ; cupidus reſtinguendæ ignominiæ , dum æquiore ſibi quam hoſti loco poſſet , nullam erat decernendi moram facturus . Ergo alter alterum captantes , exiguo maris ſpatio , quod inter Andrum , Eubœam , Atticenque eſt , dies plures conſumpſere . Fortuna tandem prius adſpiravit Contareno . Etenim cum Turcarum claſſis ante Panormi portum , inter Sunium & Cynoſuram promontoria Attices , ſtaret : ſecundo Vulturno ab Cæa inſula , unde cum claſſe roſtratarum aberat non multum Molinus , illuc celeriter contendens , Haſſani improvido ſupervenit . Detrectandi non dabatur facultas . Igitur auxilio biremium inſtructis in frontem navi-

elabitur Contarenus,

& prælium committit.

Haſſanes vulneratur.

Fugit Geræſtum.

Nanii navis incendio abſumitur.

Haſſanes & Contarenus captant invicem.

navibus, velis venientem Venetum excipit. Naves tres, 1697. Lauredani, Bonvicini, Foſculi, primæ concurrere. Ut quæque porro ſequebatur, ita cum Turcis inibat prœlium. Poſtquam ventus lenior factus prope æquaverat contentionem: hoſtium naves permultas in arcto ſtipatas conſpicatus Contarenus, incendiariam in eas immittit; ratus ſe, ubi tumultum injeciſſet, haud difficulter aciem cæteram turbaturum. Rem proſpere cœptam vis pervertit inſuperabilis. Ventus enim repente cecidit adeo, nullam ut in partem propelli navigium poſſet. Veriti cuſtodes ne præda fieret hoſtibus, quorum biremes quatuor appropinquabant; in lembum exilientes, ignes ſubjiciunt. Ita nullo Turcarum damno exarſit navis: occubuit etiam memorabili caſu acer juvenis Vincentius Donatus, qui incendiariam affectabatur. Stantem in ſumma navi ſua, miſſus balliſta majore globus ferreus ſciſſum medium abſtulit in mare. Poſt aliquanto, prona in veſperum jam die, flare idem, qui antea, cœperat ventus. Quare coorti de integro Veneti, undique hoſtem aggrediuntur. Repugnare valide Haſſanes. Aſt, vento adverſo, multo plus accipiebat, quam inferebat cladis. Hic quoque claſſe ſua amiſſa prœlium nobile ad ultimum facturus fuiſſe creditur, ſi extendi a die in longum ſpatium potuiſſet. Nox, victoria nondum certa, oppreſſit pugnantes. Nihil tunc cunctatus Turca recipere in tutum claſſem, petit propinqua inſulæ Eubœæ: poſtero autem die & ibi timens ne confligere denuo cogeretur, velis in altum datis, Chium tranſmittere intendit. Amplius tria millia barbarorum iis in certaminibus occiſa: vulnerati haud paulo plures. Male autem mulctatæ claſſis univerſæ indicio fuit in primis pavor Chiorum: qui, ubi claudas & fatiſcentes naves, conſternatoſque formidine Turcas videre; legatos extemplo miſerunt Conſtantinopolin oratum auxilia militum, queis urbs, velut propediem oppugnaturis hoſtibus, defenderetur. Ab Venetis, præter cohortem Innocentii Tertii tribu-

Pugna conſeritur.

Vincentius Donatus cadit.

Nox opprimit pugnantes.

Haſſanes Chium ſe recipit.

Chiorum pavor.

1697. tribuni, manumque modicam voluntariorum, ac nautas fere omnes, qui in navi Aloyſii Nanii perierant, ceciderunt octo & quinquaginta ſupra ducentos: ſauciati octingenti quinquaginta quinque. Nocte proxima in loco, ubi dimicarat, manſit Contarenus: eodem Molinus claſſe triremium poſtridie venit. Quando autem longius hoſtis abſceſſerat, nec tempus anni patiebatur alia tentari;

Veneti circum inſulas vectantur;

juſſo tantum Contareno circum inſulas adjacentes Teno ducere claſſem navium celſiorum, ad fiduciam ab re bene geſta oſtentandam:

Naupliam redeunt.

Naupliam concedunt in hyberna.

In Illyrico, Cæſaris rogatu, Veneti Turcas adoriuntur.

In Illyrico, ea præſertim parte quæ ad Croatiam pertinet, Veneti principio æſtatis, ut Cæſari gratificarentur, fines Turcarum turbavere. Auſpergio, Caroloſtadii præfecto, crat propoſitum aggredi Vihitzam, arcem permunitam, Bihak appellant, ad Vanam fluvium in Boſnæ extremo. Cæſar, quod ad provinciæ proferendos terminos, curaſque diſtendendas hoſtium rem fore utilem cernebat; probato conſilio, per Franciſcum Uldaricum Kinskium Carolo Ruzino ſignificarat, pergratum ſibi fore, ſi eodem tempore in Illyrico aliquid Veneti moverent. Fecit haud ægre Senatus. Quamobrem

Mocenicus irruptionem imperat in Boſnam,

Sebaſtianus Mocenicus, Delphino ſucceſſor datus, audita patrum voluntate, ſine mora Illyrios ad arma excivit, inter Titium Neſtumque flumina incolentes; præpoſito Poſſidaria tribuno, qui induceret in Boſnam, quantumque maximum poſſet, tumultum præberet. Ut autem pluribus partibus appetitus hoſtis, virium minus ad ſingula defendenda haberet; placuit ſimul Burovichium & Bolizzam equites cum magna utrumque multitudi-

& Chulmiam.

ne popularium ſuorum diverſos ire ad Chulmiam populandam. Et hi ſubito adventu tantum formidinis intulere, ut, Turcis paſſim diffugientibus, non ſolum prædas ex agris agerent inulti vicoſque incenderent; ſed etiam ad loca ſepta muris invadenda animus eſſet.

Dabar capitur;

Caſtrum ſatis validum, Dabar nomine, aliaque parva caſtella, unde Naronenſium agri ſæpe incurſabantur, ca-

piunt,

piunt, æquantque ſolo. Poſſidaria cum tractum haud modicum ferro atque igni pervaſtaſſet; tandem ad arcem ſitu & munimento firmam copias admovet. Vvacup lingua ſua nuncupant: abeſt a Bihak quinque horarum itinere. Nec expectaverunt impetum oppugnationis qui cuſtodiebant. Facta nanque poteſtate abeundi cum armis rebuſque ſuis, tradiderunt arcem: quam poſtea Illyrii, quia procul poſitam præſidio tueri non referebat, concremarunt. Ita quidem adjuvere Veneti Cæſaris conſilium. Veruntamen fruſtrata Auſpergium opinio eſt. Diem jam trigeſimum vineis aggere ac tormentis Vihitzam oppugnabat. At neque avertere amnem poterat præterfluentem mœnia, qui ne agger promoveretur, impedimento erat; & obſeſſi nihil, quo aut opera aut hoſtis arceretur, maxime in ſtationes erumpendo, prætermittebant. Ubi undique afferebatur, appropinquare Boſnenſem Baſſam cum ſex millibus armatorum, quibus ſe ſe in itinere multitudo alia aggregaret: ſpe depulſus, incœpto abſtitit. Fervebat interea bellum in Pannonia. Turcarum exercitum hoc quoque anno ducebat rex: qui, cum tanta angeret pecuniæ inopia, quanta nunquam ante, ſuique militiam vulgo detrectarent; inuſitatas vias inierat per hyemem ad comparanda præſidia. Nam & tributum gravius imperavit conferendum in capita: & ditioribus aliud inſuper impoſuit pro habitu pecuniarum: & nummos aureos cudi juſſit materiæ deterioris, impreſſo nomine ſuo, ſuperbo cum titulo; recuſanteſque fabros navales & nautas, jamque in ipſam officinam minitantes impetum, metu ſupplicii extremi coegit accipere, & Baſſis aliquot, qui effici negabant poſſe id militum, quod indixiſſet, vita privatis, habuit omnes obedientiores: ut, magno confecto exercitu, ſpe animoque res ingentes conciperet verſaretque. Ac viribus jam præfidens, cum alia ferociter dixit fecitque, tum vero arrogantia illud barbara, quod, admonentibus legatis Britanno primum, mox Gallo, agi de pace inter Gallos,

1697.

& Vvacup.

Auſpergius nequicquā oppugnat Vihitzam.

Apparatus belli apud Turcas.

Digitized by Google

1697. Cæſaremque & fœderatos ejus; quæ, ſi fieret, univerſas Cæſaris copias in ipſum converſura eſſet: non ſolum nihil permotus eſt, & *ſeu pacem, ſeu bellum alii inter ſe mallent, neutiquam id ad ſe fortunamque ſuam attinere*, reſpondit; ſed etiam paulo poſt Galliæ regi per eundem legatum petenti, ut ſibi donaret templum pervetuſtum in oppido Pera, multorum templorum caput, D. Franciſco ſacrum, quod poſt Creticum bellum Veneti refecerant impenſa ſua, ita denegavit, ut prætera ad ludibrium, Chriſtianæ religionis cultu inde exturbato, in Meſchitam illico verteret. Eodem tempore Cæſar nihilo ſegnius neceſſaria inſtruxerat ad bellum; ſupplemento copiarum vere primo in Pannoniam miſſo. Cum autem & Federicum Auguſtum avertiſſet in Poloniam petitio regni illius; & Caprara, præterquam ætate jam exacta, valetudinem etiam cauſæ eſſe excuſaret, cur abſcederet muneribus militaribus: exercitus imperatorem dixit Eugenium Principem Sabaudiæ, egregie factis in Pannonia, in Germania, in Italia jam tum illuſtrem, inde ad contundendos Auſtriorum hoſtes prope fatalem ubique ducem. Antequam ad exercitum is proficiſceretur, motus aliquid fuerat in Pannonia Superiore. Auſi arma retractare qui res ad Turcas trahebant, inſtigante Tekelio. Et primo quidem eorum quingenti magnum apparatum bellicum incenderant Segeduni, quod horreum tunc erat Germanis. Deinde autem Pattak, id eſt nomen arci non procul Tokæo oppido, fraude potiti ſunt; cæſis ad unum omnibus qui tuebantur. Tum, creſcente in dies multitudine, Tokæum ipſum aggreſſi vi aperta, paucos intra dies expugnant; & Germanicum præſidium fœde interficiunt. Quibus initiis aucta ferocia, proponitur edictum, ut arma capiant qui recipere velint libertatem: qui liberantibus communem patriam obſtitiſſent, eos ſe hoſtium habituros loco. Manaſſet late malum, ni Cæſar, Viennam perlata fama tumultus, maturaſſet comprimere. Occurrerunt ſtatim cum cohortibus expeditis Prin-

Regis ſuperbum reſponſum legatis Britanno & Gallo.

Cæſar auget exercitū in Pannonia.

Præficit Principem Eugenium.

Rebellant populi in Pannonia Sup.

Pattak occupant,

& Tokæum.

Tekelii edictum.

Occurrunt Germani.

Princeps Carolus Valdemontius & Ritſchanus legatus. 1697.
Ritſchanus cum ad Onothum ſuperveniſſet Franciſco Tokajo duci conjuratorum; extemplo congreſſus prœlio copias ejus fudit fugavitque. Valdemontius circumſidens Tokæum, urbem vi cepit, cruentamque in victos exercuit victoriam: qua re perterrefacti qui erant in arce, noctis ſilentio deſerta cuſtodia, in proximos montes perfugerunt. Eadem formido ad illos frangendos valuit qui Pattak tutabantur. Nam vix expectantes oppugnationem, armis poſitis, dediderunt ſe in arbitratum Germanis. Venia cunctis ab Cæſare conceſſa, ut confirmata opinione clementiæ, fides in poſterum ſtabilis eſſet: condicionem tamen addidit, ut Tokajum, alterum concitatorem belli, vivum traderent. Vixdum eo ſedato motu, Taurunum pervenit rex Turcarum, unaque princeps Viſſiriorum. In Baſſarum concilio, quando, quo jam ſponte ſua inclinabat ipſe, pars maxima cenſebant, ab Petro-Varadino ordiendum bellum: fieri actutum in Savo pontes jubet inſtruique ad profectionem claſſem; ut ſimul a terra, ſimul a flumine oppidum adoriretur. Quinque & ſeptuaginta millia armatorum habebat; claſſem autem decem triremium, triginta navium majorum, onerariis adjectis ad ſeptuaginta. Sed, ut mutaret mox ſententiam, impulit Tekelius. Hoc pollicente, magnas in ſuperiore Pannonia turbas fore, ſi oppida duo, Tibiſcum & Segedunum redegiſſet in poteſtatem: Iſtrum ſubito trajicit copias; inde Viſſirium præmittit cum parte earum & claſſe navium ad oppugnandum Tibiſcum. Interim Eugenius, collecto ad Petro-Varadinum quinque & quadraginta millium exercitu, firmatoque milite atque armis oppido, Iſtrum tranſmiſerat; regionem octo ab Tibiſco millibus opportunam nactus, unde ad quosvis conatus hoſtium in expedito eſſet. Verum prævertit Viſſirius, eodem quo oppugnare cœperat die, potitus Tibiſco. Tum cupido tentandi Petro-Varadini rurſus inceſſit regem; ratum averſis alio Germanis, nihilo quam Ti-

Tokæum recipiunt,

& Pattak.

Populi redeunt in fidem.

Concilium regis Turcarum Tauruni.

Rex Iſtrum trajicit.

Tibiſco potitur Viſſirius.

1697. Tibiſcum difficilius capi poſſe. Eugenium tamen non feſellit: cui, dum tormenta machinæque comportantur, ſpatium fuit ad occupandum locum, unde Iſtri tranſitu prohiberet. Non deficiebat regi animus ad experiendam fortunam pugnæ. Duces, multo quam crediderant majorem eſſe exercitum Germanorum affirmantes, deterruere. Conſilium igitur, quod abjecerat, denuo ſequi conſtituit; præterque ripam Tibiſci amnis ducit Segedunum.

Rex ducit Segedunū.

Lentius incedebat grave impedimentis agmen: eo Eugenius muniendi tempus habuit, aliquot cohortibus aptiſſimis ad maturandum iter illuc miſſis cum pecunia: ipſe hoſtem veſtigiis ſectabatur.

Inſequitur T. Eugenius.

Hæc nunciata regi, qui ad Zentham, nomen id eſt vico octodecim circiter ab Seggeduno millibus, proceſſerat; parumper incertum tenuerunt, utrum pergeret ire, an reciperet ſe ultra Tibiſcum. Aleam univerſi certaminis jam timebat; cujus detrectandi facultatem non putabat fore, ſi ſe impediviſſet oppugnatione Segeduni. Quocirca ſimul ratibus jungit flumen, ſimul duplici vallo circumdat ſuos; ut, ſi, id quod accidit, priuſquam copiæ omnes traducerentur, ſuperveniret hoſtis, quæ nondum traductæ eſſent, ſe munimento defenderent. Et, ponte perfecto, trajecerat pars maxima equitatus regem ſecuta; reliquum, ut & peditatus fere totus, citra flumen erat: cum hora tertia ante ſolis occaſum, is dies fuit a. d. III. Id. Septembr. conſpectis procul ſignis Germanorum, trepidari cœptum eſt.

Ad Zenthā Germani adoriuntur Turcas.

Viſſirius propter metum militum non admodum munitionibus fidens, ac proinde unam ſpem ſalutis arbitratus eſſe, ſi moraretur adventantes, remque in noctem traheret; quod equitum hauddum tranſmiſerat, confeſtim ire obviam jubet. Poſteaquam, propere ſe ſe his recipientibus, pleno gradu ſuccedebat Germanus; imperat ſuis, ut vim telorum in eum effundant. Subſtitit tantiſper Eugenius, dum primus ille exſæviret impetus. Tum, ſi maturaret munimenta invadere, habere ſe hoſtem in poteſtate cernens; biſariam diviſo jam exercitu, dex-

dextra lævaque adoritur. Reſtitere aliquandiu Turcæ, loco ſe tamen magis, quam virtute atque armis tutantes. Aſt ſimul parte altera Germani inſiluerunt; terror tantus pervaſit, ut, relicto vallo, abjectiſque armis, ſe paſſim fugæ mandarent. Pedites tunc, equiteſque ad pedes degreſſi, catervatim irruentes inſtare effuſis: atque nullo obſiſtente, vallum alterum, & ſepimentum, quod junctis inter ſe plauſtris fecerant, traſcendunt. Ibi barbari hinc agmine hoſtium, hinc flumine interclusi in medio cæduntur. Qui flumen petiere, aut gurgitibus hauſti ſunt, aut, dum cunctantur ingredi, in ripa obtruncati. Ne per pontem quidem evadendi erat via; cum & ſemetipſam turba in arcto impediret, & Germani qui ſiniſtrum tenebant cornu, conglobatos inceſſerent ab latere. Itaque ergo perpaucis effugium patuit. Hæc ad Tibiſcum victoria Germanorum celebris. Facile convenit, nunquam eo bello tantum Turcarum una acie cæſum. Supra quatuor & viginti millia interiere. Occiſi ſeptendecim Baſſæ, & præfectus Janiſſarorum: Viſſirius quoque, dum pavorem fugamque increpat, ferro etiam ac vulneribus in hoſtem redigere conatur fugientes; ab ſuis, quod plures tradunt, interfectus eſt. Parta præda dives ac multiplex: tormenta ad nonaginta, ſigna militaria plus centum, carri onuſti commeatibus ad quatuor millia, numeruſque magnus admodum equorum, boum & camelorum; præterea tabernaculum regium, pecunia, aliaque ſpolia ducum, & cæteri apparatus bellici vis ingens. Rex, qui millia aliquot aberat, audita calamitate ſuorum, cum quinque ſolum equitibus ſine reſpectu fugit; neque antequam Temeſvariæ ab effuſo conſtitit curſu. Biduum eo in oppido moratus, præfecto Janiſſarorum ſufficit Heibrahimum (is novem ante annis Chalcidem defenderat) qui colligeret reliquias exercitus. Taurunum inde venit; Viſſiriorumque principem creat Cuſſeimum Baſſam, præſidem tunc urbis ejus. Paucos autem poſt dies cum tribus millibus equitum Hadrianopolin

1697.

Turcæ vincuntur cæde ingenti.

Viſſirius occiditur.

Magna Germanorũ præda.

Rex fugit Temeſvariam.

Cuſſeimum ſufficit mortuo Viſſirio.

1697. lin proficiſcitur; omni arte adhibita, ut magnitudinem obtegeret cladis, ne qui populorum tumultus forte orirentur. Ab Germanis deſiderati haud plus triginta ſupra quadringentos; vulnerati mille ferme & ſexcenti. Unum defuit Cæſaris fortunæ, quod tempeſtas anni, jam enim ſe æſtas circumegerat, Temeſvariæ Taurunive oppugnandi, quo ſeries vocabat belli, ſpatium non dabat. Quare imperator paulo poſt partem magnam exercitus dimittit in hyberna. Ipſe, ut quæ poterat damna, pro tempore, quod ſupererat aptum rebus gerendis, hoſtibus inferret; octo ferme millibus militum, Iſtrum, mox Savum tranſgreſſus, in Boſnam ſubitam irruptionem facit. Arces ibi & caſtella aliquot circa Boſnam flumen, metu dedentibus ſe qui tuebantur, redigit in poteſtatem. Serajum quoque, oppidum frequens ac opulentum præ aliis, provinciæ caput, dilapſis pavore cuſtodibus, direptum incenſumque. Diebus iiſdem Rabutinus legatus, priuſquam concederet in Tranſylvaniam, Vipalankam, arcem permunitam non procul Iſtro flumine, cum cohortibus ſexdecim aggreſſus, vi armiſque expugnavit; cæſis Janiſſaris octingentis, qui in præſidio erant, incolisque abductis in captivitatem. Pro exitu armorum tam proſpero, Viennæ in templo D. Stephani, ſignis quæ adempta hoſtibus fuerant aliiſque ſpoliis in trophæi morem compoſitis, & ſupplicatione univerſi populi indicta, pie ſancteque Deo immortali honor eſt habitus: ſecundum Deum, B. Mariæ Virgini, cujus patrocinio commendarat Cæſar varia prece exercitus ſuos, & cui victoriam acceptam referebat, gratiæ actæ; pompa celebri circumlata per urbem Imagine ejus. Hanc illi dono miſerat Agrienſis Epiſcopus, expreſſam ad exemplum Imaginis alterius, quæ initio hujus anni in Superiore Pannonia, ad Kaloam arcem, mirabilibus claruerat. Venetiis quoque, nunciata victoria, fecere patres pro religione ſua, & jam uſque ab ortu Civitatis inſita pietate præcipua erga Deiparam. Imaginem ejus, quam ab D. Luca

Hadrianopolim redit.

Germani Boſnam intrant.

Serajũ capiunt & incendunt.

Vipalanka potitur Rabutinus.

Gratiarum actio Viennæ, & ſupplicatio ob victoriam ad Zenthã.

Vi & Venetiis.

Luca Evangeliſta expictam ferunt, quingentis ferme ante annis advectam Conſtantinopoli, collocatamque in templo D. Marci, ara proprie dicata, tunc poſuere in ara Maxima, ad quam ordines omnes diviſis temporibus per dies octo ſupplicarent. Octavo die per aream ad templum prælatam proſecutus Princeps & Senatus eſt magna frequentia: edictumque, ut dies Conceptioni B. Mariæ ſacer, quo ſupplicari tunc erat cœptum, feſtus haberetur ac ſervaretur cum ſolenni precatione in perpetuum. Hoc anno revocatæ leges duæ, quæ pene obſoleverant. Altera de ambitu; qua cavebatur, *ne candidati, & candidatorum propinqui, clienteſque eorum palam prebenſarent; neve cœtus, concilia, & ſecreta coitiones ab iis fierent:* ut & in mandandis magiſtratibus partiendiſque oneribus atque honoribus libera civium, non eblandita ſuffragia eſſent; & cauſæ tollerentur mentiendi pejerandique, quod malum ad gratiam vanis promiſſis captandam paulatim obrepſerat. Duumviris Cenſoribus datum negotium, ut, ſi quis contra legem feciſſet, eum e veſtigio moverent magiſtratu, ſi quem gereret, pecuniaque mulctarent. Altera de luxu muliebri coercendo; qui tametſi ſummotus legibus ſancitis, rurſus tamen vitio temporum ſic immigrarat in civitatem, ut jam videretur intolerandus. Latum eſt itaque, *ut ſumptuaria leges omnes de ornatu matronarum prorſus cuſtodirentur*; ſi qua matrona ab illis diſcederet, gravi mulcta impoſita. Hujus anni memoriam differet ad ſeram poſteritatem mors ornantis ſæculum Gregorii Barbadici Cardinalis Epiſcopi Patavinorum. Inſignis prorſus laude vitæ fuit. In claritate magna ſanguinis, & affluentia fortunarum ſeverus cultor abſtinentiæ & continentiæ; diſciplinæ ſuorum diligens cura ubique ardenti; ad ſuæ dignitatis jura tuenda acer & vehemens; in exequendo munere ſacerdotii, longe lateque porrecti, laborum & vigiliarum ad extremum uſque ſpiritum patientiſſimus. Liberalitatem in egenos exercuit raro exemplo: nam ad trecenta millia

1697.

Leges revocantur de ambitu,

& de luxu.

Mors Card. Barbadici.

Elogiũ ejus.

Digitized by Google

1697. lia aureorum nummum erogaſſe conſtat. Facultates nobiles, doctrinaſque humanas & divinas a primo ætatis tempore ſedulus audiit in Gymnaſio Patavino; earumque deinde contentum ſtudium, quantum per quotidianas occupationes poterat, remiſit nunquam. Hunc ſcientiæ amorem aluit & fovit in aliis etiam genere ſumptuum vere magnifico. Ampla inſtituit Collegia duo educandæ erudiendæque juventuti. Ad præclara & peregrina illata plurima; linguas ſacris voluminibus interpretandis apprime utiles, Græcam præſertim nutricem illam literaturæ ſolidæ, omnigenæque elegantiæ parentem, adjecta inſuper apparatiſſima Typographia, ibi excitavit: & vires addidit ad incrementa, hæreditatem poſtremo traditam bonorum omnium. Nihil in eo non eximium: dexter ad cuncta ingenio, providus futurorum, in adverſis conſtans, mitis, affabilis, paterno in omnes animo. Miraculo virtutum ſummos etiam reges in ſe convertit. Fama haud vana eſt, conſentientibus in eum Cardinalibus, unum obſtitiſſe ipſum ſibi ne Pontifex Maximus crearetur. Annos octo Bergomatium rexit Eccleſiam, duos & triginta Patavinorum: duos natus & ſeptuaginta, XIV. Kal. Quinct. obiit ſanctitate & ſapientia magnus; prope ſub ipſum funus rite habitus appellatuſque Venerabilis. Et viginti octo ab obitu annis erutum ſepulcro cadaver incorruptum, repoſitumque loco digniore, decreto Almæ Curiæ Romanæ: his autem ferme quibus ſcribimus diebus, denuo inſpectum eſt integrumque repertum; conſtituta ſolemni forma Judicii ab Curia eadem, præſtruente viam ad cultum publicum.

Comitia Polonorũ regi creando. Petunt duo: Fed. Aug. Dux Saxonum;

Polonos hac æſtate avertit penitus a bello rex novus legendus. Duo ante alios petebant ingenti contentione: Federicus Auguſtus Saxonicus Elector, qui biennio ante ejurarat Lutheri ſectam apud Jaurinenſem Epiſcopum; tunc autem & pecuniam grandem offerebat, unde æs alienum reip. diſſolveretur, & pollicebatur inter cætera Cameneciam ſe impenſis ſuis oppugnaturum; habiturum

præ-

prætera in armis ſex millia ſuorum, quibus per bellum Polonos adjuvaret; interim vero decem millia lectorum militum in Sileſiæ & Poloniæ finibus collocarat, paratus armis iis, ſi opus eſſet, ſuſtinere cauſam ſuam: & Franciſcus Ludovicus Princeps Contiacus, ex gente Borbonia, cujus inclytum nomen erat in Gallia ob excelſum animum famamque bellicæ virtutis; ſubnixus potentia Ludovici regis, qui Polonis, hunc regem creantibus, per legatum ſuum Franciſcum Abbatem de-Polignac milites, arma, pecuniam ſubſidiaque alia ad bellum promittebat nihil modice. Habitis ad Varſoviam urbem comitiis, partes tres ſuffragiorum tulit Auguſtus, unam Contiacus. Obſtare tum Auguſto Cardinalis. Radzievvſchius, regni Primas; quod leges reip. vetarent regem fieri, qui ſacra Romana non ſequeretur. At Auguſtus, prolata jam vulgataque Catholicæ Fidei, quam ediderat, profeſſione, connitentibus ſuffragatoribus ſuis, maximeque Davia & Lambergio, Pontificis & Cæſaris legatis, rex declaratur. Quod autem motus aliquis ab ea parte timebatur quæ ſtabat ab Contiaco, cauſam nactus eſt militem advocandi, quem conſtituerat in finibus. Quare Contiacus per idem fere tempus Dantiſcum appulſus, poſtquam Mariæburgum ipſum, ubi inclinatis in eum ſtudiis exceptura erat civitas, ab Auguſti copiis occupatum audivit; ſpe abjecta, in Galliam unde venerat, revertit. Cum hæc in Polonia agerentur; Moſchi nihilo quam proximo anno remiſſius geſturi videbantur bellum. Principio nanque æſtatis valido exercitu Tartariam intrarant; magno, quacunque incederent, non terrore modo hoſtium, ſed etiam damno. Vix quicquam tamen eo dignum apparatu aggreſſi ſunt. Inſulam Boryſthenis, triginta ferme millia paſſuum a mari, Tavvan appellant, munierunt, arce inædificata, ut haberent in poteſtate flumen; libereque, cum uſus eſſet, emittere claſſem poſſent in Euxinum Pontum. Poſt aliquanto cum Tartaros & Turcas, hinc arcem recens conſtructam,

Marginalia: 1697. — *& Franc. Lud. Contiacus:* — *Auguſtus eligitur.* — *Contiacus in Galliam redit.* — *Moſchi expectationẽ deſtituunt.*

1697. hinc Tanaim urbem adortos repuliſſent; nihil audentes ipſi, domum rediere. Lenti belli cauſa rex fuit, ſtudiis *Rex Moſchorum.* interim aliis intentus. Rem magnis regibus inſuetam, Moſchis præſertim, qui inſtituto gentis aliorum commercio populorum libenter abſtinerent, peragrandas Europæ regiones complures ſuſceperat. Legatis deſtinatis ad Electorem Brandeburgicum, ad Belgas, ad Britanniæ regem, ad Cæſarem, profectus una erat ipſe; cura imperii permiſſa quatuor ex regni primoribus, quorum filios tanquam obſides ſecum abduxerat. Nullus quidem regius cultus inſignem faciebat in vulgus: cæterum regibus, quos adirent legati, prodebat ultro ſe. Mon- *petit Montem Regiū:* tem Regium, Boruſſiæ Brandeburgicæ caput, iere primum. Ibi ab Federico Electore cum legati benigne ac- *inde Amſtelodamū, & Trajectum.* cepti, tum rex per dies viginti ſplendide eſt habitus. Mari poſtea vecti Amſtelodamum: ubi illum Belgæ vario ſpectaculo navalium rerum aliquandiu detinuerunt. Porro Trajectum cum veniſſet, ſalutat Auriacum regem Britanniæ, qui eo tunc tranſierat; legatoſque inde mittit Hagam Comitum ad præſides provinciarum, officii cauſa. Haud ita multo poſt ab Auriaco, qui redierat in regnum, datæ naves aliquot, quæ cupidum vi- *Trajicit in Britanniā.* ſendi Londini tranſportarent in Britanniam. Hic tres moratus menſes & tractatus eſt magnifice, & cum magnificis donis dimiſſus, nave inter alia formæ celſioris, bellico apparatu inſtructa egregie: tum Belgium repetit, unde Viennam cum legatis contendit. Ex com- *Viennam venit.* poſito Cæſar, omiſſo ſolemni ritu, quo reges inter ſe congrediuntur, nihil reliqui fecit benevolentiæ, honoris, liberalitatis, quanta proficiſci ab ſummo rege in regem ſummum poterat. Continuo deſiderium inceſſit videndæ urbis Venetiarum, quod per oratorem Ruzinum indicavit patribus. Hi dum omnia comparant, ut recipiant venientem digne eo ſeque; ſeditio ingens *Revertitur in regnum.* Moſcuæ repente exorta interpellavit conſilium. Nihil tunc cunctatus eſt illuc reverti, ſeditioſorum futurus ul-

tor

Digitized by Google

tor ipſe & oppreſſor; cum diſcederet, obligata Cæ- 1697.
ſari fide, ſe, quoad placeret ei bellum ducere, unum magno acturum opere, ut terra marique communem hoſtem Turcam urgeret.

FINIS LIBRI VIGESIMITERTII.



HISTORIARUM VENETARUM

LIBER VIGESIMUS QUARTUS.

1697. SI unquam ante alias ſpes fuerat fœderatis contundendi hoſtis, eo certe tempore maxima oriebatur; vacuo jam Cæſare Gallici belli cura, quod hac tandem depoſitum æſtate eſt. Idem qui hactenus ſuaſerat alueratque bellum, componendæ pacis initium fecit, Auriacus. Ex quo diſceſſum ab armis erat in Italia, tentare occulte animum non deſtiterat Galliæ rex; pollicitus inter alia, omiſſis conſiliis reducendi in regnum Jacobi, haudquaquam impediturum ſe, quo minus firma illi, tranquillaque poſſeſſio Britanniæ eſſet. Auriacus, qui, dum ab ſocero demeretur metus, pacem bello jam præoptaret; cum præterea cerneret, avulſo ab fœdere Sabaudiæ Duce, deſtitutum ſe non parvo momento rerum gerendarum, Britannos autem tædio laboris & periculorum pacem impenſe cupere: facile paſſus eſt agi de ea reconcilianda, Belgaſque & ipſos feſſos diuturnitate & gravitate belli in eandem ſententiam perduxit. Nihil tunc minus placebat Cæſari. Quamvis enim, ſi Turcas adoriretur copiis univerſis, ſubacturus eos haud dubie foret ad pactiones quaſcunque accipiendas: tamen imminens animo rei longe majori, Hiſpaniæ regno, quando Carolus rex, qui liberos nullos procrearat, diutino periculoſoque morbo implicitus, brevi deceſſurus videbatur; ſua plurimum putabat intereſſe non dimitti ab ſociis exercitus, quorum auxilio, ſi ab rege Galliæ vis quæreretur, hæreditatem eam ſibi venturam ſperaret. Ne Hiſpani quidem ante exitum Turcici belli cogitandum rebantur de pace. Etenim neque credebant redditurum hoſtem quæ ſibi

Initium pacis ab Auriaco.

Britannos & Belgas tædet belli.

Secus Cæſarem,

& Hiſpanos.

ſibi ademiſſet, niſi cogeretur armis; nec cogi videbant 1697.
poſſe, niſi vires in eum Cæſar omnes converteret. Sed poſtquam rex Galliæ per Callierſium oratorem ſuum ad Belgas profitebatur, ſecuturum ſe pacta conventaque in conciliis habitis Monaſterii & Noviomagi; itaque paratum eſſe reſtituere quidquid uſpiam oppidorum atque arcium ex eo tempore occupaſſet: tum vero certus Auriacus exequi quam celerrime propoſitum, nunc commemorandis incommodis & difficultatibus belli, nunc utilitate pacis, quæ ab hoſte afferretur, extollenda; pervicit, ut communi conſilio finiretur locus, quo legati convenirent ad diſceptandum. Electus Hollandiæ vicus, medio ferme ſpatio inter Hagam & Delphos, Riſvvich appellant: in quo Cæſar & Hiſpani conſenſerunt minime inviti. Egregium autem ſibi ducebat Auriacus, id tributum gloriæ ſuæ, ut concilium non perageretur in terris Catholicorum. Tetendit etiam pro altero, atque obtinuit, ut pacificatorem ſumerent Carolum regem Sveciæ, quamvis alienum ab religione Catholica. Cæterum ſimul agi de pace, ſimul bellum geri ab Gallis cœptum eſt. Miſerat rex Ludovicus principio veris quinque & viginti naves in Americam ductu Pointii ad oppugnandam Carthaginem Novam, emporium frequens Hiſpanorum. Non multo poſt Duci Vindocinenſi quatuor & viginti millia peditum, equitum millia ſex, claſſemque varii generis navium attribuerat, quibus Barcinonem in Hiſpania aggrederetur. In Belgio vero tres diviſos exercitus, non magno inter ſe intervallo, Mareſchalli tres, Villaregius, Buflerſius, & Catinatus ducebant. Ibi Catinatus magno impetu adortus Athum, oppidum Hannoniæ, tredecim poſt dies accipit in deditionem; Auriaco & Bavarico Electore, qui inter ſe copias conjunxerant, ferre auxilium non auſis. Inde movendis crebro caſtris cum id modo ſtuderent duces, ut hoſtem ad iniquum certamen traherent; injicitur repente bello mora. Portlandus ex intimis Auriaci, & Mareſchallus

Sed Auriacus conditiones audit oblatas a Galliſ.

Finitur locus in Hollandia, quo legati conveniant.

Svecia rex pacificator.

Expeditio Gallorum in Americam.

Vindocinenſis it oppugnatū Barcinonem.

Athum capitur a Galliſ.

1697. ſchallus Buflerſius venerant in ſecretum colloquium
Colloquium Buflerſii & Portlandi. cum mandatis ſummis de pace regis uterque ſui. Paulum primo diſceptationem diſtinuit, quod Portlando poſtulante, ut Galliæ rex ablegaret procul a ſe Jacobum regem filiumque ejus; id enimvero negabat Buflerſius, quidlibet potius, aſſeverans, paſſurum illum, quam ut adduceretur ad hoſpitalia jura violanda. Lenius deinde agere Portlandus: Auriacum pro rege Britanniæ ut haberet, flagitare; daretque fidem, eo vivo, ope nulla adju-
Convenit de pace. turum Jacobum ad repetendum regnum. Hæc Buflerſio concedente, pax convenit. Perculit Cæſarem & Hiſpaniæ regem res nec opinata. Et turbare uterque omni arte conati ſunt. At ſub idem tempus alia contigerunt, quæ ad maturandam pacem compellerent Hiſpanum. Vi-
Victores Galli redeunt ex America. ctor ex America redierat in Galliam Pointius, Carthagine Nova expugnata, & avecta inde præda ingenti, præſertim vi auri atque argenti ſignati infectique. Dux autem Vindocinenſis, Barcinonem diu oppugnatam ſpe ambigua, poſtremo disjectis copiis Franciſci Velaſci Cataloniæ proregis, a quo per occaſiones auxilia obſeſſis ſub-
Barcino deditur. mittebantur, in ditionem redegerat. Veritus ergo Carolus rex, ne initia hæc eſſent malorum majorum; imperat legatis ſuis, ut, dum hoſtis redderet ablata, nullam facerent moram tranſigendi. Ac ceſſurum quidem Ludovicum
In pacem conſentiunt Hiſpani. locis aliis omnibus affirmabant legati ejus: de Lucemburgo modo & Argentorato negabatur; pro quibus tradidurum ſpondebant, quæ, ſumptis arbitris, tantidem æſtimarentur. Nec per Auriacum & Civitates Belgarum ægre impetraſſet: qui providerent, clauſtra hæc obtinentem Gallum, habiturum ſemper in armis Germanos; id autem fore ſibi præſidium præſens ad ſubita bella. Ubi Germanus atque Hiſpanus ita repugnabant, ut, ni urbibus iis decederetur, nullam utique pacis condicionem eſſe dicerent: non ultra adverſati Galli ſunt, Lucemburgo quoque & Argentorato conceſſuri, dummodo ante Kal. Septembr. exitus rei imponeretur. Per alia tunc atque

que alia diem ex die ducere Germani: quod opportu- 1697.

Tergiverſantur Germani.

nam Argentoratum retinere cupientibus Gallis cauſam præbuit. Ut enim adfuere Kal. fide jam exoluta, urbem non reddituros palam ferebant; viginti dierum præſtituto ſpatio ad deliberandum, quid pro Argentorato dari æquum eſſet. Poſtquam illi ne tum quidem ſatis expediebant conſilia; cum Britannis, Belgis, atque Hiſpanis paciſcuntur in condiciones has:

Condiciones pacis inter Gallos, Britannos, Belgas, & Hiſpanos.

uti Galli, Britanni, & Belgæ oppida, arces, caſtella, inſulas, ubivis terrarum hoc bello adempta invicem redderent: uti Galli præſidia deducerent locis omnibus, quæ poſt fœdus Noviomagenſe cepiſſent de Hiſpanis, nominatim Barcinone, Gerunda, Rhoda, Lucemburgo, Caroloregio, Cortraco, Montibus, Atho: ſi quorum locorum dubia poſſeſſio eſſet, de iis ut intra certum tempus legati inter ſe diſceptarent. Quod ad Britannos præcipue attineret, rogatu regis Galliæ, inſcio tamen Jacobo, adjectum illud eſt: *ut quæ annua pecunia reginæ Britanniæ tribui ſolita eſſet ex more gentis, quamque ſummam addidiſſet Jacobus cum regnaret, eam totam reginæ Mariæ in poſterum perſolverent.* Ita pax conciliata, quod vix ſperabatur. Ad cauſas enim alias, præſertim niſi ſi regnum Jacobus recuperaret, credibile erat nullum fore bello finem. Sed humanis conſiliis potentior neceſſitas fuit. Nam etiamſi valde connixus eſſet rex Ludovicus, ut in ſedem expulſum reſtitueret; nihil profecerat tamen: apparebatque, perſtantem in eadem voluntate, nihil aliud, quam regnum ſuum trahere in perniciem. Conſtituit igitur pacem quærere; ad illud inſuper profuturam, ut fœdus diſſolveretur, quo manente, ſi migraret e vivis Carolus rex Hiſpaniæ, deſperaret ea ſe hæreditate potiturum.

Habitus & oratio Jacobi regis, ſpe in præſens adempta regni recuperandi:

Fertur Jacobus rex, cum primum ex ipſo dicente audivit, in quas leges de terminando bello ageretur cum Auriaco, tuliſſe animo nihil perturbato ſpem ſibi abſciſſam regni recipiendi. *Cernere ſe*, inquit, *temporum adverſitatem, quæ Galliam premeret. Prudenter ſtatuere eum, conſulentem ſaluti populorum ſuorum. Ob illa, quæ fortiter fideliterque feciſſet pro*

1697. *rege amico, gratiam habere: nec dubitare, ſi quando liberata cum Auriaco fide liceat, eadem rurſum pro ſe vel pro filio libenter facturum. Poſcere vero in præſens, ne pateretur in concilio legatorum quidquam pecuniarum Britannos paciſci, quod ſibi quotannis ſubſidii nomine dependerent. Malle nanque extorrem regno qualicunque in fortuna degere, quam vitam ducere perfido populo utcunque obſtrictam.*

qui libellos edit.

Continuo ne ullo tempore videri poſſet ipſe conceſſiſſe, quo jus repetendi regni minueretur; codicillos edit duos, alterum ad Principes Catholicos, alterum ad Heterodoxos: in quibus exponebat, cur æquum eſſet pulſum ſe conjuratione ſcelerata ſuorum ab neutris deſtitui. Legatis etiam ſingulis Principum externorum Lutetiæ tradit libellum, quo quidquid in conventu legatorum de pace transfigeretur cum Auriaco, ut Britanniæ rege, quantum in ſe erat, reddebat irritum. Cum Eritio autem oratore Veneto nonnulla conſtanter locutus de contrariis rebus ſuis, addidit,

Exemplar libelli tradit oratori Veneto mittendum ſenatui.

libellum mitteret ad Senatum: confidere ſe ſe, quo eſſent amore juſtitia ſemperque fuiſſent Veneti patres, probaturos cauſam ſuam. Ac quamvis nullam ex hujuſmodi ſcripto utilitatem ſperaret; putare tamen, non committendum, ut ſtudium religionis, curaque honoris ſibi unquam defuiſſe videretur.

Senatus animus in eum.

Recitatis in Senatu literis Eritii, perlectoque libello regis; conſenſu ingenti laudavere, indignum judicantes præſenti fortuna, in quo regia virtus tanta emineret. Germanis interea indignantibus contra fœderis pacta ſe ab ſociis deſertos, ſtabat primo ſententia, concilio amplius non intereſſe. Metu deinde Gallici belli, quod in ſe unos haud dubie avertebant, permoti; opera Hiſpanorum, inducias quadraginta dierum ab Gallis impetrant.

Inducias impetrant Germani.

Tum hinc illincque rem agitantibus, tandem convenit, *ut pro Argentorato oppida duo, Briſacum & Friburgum traderentur.*

Paciſcitur cum Gallis.

Itaque III Kal. Novembr. peraguntur condiciones: *ut Ludovicus rex Galliæ redderet Lotharingiam, Palatinatum Rheni, Philippoburgum, atque, extra Argentoratum paucaque loca alia, urbes omnes arceſque, quotquot poſt pacem Mo-*

naſte-

naſterienſem & Noviomagenſem imperio ſuo adjeciſſet. Additum diſerte eſt: *ne in urbibus arcibuſve, quæ redderentur, cultus interdiceretur Romanæ religionis:* in eoque concertationis fuit haud parum; acriter repugnantibus Heterodoxis Principibus Germaniæ, qui arguerent, *data initio acceptaque fide ita pacem conventuram, ut cuncta revocarentur ad fœdus ictum Monaſterii; alias tunc res agi, detrahique de fœdere illo, quod longe maximi momenti eſſet*. Vicit tamen conſtantia Ludovici: atque ibi multum profuit legatus Pontificis Marcus Delphinus, ſingulari vir conſilio, Cardinalis poſtmodum creatus; qui juſſus fuiſſet diligenter curare, ut rex in eo faceret pro cætera ſua pietate in religionem Romanam. Hæc Venetias cum eſſent nunciata: rati patres tempus adveniſſe labefactandæ Turcarum potentiæ, Ruzino imperant, ſimul Cæſari gratuletur hoſtes ad Tibiſcum cæſos; ſimul ad eum magis accendendum affirmet, ſe, ne deeſſent occaſioni, majoribus quam ante viribus bellum geſturos. Commendare Cæſar animos Senatus: ſpondereque viciſſim, daturum operam, ne opportunitas ejuſmodi elaberetur. Veruntamen brevi retraxit a propoſito cura ſucceſſionis in regnum Hiſpaniæ creſcens in dies. Madritum legarat Ferdinandum de Harrach, qui ageret cum rege, ut Carolum Archiducem Auſtriæ, filium alterum ſuum, hæredem inſtitueret regni. Cum hoc minus proceſſiſſet: petierat ut ſaltem pateretur filium ire in Hiſpaniam; minime dubius quin, ex conſuetudine orto amore, in poſſeſſione regni relicturus eſſet. Ne eo quidem impetrato; quamvis, ſi jure certaretur, hæredem ſe non ambiguum confideret futurum: tamen haud neſcius imminere vim ab Galliæ rege, qui non diſſimulanter ad hæreditatem ſpiraret eandem, proptereaque multo, quam pro fortuna ſua, iniquioribus condicionibus pacem feciſſet; illud dies cogitabat nocteſque, quemadmodum, ſi bellandum foret, armis quoque fieret ſuperior. Ac ſatis quidem paratum videbat auxiliorum externorum. Nam adjuturos

1697.

Veneti gratulatur Cæſari victos Turcas, incitantque ad bellum.

Sed inde eum retrahit reſpectus Hiſpaniæ.

Nihil impetrat a rege Hiſpaniæ.

Conſilia ejus.

1697. ros Britannos & Belgas, qui ſcirent haudquaquam tutum ſibi, acceſſione Hiſpaniæ augeri opes Gallorum; quique inſuper in fœdere novem ante annis icto id ſpopondiſſent. Verum copiis ſuis, ſi ad Turcicum bellum accederet alterum cum Gallis, ut par utrique uno tempore eſſet, verebatur. Suſpenſum aliquandiu fluctuantemque impulit ad extremum Kinskius, ut quamprimum rediret in amicitiam cum Turcis. Ita nanque ſolicitudine alia quavis ſolutum & liberum, ſi neceſſitas poſtularet, viribus univerſis perſequuturum jus ſuum in Hiſpaniæ regnum; præ quo vix ullius pretii illa viderentur, quæ occupari ultra Pannoniam, vel ſi gereretur feliciſſime bellum, poſſent. Placuit ergo Kinskium ipſum ſcribere ad Pagetum, Britannum legatum apud Turcas, ut mentionem aliquam pacis apte moveret. Quadriennio ante Gulielmus rex, ſcriptis ad principem Viſſiriorum literis, obtulerat ſe Belgaſque, ſi uti vellet opera ſua, pacis cum Cæſare & ſociis conciliatores: neque ad eam uſque diem dederat reſponſum Turca. Solerter Pagetus, literis iis commemoratis, ſignificat Viſſirio, *eandem voluntatem etiam nunc eſſe Britanniæ regis: ſeu bello, ſeu pace opus ſit, gratum fore, ſi, quod alii Viſſirii facere prætermiſiſſent, reſcriberet ipſe aliquid; quo ſaltem probari ſibi ſtudium illius teſtaretur*. Viſa Cuſseimo occaſio neutiquam contemnenda. Quapropter, annuente Muſtapha, cogit ſtatim concilium; cui regem etiam Tartarorum voluit intereſse. Ibi cum purpuratorum exquirerentur ſententiæ: nemo omnium erat, quin ſpem cenſeret tentandam pacis. Et adeo ſimul accepta ad Tibiſcum clades, ſimul fama Gallici confecti belli humiliores redegerant infirmioreſque; ut, vel ſi in perpetuum carendum illis foret, quæ hoc bello amiſiſſent, accipiendam tamen putarent condicionem. Ergo Interpreti Maurocordato negotium datur, exploraret, ecquænam in id facultas eſſet Pageto. Poſtquam in literis ad hunc Britanniæ regis ſcriptum legit Interpres, miſſurum Cæſarem lega-

Statuit maturare pacem cum Turcis.

Ad id Pageto utitur.

Non abnuit Viſſirius;

legatos de pace, quo indiceretur conventus, ſi in hanc legem primam Turca conſentiret: *uti poſſidetis, ita porro poſſideatis*: nihil cunctatus eſt Viſſirius conſilium exequi. Itaque literas Pageto tradit ad Britanniæ regem; in quibus, poſt excuſatam moram, *placere*, ajebat, *Turcarum regi pacificatoribus uti Britannis & Belgis*. Tradit ſimul ſcriptas condiciones, in quas pacem non abnueret, ut tandem aliquando (hunc nanque timori titulum ab arrogantia barbara prætendebat) cædibus tot miſerorum utrinque imponeretur finis. Condiciones erant: *quod quiſque poſſideret, id ut retineret; ita tamen ut præſidia Germanorum deducerentur arcibus Tranſylvaniæ, provinciaque omnis, ſicut antea, ſub tutela utriuſque imperii eſſet: ut Tibiſcum & Petro-Varadinum everterentur*: *ut Poſega, Illok, & Brut in Slavonia, caſtelliſque Croatiæ ad Vanam fluvium decederetur*: *ut in tractu Temeſvarienſi pangerentur termini imperiorum inter Maruſium & Tibiſcum flumina*. Quod ad Polonos: *uti Moldavia excederent; & dirueretur Camenecia*. Cum Venetis vero pax fieret ex formula, *uti poſſidetis*. Confeſtim ab Pageto miſſum cum literis Londinum exemplar condicionum, inde ab rege Britanniæ Viennam. In concilio, alia alii carpebant. *Nam regem Moſchorum cur præteritum? Polonos cedere poſſeſſione Moldaviæ, habereque Cameneciam everſam, indignum videri. Modum vix ullum eſſe iniis, quæ Cæſari adimerentur*. Ruzinus autem, *parce nimis jejuneque ſcriptum*, dicere, *pacem fore cum Venetis ex formula*, uti poſſidetis: *in hoc fortaſſe captare hoſtem inſidiarique: ubi tali formula non tranſigatur inter bonos & æquos; callidæ & malitioſæ interpretationi relinqui locum*: *niſi Veneti, amoto aſtu & fallaciis, plane intelligant, porro poſſeſſuros omnia, quæ nunc poſſideant; normam juris*, uti poſſidetis, *ſuſpectam eſſe*. Quamobrem ſcriptum Pageto, moneret Viſſirium, *ni Moſchorum haberetur ratio; nique recte ex formula*, uti poſſidetis, *paciſci cum ſociis pariter & Cæſare in animum induceret, de pace non agi*. Continuo hæc perſcribuntur ad Senatum Venetum, Poloniæque & Moſchorum reges; ut, ſi ad

1697.

1698.

qui condiciones ſummas tradit pacificatoribus Britannis & Belgis.

Condiciones diſplicent fœderatis

Reſcribitur Pageto.

con-

1698. condiciones accedat Turca, legatorum mittendorum mora nulla ſit. Veneti minime ignorantes, quæ cauſa eſſet approperandæ pacis; ſecuti tempora, Ruzinum ipſum, collaudata prudentia, decernunt legatum. Data huic mandata eadem, quæ aliquot ante annos Venerio: juſſuſque Cæſari ſignificare, *modo ſine fraude paciſcerentur Turcæ ex formula, non recuſare pacem ſenatum*. Eodem tempore per literas gratiæ actæ Britanniæ regi & Civitatibus Belgarum, qui per Lexintonum, legatum Britannum Viennæ, obtuliſſent Ruzino operam ſuam ad pacem inter Venetos & Turcas reconciliandam. Nondum reſponderant Poloni aut Moſchi; cum ab Pageto literæ Hadrianopoli ad Kinſkium perveniunt. *De ſumma ſe Viſſirio jam perſuaſiſſe. Cauſa finium regundorum loca quædam commutanda invicem eſſe; alia, ut occaſio tolleretur certaminum, demolienda. Confidere tamen ſe ſe, diſceptationem de his perbrevem fore. Cæſarem, ſociosque legaturos poſtea in rem præſentem, qui haud ambiguis terminis definirent regiones. Interim ſibi ac legato Belgarum certa mandata mitterentur, ut quamprimum pactiones conficerent*. Offendebat pars non una literarum. Parum e dignitate utilitateque ſua & ſociorum ducere Cæſar, per alienos negotium tantum peragi. Ruzinus, ut judicio erat acerrimo, eventura proſpiciens, inſuper ſubeſſe dolum, arguere: *ſpecie nanque ſtatuendorum finium id quæri ab Turca, ut aliquid illorum per vana commenta eriperet, quæ Chriſtiani jure belli ademiſſent*. Ob hæc Kinſkio optimum viſum, ſimul ut fraus ab Turcis caveretur, ſimul ut appareret venire ab fœderatis legatos de pace, ſcripto explicare ſententiam formulæ, itidemque ordinem rei omnis agendæ; tum ejus exemplum ſubſignatum manu legatorum Cæſaris, & Venetorum mittere ad Pagetum. Erat hic tenor: *legati Turcarum ſcriberent manu ſua, ſcriptumque traderent legatis Britanniæ regis & Belgarum, paratos ſe eſſe ſine dolo malo paciſci cum Cæſare ac ſociis ex uſitata formula juris*, uti poſſidetis, ita porro poſſideatis. *Tum finiretur colloquio locus, ubi legati Cæſaris & Venetorum, pacem cum*

Literarum Pageti ſententia.

Certas condiciones ponit Cæſar.

cum Turcis recte ex formula componerent, extra quam ſi quas 1698.
arces, agros, vicos, caſtella aut ultro citroque reddenda, aut evertenda cenſerent, ad exæquandas utrinque regiones, arcendaſque cauſas rixarum ac turbarum inter finitimos. Præterea jus eſſet Polonis & Moſchis legatis eodem veniendi; ut uno tempore, conjunctiſque conſiliis de pace deliberarent. Etſi, quantum attineret ad Venetos, modo arcibus, quas ceperant, agri ſatis tribueretur, nihil opus erat, æquis jam finibus, permutatione ulla aut ceſſione: patres tamen ab Ruzino, priuſquam ſcriptum ad Pagetum mitteretur, conſulti, ne moram viderentur paci interponere, probaverunt. Per dies eoſdem Kiovienſis Epiſcopus, Auguſti regis extra ordinem legatus ad Cæſarem, ſcriptas attulit condiciones pacis faciendæ cum Polonis: *quæ hi in Moldavia poſſiderent, ea ut retinerent: Turcæ Camenecium redderent incolumem; damnaque armis illata ſarcirent.* Quod præterea petebat ab Cæſare, ut nihil, niſi communiter cum ſociis, tranſigeret; id rex quoque flagitavit Moſchorum. Summam vero condicionum ſuarum ſic complectebatur: *ut præter ea, quæ bello in jus redegerat ditionemque, ultro Turcæ cederent Chertio, arce in finibus poſita Tartarorum, unde ab his excurſiones in regnum ſuum fieri conſueſſent: ſin detrectarent, ut in tertium annum mentio pacis differretur.* In reliquis pollicitus Cæſar fidele ſtudium; ad Chertium quod pertineret, quo ſpes non eſſet voluntate deceſſuros hoſtes; hortatus ſedulo eſt, *ut, dum diſceptaretur de pace, armis expugnandam curaret.* Haud multo poſt Moſchus quidem legatum dixit Procopium Bagdanovvitium Vvoſnizinum, Poloniæ vero rex Staniſlaum Michelovvſckum, Palatinum Poſnanienſem. Ubi autem ex Pageti literis eſt intellectum, regem itidem Turcarum legatos deſtinaſſe Mahumetem Reis Effendum, magnum Turcis Cancellarium, & Alexandrum Maurocordatum; eundem, qui aliquot ante annis miſſus Viennam fuerat; horumque litera ſubſcriptum afferebatur exemplum tabularum, in quibus, ita uti præceptum erat,

Poſtulata ſumma Polonorum,

& Moſchorum;

qui legatos decernunt.

Legatos itidem deſtinat rex Turcarum,

1698. rat, ſententia formulæ explicabatur: Cæſar quoque legatos dixit duos, Volphangum Ottinganum, aulici conſilii præſidem, & Leopoldum Schlikium, ductorem copiarum, Segeduni tunc præfectum; addito Tilo a ſecretis, & Aloyſio Ferdinando Marſilio, cui eſſent bene exploratæ regiones, de quibus diſceptatio difficilior impenderet.

& Cæſar.

Veneti Ruzino jam deſtinato tribuunt Nicoloſium, & Fondrã.

Senatus Venetus legato ſuo Ruzino tribuit Jo. Baptiſtam Nicoloſium ab ſecretis, prudentia virum plurima; adjicitque Laurentium Fondram, rationum fiſci in Illyrico curatorem, quo uteretur in terminanda ibi provincia. Facile inde paſſus eſt Cæſar referre ab ſe Turcam, ut in finibus utriuſque imperii conventus legatorum haberetur.

Conventus indicitur Caroloſtadium.

Lectus locus prope Rittium, ad Iſtrum fluvium, caſtellum eſt jam pridem dirutum, Caroloſtadium nuncupant; medio ferme ſpatio inter Acumincum, & Petro-Varadinum. In hoc ſtatu res cum eſſet: attamen nihil laxarant belli apparandi curam Cæſar & Veneti. Ac Veneti quidem mari terraque connixi ſunt. Ab Cæſaris autem copiis, præterquam caſtris hoſtium caſtra duces contulerunt, actum nihil dignum memoria.

Jacob. Cornelius novus imperator, venit Naupliam.

Novus imperator Molino ſuffectus, initio veris venerat Naupliam. Is erat Jacobus Cornelius, ſenator provecta ætate, per bellum Creticum militiæ artibus eruditus; qui aliquot ante annos Inſulis primum, Peloponneſo mox præfuerat cum imperio. Præter auxilia Græcorum, quatuordecim millia militum invenit, quatuor & viginti maximæ formæ naves, viginti triremes, quinqueremes ſex, aliamque multitudinem minorum navigiorum. In militari concilio, inclinantibus ſententiis ad rem gerendam mari;

Delphinus mittitur ad Helleſpontũ.

Hieronymum Delphinum, qui in præfectura navium celſiorum ſucceſſerat Contareno, claſſe navium earum ac biremibus tribus & viginti, mittit protinus Helleſpontum. Ipſe, Franciſco Grimano, cujus erat Peloponneſus provincia, data Iſthmi cuſtodia, cum tribus millibus militum atque undecim cohortibus Peloponneſiorum; legatoque attributo

Anto-

Antonio Zacco Patavino, clara belli fama, quem nuper 1698. ductorem Bavaricarum copiarum acceſſierat Senatus ad ſtipendia ſua; paulo poſt claſſe cætera Scyrum inſulam contendit, ut, ſi qua ſpes confligendi cum hoſte præberetur, ſe ſe celeriter cum Delphino conjungeret. Delphinus appulſus Lemnum, dies aliquot malacia ad inſulam eſt retentus. Ne tamen inutilis eſſet mora; expoſito milite, Turciſque in arcem compulſis, partem in orientem verſam perpopulatus eſt; conjectiſque ignibus, fumantes incendiis villas per contumeliam Haſſani procul oſtendit. Claſſem hic navium triginta majorum in anguſtiis Helleſponti habebat ad Abydum; evehi in altum non auſus, ne ex hoſtis magis, quam ex ſua voluntate deſcenderet in prœlium. Ut Delphinum cepiſſe Imbrum vidit, jamque faucibus prope ipſis imminere, undique autem veniebat ad aures rumor, cunctationem ſuam Conſtantinopoli ſibi eſſe probro: ſimplici ordine navium egreſſus freto, quam proxime poterat Aſiæ littora navigans, contra Tenedum anchoras jacit; ſatis fidens, tractu maris vadoſo, illum non acceſſurum. Id ipſum, quia indicium haud dubium pavoris, augebat Delphino pugnandi cupiditatem. Ergo multis modis irritat Turcam, ſi indignitatibus accenſum trahere ad certamen poſſet. Ac primo quidem ſolvens Imbro, quo cum roſtratis ab Scyro jam trajecerat imperator, inter Sigæum & Maſtuſiam promontoria, conſtituit claſſem; biremibus ita diſpoſitis, ut nullum navigium ex Ægæo ſubiret Helleſpontum. Ubi ea ignominia nihil hoſtis movebatur, ſeptem triremibus ad eminus laceſſendum procedit. Quando ne tum quidem proficiebat quicquam; nactus ventum ſecundum, claſſe tota Tenedum tranſmittit. Sed hoc quoque conſilium vanum reddidit Haſſanes, parte altera freti enavigans, circumactuſque ad averſa inſulæ, qua in Occidentem vergit. Poſtquam igitur declinantem fugitantemque cogere ad prœlium conatu nullo poterat; abſiſtit incœpto, revehiturque Hel-

Cornelius petit Scyrũ inſulam.

Delphinus Lemni inſ. partem vaſtat.

Haſſanes Tenedum trajicit.

Delphinus eum laceſſit ad pugnam.

Sed detrectat Turca.

1698. leſpontum. Triginta dies ad anchoras claſſis ſtetit in anguſtiis ipſis; ut, interclusis ab Ægæi maris inſulis Aſiaque commeatibus, difficilem annonam Conſtantinopoli faceret. Interea Haſſanes, quem hinc certaminis timor, hinc pudor verſaret obſeſſarum ab hoſte faucium; nunc propius accedere, ſi forte abſtraheret inde, nunc abſcedere longius, ut pugnam vitaret. Arte tandem ipſe ſua prope captus eſt. Nam XVI. Kal. Septembr. auſus magis appropinquare, averterat in ſe Venetum; eodemque tempore cadens repente ventus facultatem adimebat elabendi. Ab ortu ſolis in multum diem claſſes duæ fuere in conſpectu; ut, ſimul percuſſiſſet ventus vela, pugnaturas appareret. Denique vergente in occaſum ſole flare Eurus cœperat, jamque directis navibus in frontem

Qui demum fugam intendit Helleſpontum:

ſubibat Venetus; cum Haſſanes, qui diſcrimini ſe committere utique nollet, arrepta fuga, Helleſpontum petere intendit. Quinque & viginti naves ſectatæ ſunt. Quatuor, quia æquare velocitatem nequibant aliarum, ne ab hoſte interciperentur, flectentes dextra, Tenedum

amittit prætoriã Afrorum.

perfugerunt. Afrorum prætoria, dum recipere ſe eodem præfeſtinat, ad Celydnas inſulas carinam fixit vadis, neque extrahi illinc ulla ope potuit. Delphinus, occaſione dimicandi per ignaviam hoſtis amiſſa, non ideo tamen ſpem prorſus abjecit. Propter littora Troadis ſubſtiterat; in id intentus, ut illum, qui, ne ultima confeſſio formidinis expreſſa videretur, identidem freto evehebatur in altum, priuſquam rediret in tutum, exciperet. Neque ad extremum fruſtra cecidit conſilium. Cum enim XI. Kal. Octobr. provecto paulo longius acriter in-

Egreſſum inde aſſequitur Delphinus ad Lesbum.

ſtitiſſet; hora altera poſt meridiem, non procul Lesbo inſula adeptus, invitum compulit ad pugnam. Naves duæ, Flangini & Foſculi, mox prætoria Delphini ante

Pugnã commiſit.

omnes commiſere prœlium; nec magno labore primam aciem Turcarum disjecerunt. Poſtmodum, ſequentibus aliis, in aciem mediam dato impetu, turbabant ibi quo-

Ex fortuito caſu navis

que ordines; cum ſubito navis Antonii Diedi, inſcitia guber-

Digitized by Google

gubernatoris, graviter incidit in puppim prætoriæ Delphini. Ea res certamen pervertit. Icta navis intortaque in proram eſt; ut excederet ordine: itaque ab navibus quatuor hoſtium illico circumventa, amplius duas horas in periculo fuit. Nam & undique accidentibus telis, procellaque ignium effuſa pene obruebatur; & qui intus erant, ſumma cum difficultate repugnabant, quod neque circumagere navem immobilem poterant, nec reciprocare in ventum adverſum. Ibi nautarum militumque ceciderunt haud pauci. Delphinus fragmentis diffilientium lignorum multis partibus corporis vulneratur: propterque eum ingentis ſpei patricius juvenis, voluntarius miles, Annibal de-Comitibus, ictu ferrei globi abſciſſo brachio, ſtatim expiravit. Animo tamen haudquaquam deficiens Delphinus, ubi primum regi navis cœpit, quantum per armamenta dabatur, corrupta pleraque, contra niti, inſtanteſque barbaros & jamjam invaſuros paulum ſubmovere. Accurrit in tempore Fabius Bonvicinus, præfectus navium celſiorum alter, ex agmine poſtremo; ut, in magna licet imparitate virium, prœlium æquaretur. Nihilo interea ſegnius ab reliqua claſſe gerebatur res. Nec Haſſanes, princeps ipſe pugnam ciens, quicquam quo aut juvare ſuos, aut percellere hoſtem poſſet, prætermittebat. Superabant tamen fere ubique Veneti: ac ne Turcæ quidem abnuunt, ni infortunium prætoriæ proſpere cœptum ab Delphino certamen perturbaſſet, maxima ſe cum clade ſua fuiſſe dimicaturos. Nox intervenit, priuſquam certum undique faceret fortuna, qua datura eſſet vires. Quare propoſitum utrinque ab ducibus ſignum colligendæ claſſis: qui dum abeunt diverſi; abfuit non longe quin Andreæ Cornelii navis amitteretur. Spoliatam armamentis, ab reliquo abreptam agmine conſpicatus Haſſanes; quas celerrimas habebat tota claſſe naves, miſerat ad opprimendum. Et pluribus unam circumſiſtentibus, duæ præſertim ſic ſubierant, ut jam non balliſtis tantum,

[Margin: *1698.*]
[Margin: *ejus venit in periculũ.*]
[Margin: *Vulneratur ipſe.*]
[Margin: *Sed paulo poſt inſtaurat præliũ:*]
[Margin: *quod dirimitur nocte.*]
[Margin: *Diſcrimen navis Andreæ Cornelii:*]

1698\. ſed etiam gladiis ferme collato pede milites prœliarentur. Specimen ibi fortitudinis ab Cornelio editum: fuitque opera præclara cohortis Soardi, quæ in præſidio erat navis. Cum enim ſtrenue obnixi ſemel atque iterum tranſcendentes Turcas repuliſſent, appareretque ad internecionem reſtituros; fracta illis ferocia eſt: itaque cona-

qua ſervatur.

tu vano ad ſuos redierunt. Ab Venetis deſiderati illa die ad quadringentos; in his præter Annibalem de-Comitibus, tribunus Zobel, & centuriones quatuor: ſexcenti vulnerati; inter quos cum Delphino Marcus Ri-

Turca Helleſpontum petunt.

pa, & M. Antonius Diedus. Haſſanem, qui haud paulo majorem amiſerat numerum ſuorum, recipientem ſe inde in Helleſpontum ſecutæ naves duodeviginti: pertuſæ reliquæ ac debilitatæ Phocæam Smyrnamve ægre tenuerunt: una lacerata, quæ aquam acciperet compagi-

Delphinus iterum provocat ad certamen.

bus, ad Chium inſulam ejicitur. Secundum eam pugnam procedentes denuo ad Helleſpontum Veneti, dies complures explicata in frontem acie navium ſteterunt in faucibus. Poſteaquam elici Turca ad certamen non poterat; vellit anchoras Delphinus: & vicinas circumve-

Exigit ab inſulis tributum.

ctus inſulas, Imbrum, Samothraciam, Thaſſum, Caſſandramque, tributum grave imperat exigitque. Dein,

Piræũ trajicit.

multo jam autumno, Piræum trajicit Athenarum portum, quo claſſe roſtratarum paulo ante contenderat Cornelius imperator. Adventu ejus levata metu Peloponneſus eſt. Nuper Thebas advenerat novus præfectus Turcarum, juſſus ab rege quampluriumum armatorum colligere, ireque protinus ad Iſthmi clauſtra tentanda. Et, coacto raptim exercitu, ingreſſus iter Megaram erat. Ubi intellexit, in Piræo eſſe claſſem hoſtium; haudquaquam parem ſe arbitratus, incœpto abſtitit. Hæc in Græ-

In Illyrico Mocenicus imminet Stolatio.

cia. In Illyrico non unæ geſtæ res, neutram tamen in partem eventu memorando. Exitu hyemis legato Mocenico ſpes facta fuerat Stolatii potiundi per proditionem: arx eſt ad Bregnavam, hoc nomine amnem, qui ſupra Citclutum Naronæ flumini commiſcetur; oppor-

tune

tunc poſita ad Zaſabiæ, Popovi, Tribuniique regiones 1698.
tutandas. Turca quidam clam inde venerat, pollicitus arcem traditurum. Ubi & merces, & ratio agendæ rei, tempuſque conſtitutum eſt; præceptum Nuncovichio, ut cum delecta manu popularium ſuorum eo proficiſceretur. Hic locis ſylveſtribus non procul Stolatio occultus cum conſediſſet; nocte concubia accedit ad arcem: confeſtim autem porta, ex condicto, Illyriorum ad ducentos proditor recipit. At, paucis modo cuſtodibus in domo præfecti obtruncatis, dum avide diſcurrunt ad prædandum; ſomno ſopitos milites tumultus excitavit: qui extemplo telis arreptis, jaculari ex ſuperiore parte ædium cœpere. Et uno aut altero Illyriorum cadente, tantus ſubito offuſus cunctis eſt pavor, ut, nequicquam revocante Nuncovichio effuſe fugientes, porta eadem qua intrarant, ſe proriperent. Fraude irrita, non attinere ratus eſt Mocenicus vi uti adverſus paratos ad propugnandum: nam illico præfectus auxilia hominum contraxerat intra muros, aliaque neceſſaria tolerandæ obſidioni. Placuit tamen poſt aliquanto incurſari ab Illyriis hoſtium terras. Ducibus Canagetto & Saviſſa, montes tranſgreſſi, diviſis copiis in Glamoſcam, tractum Boſnæ ad fontes Neſti amnis, impetum faciunt. Ibi, barbaris metu diffugientibus, vicos paſſim diripiunt atque incendunt; magnaque cum rerum aliarum, tum jumentorum abacta præda, domum redeunt. Parte alia, conjunctis viribus Clementes, Cuccique (nomina ſunt populorum, qui inter Oriundum & Barbanam flumina incolunt) auſi penitus in Mæſiam irrumpere. Quo minus timebatur ab Venetis, ut procul finibus eorum, hoc plus terroris præbuerunt. Nullo obvio armato, aliquandiu prædas inulti egere. Tum ferro ignique vaſtitatem circa intulerunt ingentem: quæ res præfectos Turcarum accendit denique ad ultionem. Alius alio tempore, hinc agros, quos ſubiectos habet Verlicca, hinc regionem circa Citclutum infeſtis copiis ingrediuntur. Chulmienſis quoque

Illyrii in arcē a proditoribus accipiuntur:

Mox fugiūt.

Excurſiones in terras Turcarum.

Ulciſci conantur Turcæ.

Baſſa

1698. Baſſa in terras Popovi Tribuniique penetravit. Ubique tamen inſtructam gentem ad reſiſtendum cum inveniſſent: prœlio uno atque altero haud proſpere congreſſi, nequaquam paucis ſuorum deperditis, in tutum receperunt ſe ſe. Plus aliquanto impendebat periculi a Baſſa, cujus erat provincia Illyricum. Mocenicus ubi audiit coegiſſe eum quindecim millia militum, jamque inſtrumentum oppugnandi ad Neſtum flumen comportari: ſuſpicatus Singum peti, primo turmas aliquot equitum, deinde quingentos Illyrios, expeditamque peditum voluntariorum manum Spalato illuc mittit. Ipſe Cliſſam robur contrahit copiarum; unde, ſi neceſſe eſſet, ferret auxilium. Parvum caſtellum, in citeriore Neſti ripa, qua tranſiri optime poterat flumen, moratum aliquandiu

Caſtellum ad Neſtum fl. expugnans.

Baſſam eſt. Dum, conſtitutis in ripa altera tormentis, terrere qui præſidebant, conatur; imperat equitibus, ut ſingulos pedites in equos accipientes, flumen infra vado tranſmittant, muroſque adoriantur. Haud paulo plus, quam fuerat opinatus, difficultatis oppugnatio habuit. Etenim condicionem quancunque aſpernati incluſi, diu acriterque vim ſuſtinuerunt: nec ante, quam ad unum omnes pugnando occumberent, capi caſtellum potuit. Tum Baſſa peditatum reliquum trajicit ponte; vaſtatiſque circa agris ac deuſtis, trecentos ab arce paſſus

Occurrente Mocenico,

caſtra locat. Admoventi machinas repente nunciatur, moviſſe Cliſſa Mocenicum. Ibi incertus parumper hæſit. Ex caſtelli unius expugnandi labore conjecerat, quantum inſtaret certaminis arcem oppugnaturo. Poſtquam obviam miſſi ad explorandum referebant, adventare juſtum exercitum: rem non auſus dare in diſcrimen, ſublatis e veſtigio caſtris, flumen copias tranſducit; reſciſſoque ponte,

excedunt finibus.

ut moram ſequendi hoſtibus faceret, citato agmine finibus excedit. Quies exinde ab armis fuit in Illyrico.

In Pannonia Eugenius & Viſſrius ve-

In Pannonia æſtatis medio Princeps Eugenius & Viſſirius ad exercitus venerant. Hic, quia pro certo habebat, Taurunum hoſtes aggreſſuros, vere ſummo undi-

que

que convehi in urbem juſſerat ex agris, quæ in uſum longi temporis ſufficerent: dederatque negotium Baſſæ, qui præerat, ut ſuper ripam Savi, ab urbe ad Savatiam uſque arcem, continens vallum perduceret. Magna cum cura perfectum opus invenit; ut prorſus confideret, aut non tentaturos tranſitum Germanos, aut ſi auderent, prohiberi poſſe. Collecti utrinque exercitus, ſedenteſque in proximo, quippe dirimente modo flumine, multos dies ſine ullo conatu abſumpſere. Prior movit Viſſirius; jungitque Iſtrum pontibus: dubium ut eſſet, tuendæne Temeſvariæ cauſa, quod Tauruno metuere jam deſiiſſet, an armis appetendæ Tranſylvaniæ, tranſgrederetur. Nihil tum cunctatus Eugenius & ipſe Iſtrum tranſmittit mox Tibiſcum. At ibi quoque quieti uterque prope in conſpectu, ita triverunt æſtatis reliquum, ut inter eos ne procurſatio quidem manipulorum ulla fieret. Ad ultimum copiæ inde, velut ex compoſito, in hyberna utrinque reductæ. Non vana fides eſt, acceſſiſſe duces ad exercitus deſtinatis jam antea in id conſiliis, ut nullum periculum facerent pugnæ. Viſſirium certe ſatis conſtat juſſum ab rege, quæcunque tandem occaſio præberetur, acie non decernere: nam, ſeu victus eſſet, turbari ſpem pacis videbat; ſeu viciſſet, offecturum putabat famæ ſuæ, propter cladem priore anno ſe duce acceptam ad Tibiſcum. Ex poſtremæ belli hujus res fuere. Dum legati de pace Rittium pergunt, quo conventus indictus erat; Venetiis cura quædam domeſtica tenuit Senatum. Proximo anno Pontifex Cardinales aliquot crearat, commendantibus, ut mos eſt, regibus: in his Vincentium Grimanum, Abbatem Lucediæ, petente Cæſare. Dederat ſimul Venetis Georgium Cornelium, apud regem Luſitaniæ tunc legatum ſuum, paulo poſt Patavinorum etiam Epiſcopum ſurrogatum; in quo præter cætera ornamenta familiæ nobilitatis pervetuſtæ, ejuſmodi inerat virtus, ut illi maturandus honos videretur in ea legatione, unde dici Cardinales non ſoliti eſſent. Grimanus, cui

1698.

...nium ad exercitum.

Nulla re tentata per æſtatem, reducunt hybernatum copias.

Vincentius Grimanus & Georg. Cornelius Cardinales creati.

Digitized by Google

1698.

Per Cæſarem conatur Grimanus reſtitui in gratiam Senatus.

cui jam inde ab initio pergrave fuerat incurriſſe in offenſionem Civitatis ſuæ; poſtquam in Cardinales eſt adſcriptus, deprecatore uſus Cæſare, orare non deſtitit, ut ſe patres reſtituerent in gratiam. Ac primo non ſemel Mansfeldius Cæſaris verbis ea de re cum Ruzino egerat: deinde huic ſignificarat Cæſar ipſe, fore ſibi valde gratum, ſi Grimano Civitas reconciliaretur. Senatus, qui roganti, niſi ſolveret leges ſuas, obſecundare non poſſet; reſcripſerat Ruzino, daret operam, ut mentio petitionis iſtiuſmodi intercideret. At cum Vienna diſceſſurus ad Cæſarem adiiſſet, interrogare is, *ecquod reſponſum ſuper Grimano accepiſſet ab ſenatu?* Ibi orator ſilentium patrum excuſare, *verecundia factum*, affirmans, *ne negarent, cui nihil negatum vellent*: continuo apte commemorare *tum legum inviolabilem voluntatem, quæ Grimano adverſaretur; tum metum, ne, ſi Grimanum reponerent loco priſtino, plures deinde ejus exemplo talia peccarent*.

Nihil proficiens Cæſar per Ruzinum, ſcribit ipſe ad Senatum.

Non ultra tunc diſtulit Cæſar, ſcriptis ad Senatum literis, enixe petere, ut ſibi remitterent pœnam Vincentii Grimani Cardinalis. Juſſus, qui Venetiis erat a ſecretis Franciſci Turriani oratoris jam demortui, curare ut a patribus daretur reſponſum.

De ea re diſcordes ſententiæ.

Sexviris, Quinquevirisque referentibus ad Senatum, variabatur ſententiis. Ipſi quidem haud diutius cenſebant abnuendum. At Nicolaus Michaelius ſenator inter alios magnopere ſuadere, *perſtarent patres in propoſito. Non enim parva rei gratiam Grimano quæri: id demum agi, ut ejus impunitate in perpetuum abrogaretur imperium legis*. Contra Benedictus Capellius, unus e Quinqueviris, *temporis magis, quam rei habendam rationem*, oſtendere. *Peſſime publice omitti occaſionem demerendi Cæſaris; qui quo animo eſſet erga Civitatem, quanti referret in pace pangenda cum Turcis, ſatis ipſi cernerent. Neque hoc concedi in perniciem legis. Nam, ut alii fortaſſe eadem poſtea, quæ Grimanus, delinquerent; quem poſſe tamen ſibi ſpem confingere nanciſcendi opportunitates hujuſmodi ad veniam impetrandam?*

Demum patres grati.

Sententiam hanc probante majore parte Senatus; lex perfertur,

ſertur, reſtitui in gratiam Cardinalem Grimanum: re- 1698.
ſcriptumque, *donari pœnam ejus Cæſari*. Inter hæc ad Rittium convenerant undique legati. Ac principio placuit, in tractu regionis, quæ Acumincum interjacet & Petro-Varadinum, inducias eſſe; certo ſpatio latitudinis definito, quod partem etiam præterfluentis Iſtri complecteretur. Tum orta contentio inter Polonum & Moſchum, mox inter Venetum & Polonum, uter loco præcederet alteri: quæ ut tolleretur, optimum cenſuerunt Germani redigere in quadratam formam tabernacula; & ita congredi legatos, ut communi conſenſu locus, quo ſederet quiſque, diſcrimen nullum dignitatis faceret. Continuo Pageto & Jacobo Collierſio legato Belgarum legati ſinguli fœderatorum ſcriptas dedere condiciones, quas ſibi crederent æquas. Venetorum omnes referebantur ad formulam, *uti poſſidetis*: niſi quod inſuper poſtulabant, *ſibi ut reſtituerentur templa duo, D. D. Franciſci & Antonii in oppido Pera; atque ut Chiis jura adempta, quod ſecuti Venetum eſſent, ac facultas colendi ſacra Romana redderentur*. Viſa illis duo hæc minime impetrabilia. *Quam enim ſpem eſſe, Turcas voluntate mutaturos, quæ in Chios ſibi ſubjectos, jure belli, ac merito eorum ſtatuiſſent? Lege autem Mahumetica vetitum concedi Chriſtianis templa, ſemel verſa in uſum Meſchitæ: credere ergo non petendum, niſi eo conſilio, ut facilius deinde locum novis ædificandis templis Turcæ aſſignarent*. Polliciti nihilominus uterque, nuſquam, ubi ventum foret in colloquium, operam ſuam legato Veneto defuturam. Quod priuſquam indicitur, non una iidem conſtituerunt, quæ ſervarentur ab legatis. Primum quidem, *jus eſſe cuique privatim adeundi pacis conciliatores: inducias ibi obtinere, uſque dum exitus rei imponeretur: familias eorum in omnibus modeſte ſe ſe gerere: licere nulli poſt occaſum ſolis pedem tabernaculis efferre*. Tum addebantur duo: *ſi cui de condicionibus cum Turcis ante alios conveniſſet, is ut tabulas pactionum traderet conciliatoribus, ne liberum eſſet quidquam deinde adjicere demereve: ut nemini cauſa eſſet diſceptationis trahen-*

ficantur Cæſari.

Rittii conveniunt legati.

Contentio inter eos de loco tollitur.

Poſtulata ſua ſinguli tradunt pacificatoribus.

Hi certas leges conſtituunt ſervandas a legatis, & familiis eorum: tum alias de ordine paciſcendi:

1698. *trahendæ; ac ſi quis difficilem eam haberet, ut conarentur pro ſe quiſque cæteri, de quo ambigeretur, expedire: quod ſi neque tum conveniret; ut legati alii tranſigerent cum Turca: qui autem nondum tranſegiſſet, id ut illi ne fraudi eſſet, loco ac tempore præfinito, quo deliberare de rebus ſuis, & componere ad ultimum pacem poſſet.* Lætanti animo accepere hæc Germani, cautum rati ne qua negotio, quod maturari cupiebant, interponeretur mora. Ne Polonus quidem abnuit aut Moſchus, etiamſi novæ condiciones pertinebant ad ipſos præſertim: certamen nanque haudquaquam modicum inſtabat de iis, quibus ultro cedere Turcam volebant. Ire contra unus Ruzinus, hic quoque prope divinans quæ deinde contigerunt. *Cur enim qui æquo fœdere conjuncti geſſiſſent hactenus ex ſententia bellum, non conſentire ad extremum inter ſe, quo utiliorem pacem faciant? Compulſum cladibus Turcam optare vehementer belli finem; nec honeſta aſpernaturum, ubi intelligat, niſi cum univerſis in amicitiam redeat, ſpem tranſigendi nullam eſſe. Data autem ſingulis poteſtate proprie ſibi paciſcendi, fortaſſe facilem ſe præbiturum adverſus primos: at ſi poſtmodum elatus iniqua ab aliis poſtularet, nonne prodi illum maxime, qui poſtremus, temporis incluſus anguſtiis, ne expers ſit pacis, qualeſcunque condiciones cogatur ſubire?* Sed quando adverſus tendendo nihil movebat ſocios; ab legatis Cæſaris petit, ut ſaltem, ſi inter eos & Turcas ante Venetos conveniret, ne prius conventorum tabulas traderent pacificatoribus, quam ipſe quoque pactiones confeciſſet. Ac promiſerunt quidem. Veruntamen quia cernebat, nimis eos de pace laborare; veritus, ubi ad rem eſſet ventum, ne labaret fides, perſcribit omnia ordine ad Senatum: rogatque, ſi Turcæ, formulam ſibi interpretando agendoque perperam, moram injiciant cum periculo ne ultimo loco paciſcens ipſe in condicione deteriore ſit; ut quid ſe facere velit, oſtendat. Per idem tempus vulgatur, quod nova cauſa Cæſari eſſet approperandæ pacis. XIV. Kal. Sept. inter Galliæ Britanniæque reges & Civitates Belgarum

quas arguit unus Ruzinus:

fruſtra.

Itaque certiorem facit ſenatū.

Partitio Hiſpaniæ regni compoſita inter

1689.

Gallos Britannos & Belgas.

rum conſtitutum fuerat: *Ut, ſi Carolus rex Hiſpaniæ moreretur ſine liberis, ad vitandum bellum quod impenderet, regnorum ejus hæc Partitio foret: ut rex Galliæ ac Delphinus filius, regnum Neapolitanum, Siciliam, inſulaſque atque arces in maritima Hetruriæ ora, Guipoſcoam quoque provinciam ad Pyrenæos montes, nominatim oppida duo, Fontem Rapidum & Fanum S. Sebaſtiani haberent: ut Carolo Archiduci Auſtriæ, Leopoldi Cæſaris filio natu minori, Mediolanenſis Ducatus attribueretur: Ferdinando autem Joſepho, prognato ex Antonia, filia Margaritæ ſororis Caroli regis* (hæc Leopoldo, ut eſt dictum, Cæſari nupſerat) *& ex Maximiliano Emmanuele Duce Bavariæ, ut Hiſpania cederet.* Adjecerant: *ſi quis illorum, qui jus ſibi eſſe in eam hæreditatem arbitrarentur, repugnaret, is ut armis contineretur.* Hoc magis Ruzini literæ patres permoverunt. Itaque cum aliquandiu ſententiis certatum in Senatu eſſet, viſum eſt demum, ibi uti potiſſimum adjutore Cæſare. Juſſus Franciſcus Lauredanus, ea in legatione ſucceſſor datus Ruzino, coram commemorare, *quanto ſtudio, quantoque ardore ſuſcepiſſent, geſſiſſentque multos annos Veneti id bellum; quam prompto animo ſecuti eſſent voluntatem inclinantis ad pacem:* continuo petere, *ut in tanto momento rerum, Turcis, ut apparebat, fraude acturis, faceret ipſe quoque ex fide ſociali; neu pateretur, abjunctos ab ſe perpelli ad minus æquas condiciones pacis.* Æger tum morbo erat Cæſar. Per Kinskium tamen expoſitis mandatis Senatus, haud ita multo poſt redditur Lauredano reſponſum: *quod ſocii ſit fidelis & grati, libenter præſtare Cæſarem: ſcriptis ſtatim literis, præcipere legatis ſuis, prædicerent Turcis, fruſtra tentari ſpem pacis, niſi amoto dolo paciſci ex formula in animum inducerent; ipſi autem nihil conficerent, niſi communiter cum legato Veneto.* Sed hi jam ſemel atque iterum convenerant ad diſceptandum. Atque principio de parte Pannoniæ ultra Tibiſcum, quæ circa Temeſvariam eſt, agentibus; poſtularant Turcæ, ut Cæſar præſidia devocaret Lippa, Genadio, arcibuſque & caſtellis omnibus inter Iſtrum, Maruſium, & Tibiſcum flumi-

Senatus per Lauredanū petit a Cæſare, ne ſeorſim paciſceretur.

Reſpondet Cæſar per Kinskium.

Poſtulata Turcarum in concilio.

1698\. flumina. Iniquum id videri Germanis: queríque, fruſtrationem formulæ eſſe. Contra defendere Turcæ, non fieri præter formulam, quæ, quo ſtabilior pax eſſet, ceſſiones locorum non vetaret: & vere aliter tutam non fore poſſeſſionem Temeſvariæ.

Abnuunt primo Germani.

Utriſque pugnantibus pro ſententia, jam ex diſceptatione altercationem fecerant: itaque ergo irrito inceepto dirimitur colloquium. Paulo poſt denuo congredientes, ut de re eadem diſputarent, ſumma contentione aliquandiu inter ſe certaverunt; nihil ut prorſus crederetur conventurum.

inde aſſentiuntur.

At repente, quod demirari ſatis legati alii non poſſent, conceſſere Germani: eo autem initio crevit ſpes Turcis, cum alia ſe ablaturos ſimiliter Cæſari, tum hujus exemplo facilius inducturos fœderatos cæteros ad illa, quæ petere deſtinaſſent, remittenda. Secundum legatos Germanos in colloquium venit Ruzinus.

Congreditur ad colloquium Ruzinus.

Et ſalutatio hoſpitalis ac benigna fuit: & præparata oratione Maurocordatus nonnulla de Peloponneſo (placuerat nanque omnium primum conſtitui de Græcia) locutus eſt magnifice. Tum *eam univerſam Venetis habendam permittere* ait, *regem Turcarum; ita tamen ut Naupacto, Antirrhio, & Nicopoli præſidia deducerentur.*

Turcæ repetunt Naupactum aliaque.

Renuenti Ruzino inſtant Turcæ.

Refragante Ruzino fidenter, & fraudem arguente, *qua, per ſpeciem finiendæ juſtis regionibus Peloponneſi, adimerentur Veneto arces ſitæ extra Peloponneſum in Locride & in Epiro*: mirari Maurocordatus & Effendus, *rem perlevem, quæque, ſi æqui eſſet cura, etiamſi non peteretur, ultro videretur dimittenda, denegari. Naupactum enim, rupem verius quam arcem, quid ad extremum aliud, quam receptaculum fore Peloponneſiis incurſantibus Achaorum terras? Antirrhium, quia nihil referebat defendi, ab cuſtodibus, prius etiam quam Venetum militem viderent, deſertum. Nicopolin vero exiguum caſtellum, nullis munimentis tutum, Turcicis terris cingentibus, quam Venetis utilitatem præbiturum? Quando Græciam continentem omnem haberent Turcæ, indignum profecto eſſe, paucis atque obſcuris locis non redditis, poſſeſſionem denormari. Si qua iſtiuſmodi forent in Peloponneſo, haud dubie ceſſurum ſponte regem*

ſuum,

1698.

ſuum, ut provinciam integram ac nuſquam interciſam obtinerent Veneti. Ad ea Ruzinus formulam objicere, *quæ ita poteſtatem alteris faceret repetendi occupata ab alteris, ut communis inde utilitas proveniret. Nunc ipſos, propriam regis ſui impotentius quærentes, dedita opera extenuare verbis, quæ reſtitui ejus intereſſet; at pro quibus decreſſent nihil invicem tradere.* Tum demonſtrando arcium & maris, cui imminerent, ſitum; *non illud ſolum agi*, oſtendebat, *ut arcibus iis ſpoliaretur Venetus, ſed etiam ut ſinus Corinthii & Ambracii poſſeſſione, quod multo eſſet durius, pelleretur.* Hæc atque talia ultro citroque cum diu jactaſſent; exaſperati ſunt animi, vanaque diſceptatio fuit. Eundem exitum non ſemel diebus inſequentibus tentata res habuit: quo tempore arte multimoda uti Maurocordatus & Effendus, ut Veneto perſuaderent, nunc acrius inſtando, nunc agendo mollius; poſtulantes poſtremo, ut, ſi nihil aliud, liberaliter, atque amicitiæ ſaltem cauſa daretur. Nullam in id facultatem contulerat Senatus: itaque liberum haudquaquam Ruzino erat vel minimum a formula declinare. Interim cura eum ſolicitabat non levis. Nam in colloquiis aliis Germani jam conceſſerant pleriſque illorum, quæ deinceps flagitarat Turca. Polonum itidem, fide accepta reddendæ Cameneciæ, ſenſerat non magnopere de Moldavia laborare: Moſchum vero diſceptationem unicam, quæ ſupereſſet de arcibus ad oſtia Boryſthenis, in aliud tempus paratum rejicere; nec recuſare, quominus interea annorum duorum eſſent induciæ. Quocirca non modo futurum providebat, ut Senatus, ne unus morari videretur pacem, Græciæ loca hæc remitteret; ſed ceperat etiam metum, ne Turcæ, ad ultimum cum ſolis Venetis habituri certamen, ferociores redditi, poſcerent in Illyrico multo iniquiora. Ergo ſolerti uſus conſilio, occupat pertentare animum; arbitratus, ubi ſemel poſtulata ſua pronunciaſſent, haud facile poſtmodum graviora adjecturos. Quando Maurocordatus, priuſquam de Græcia ſtatueretur, negabat utique audire de Illyrico: cum lega-

Cauſas negandi exequitur Ruzinus.

Turcæ ante alia Ruzini tentant.

Interea de multis convenit Turcis cum legatis aliis.

Fruſtra conatur Ruzinus de Illyrico prius diſceptare.

Cõfugit ad pacificatores:

1698. legatis Cæſaris, Pagetoque, & Collierſio vehementer queſtus fraudem, contendere inſtitit, ut ſibi adeſſent; neu ludificari prima conventa ſinerent, quæ Senatus certa ratus & firma fore, pacem ſibi faciendam delegaſſet. *quos experitur minus æquos cauſæ ſuæ.* Verum hi, præterquamquod egregium ſtudium teſtati verbo ſunt, adjuvere ferme nihil. Pagetus inter alios *tametſi negatum iri ab Turcis proſpiciat, acturum ſe tamen cum iis*, ſpondet, *ut recte ex formula tranſigant*. Cæterum, *haud novum eſſe*, ajebat, *ubi ventum ſit in colloquium, quæ pacta fuerint antea, in omnibus non ſervari. Cum alibi paſſim id uſuveniſſe, tum nuper in Belgio: quam multa enim detracta de fœderibus ictis Monaſterii & Noviomagi, ad quæ tamen Galliæ rex cuncta ſe revocaturum pollicitus initio fuiſſet? Quod autem plurimum obſit Veneto; jam Germanos, Polonoſque, & Moſchos, concordiæ cauſa, ultra tendere adverſus cupiditatem Turcarum noluiſſe. Summopere timere ſe ſe, niſi ipſe pro tempore capiat conſilium, ne tranſigere denique ſeparatim ab aliis cogatur.* Hoc ſtatu rerum, Kinſkii literæ perferuntur ad legatos Cæſaris. Et paulo ante Ruzinus ex Lauredano intellexerat, quid ſe affirmaſſet Kinſkius idem, juſſum ad illos perſcribere. Quamobrem iis extemplo aditis, poſtulat, *ut, quando obſtinatum eſſet Turcis violare formulam, denunciarent, non agi de pace*. *Fruſtratur ſpe, quam Lauredano fecerat Kinſkius.* Poſtquam minime perplexe abnuebant, aſſeverantes, *nihil ultra mandatum ſibi, quam ut ſimul cum Veneto paciſcerentur; ac, ſi quid rem diſtineret, nulla autem opera ſua flectere Turcas poſſent, tum hortarentur eum, ut in bonum commune ſineret ſibi perſuaderi*: ſenſit ibi tandem, *Perſcribit omnia ad Senatum.* quid ſperandum auxilii ab ſociis eſſet. Quare ſtatim, quanta in difficultate verſetur certiores facit patres: *ſi pergat obtundere, ſæpius eadem nequicquam agendo, ſatis perſpicere, fore, ut, excluſis Venetis, pax componatur*. Apparebat haud ex vano metum hunc eſſe. Ergo, quod ſolet, cum deliberatio tenet ardua; coactum ab Sexviris concilium eſt, cui omnes intereſſent, quotquot eum geſſiſſent magiſtratum. Ibi tribus dictis ſententiis; una *Cæſarem per literas rogandum* cenſebat, *ut legatis ſuis cauſam Venetorum*

vehe-

1698.

vehementius commendaret: altera *Ruzino, quæ a Turcis petebantur, concedendi facultatem tribuebat*: tertia decernebat, *ſimul faciendum utrumque; ut, ſi forte minus proficerent apud Cæſarem, quod mora allatura damni videretur, præverteret Ruzinus.* Hæc ſententia vicit deinde in Senatu.

Senatus ſententia.

Data igitur copia Ruzino, *pro ut res ferret, remittendi hac paulatim, & tantum ſingula, Nicopolin & Naupactum: ac Nicopolin quidem evertendam utique; Naupactum autem, ſi inſtarent pertinacius Turcæ, in quo ſtatu tunc eſſet: tum jus tributum exigendi ex Ambracia atque inſulis Egæi maris; partem quoque Acarnaniæ ad Ambracium ſinum; demum ne tenderet de templis duobus in oppido Pera, modo tamen aliis condendis locus aſſignaretur.*

Ad Ruzinū mandata;

Uno tempore datæ ad Cæſarem literæ, quas Lauredanus ubi traderet, voce inſuper excitaret ad adjuvandum.

ad Lauredanum cum literis ad Cæſarem.

Utrobique Senatus voluntas curata diligenter eſt. Lauredanus, qua erat ſapientia & vi facundiæ, uſus apud Cæſarem oratione accommodata, huc pervenerat,

Juſſa exequitur Lauredanus.

ut indignum eſſe oſtenderet, *Turcas in tali fortuna tam licenter eludere. Quale quantumque imminere dedecus, ſi pateretur, inferiores bello, victorum more dicere leges pacis, &, quibus velint, mulctare qui viciſſent! Proclivitatem unam ad concedendum extuliſſe illis animos ad ſuperbiam intolerandam. Non ignorare eoſdem tamen, copiis, quas prius avocaret Gallicum bellum, in ipſos converſis, fore ſe in periculo multo quam ante majore. Si increpando aviditatem minitandoque, acriter obſiſterent legati ejus, profecto non recuſaturos condiciones, quas æquum eſſet victos a victoribus accipere.* Viſus his Cæſar permoveri. Profeſſus nanque voluntatem pronam in Venetos,

Cæſaris reſponſum.

deliberaturum ſe cum ſuis, reſpondit, *quonam modo fieret, quod peterent patres.* Kinſkium quoque pene adduxerat in ſententiam Lauredanus, maxime gloriam objiciendo, in qua futurus eſſet ipſe arbiter conſiliorum prope omnium, ſi efficeret, ut quemadmodum fœderatorum nullum pigeret belli geſti, ita neque pacis compoſitæ pœniteret. At improviſa res disjecit prorſus operam legati. Per dies eoſdem illos venerunt Madrito literæ afferen-

Interveniūt literæ Madrito de te-

ſtamento Caroli regis.

Excuſat Kinskius neceſſitatem pacis approperandæ.

1698. ferentes, Carolum conſcripto teſtamento, hæredem regnorum Hiſpaniæ inſtituiſſe Ferdinandum Joſephum, Electoris Bavarici filium. Tunc enimvero præ hac cura nihil tanti habitum, ut mora ulla fieret paci cum Turcis. Itaque Kinskius ad Lauredanum veniens expromit: *ægre ferre Cæſarem, quæ cauſa Venetorum valde cupiat, præſtare etiam non poſſe. Providere nanque, ad irritum caſuras minas, deficiente facultate ad cogendum. Polonum & Moſchum eo jam proceſſiſſe, ut ſpes non ſit diſſoluturos, quæ cum Turca pepigerint. Si autem hic, quod certamen ſibi futurum cernat cum ſolis Germanis & Venetis, perſtet in propoſito nihil mutandi; apparere, aut continuandum bellum, aut leges pacis, quæ nunc diſplicerent, poſtmodum cum ignominia accipiendas. Bello, quod propter ſumptus ingentes dudum grave ſit, qui pares ſe deinde fore, hoſte premente mole univerſa virium? Propterea conſilium eſſe, quoad ejus fieri poſſit, condicionibus æquis reconciliari ocyus pacem. Quod unum tam difficile tempus fecerit reliquum, daturum negotium legatis ſuis, ut quam minimum eorum, quæ in Venetorum poteſtate ſint, Turca detrahat*. Ruzinus,
1699. acceptis mandatis Senatus, deque iis, quæ Viennæ acta eſſent, admonitus ab Lauredano; majore animo, quam ſpe, ad rem aggreditur. Ac primo quidem operam expoſcit legatorum Germanorum, quam ſedulam & fidelem Venetis non denegarent, optime eo bello de Cæſare meritis. Pagetum poſtea & Collierſium impenſe rogat, interponerent auctoritatem ſuam, ut poſtulatis iniquis in concilio abſtineretur. His benigne quidem ſpondentibus, at impetrantibus nihil tamen; venit in colloquium cum Turcis, legatis etiam Cæſaris, quod illi petierant, adhibitis. Ibi Maurocordatus & Effendus præfati ſpecioſa verba, *jam contentione relicta, ſedatis animis diſceptationem ad exitum perducendam*; idemque ſtudium pacis ſerio præferentes Ruzinus & Germani, fecerunt initium agendi Peloponneſum. Vertebatur, Megaridis ne montibus hæc terminaretur, quod poſtulabat Ruzinus; an, quod Turcæ flagitabant, arctiſſima parte Iſthmi, qua olim

Colloquitur denuo Ruzinus cum legatis Turcarum.

Diſceptatio de finibus Peloponneſi.

lim murus objectus erat. Incuſare Maurocordatus: *quia* 1699.
cupido ſtimularet aliquid poſſidendi in continente Græcia, novos ſtatui fines extra Peloponneſum; præteritis illis, quos antiqui, muro inædificato, tanquam non dubios poſuiſſent. Contra Ruzinus defendere: *non alio ſpectare Venetum, niſi ut tuta & tranquilla poſſeſſio Peloponneſi foret. Cum enim muri Iſthmum intercludentis vix extarent tum veſtigia; cur apertam potius & injuriis expoſitam tribui Veneto, quam obſeptam montibus, quos ſteriles atque præruptos natura excitaſſet in proximo, ut termini & repagula eſſent?* His atque ejuſmodi aliis cum diu fruſtra certaſſent; Germani autem non ſemel conati Turcas mollire, nihil profuiſſent: ad illud deſcendit Ruzinus, ut *pro iis, quæ ad finiendam certis regionibus Peloponneſum peterentur, dimiſſuros Venetos*, diceret, *jus exigendi tributum ab inſulis Ægei maris*. Sed uſque adeo condicio nihil movit, ut cum Maurocordatus illico negaſſet, quidquam ſe auribus admiſſurum, priuſquam conveniret de Peloponneſo; Effendus indignatione etiam accenſus, vix temperaret a contumelia. *Jam ferri ludificationem non poſſe*, clamitat. *Aliena ut eripiat, largiri Venetum, quæ juris aut ditionis ejus ante bellum non fuiſſent. Si expleri nequiret aviditas poſſeſſione Peloponneſi, regionis omnium ampliſſimæ & pulcherrimæ, quas uſpiam eo bello amiſiſſet rex; quin, miſſis ambagibus, rem ipſam eloqueretur? Stare ſententiam, omnino ante occaſum diei ejus decerni.* Irritatis utrinque animis; placuit, ne vana prorſus opera abiretur ex colloquio, ſpatium temporis ſumere ad cogitandum inibi, an ratio aliqua controverſiæ expediendæ inveniretur. Poſtquam conſilium aliud ſuccurrebat nullum: viſum Germanis, Maurocordatum ſcribere, quid æquum cenſeret ſtatui de Peloponneſo; ut, ubi de continente Græcia deque Illyrico conveniſſet, rurſus de Peloponneſo deliberarent. Ergo, magis non repugnante, quam concedente Ruzino, Maurocordatus ſcriptam Germanis tradit condicionem: *haberet Venetus totam Peloponneſum, cujus eſſet finis reliquiæ muri, quo Iſthmus priſcis temporibus claudebatur.* Mox orſi diſce-

Concedendo, nihil proficit Venetus.

Contumeliis verborum non parcit Effendus.

Placet Germanis, Maurocordatum ipſum ſcribere quid ſtatuat de Peloponneſo.

1699.

Diſceptant inde de continente Græcia.

Super Ambraciam, aliaque,

Naupactū incolumem ſibi adjicit Turca, Antirrhium, & Nicopolin.

Negat Ruzinus.

Pertinaciter tendente Maurocordato,

dirimitur colloquium.

Literæ Ruzini ad ſenatum.

Senatus ſententia.

diſceptare de continente Græcia. Poſtulare tunc etiam Turcæ, ut Venetus locis omnibus decederet. Ruzinus, quando ad formulam revocando nihil proficiebat, Ambracia cedebat primum, deinde parte Acarnaniæ ad ſinum Ambracium. Ut Turcæ, *nihil agi, niſi cuncta reſtituerentur*, denunciabant: gravate ille, & tanquam ſtudio uno gratificandi, *everſam Naupactum redditurum Venetum*, ait. Callide ibi Maurocordatus, tanquam ſi de Antirrhio ſimul & Nicopoli conceſſum eſſet, flagitare, *ut ſaltem Naupactus ſtantibus muris traderetur. Se quoque tendentibus magnopere Polonis, ut haberent Cameneciam incolumem, non adverſatum*. Tum Ruzinus: *aliam Cameneciæ condicionem eſſe. Hanc ut intactam reciperet Polonus, quinque arces in Moldavia dediſſe: Naupactum, ſi vetera requirantur, urbem dirutam, impenſis Venetorum quondam reſtitutam, qui æquum eſſe habere Turcas non gratis ſolum, ſed etiam cum damno alio abdicantium? inde nanque ſinus Corinthii poſſeſſionem haud dubie turbari*. Ita refellentem interfatur Maurocordatus: *jamdudum intelligere ſe ſe, non vere eum de pace agere, nunc rem trahentem adjectione illiberali, nunc de parvis pertinaciter decertantem. Seu bellum geri mallet ſenatus, ſeu induciis interpoſitis differri pacem, licere utrumque per regem Turcarum: utrum placeret, aliquando tandem indicaret; neu ſpem cæterorum fallacibus colloquiis diutius fruſtraretur*. Haud paſſi ſunt Germani in jurgium, quod prope aberat, erumpere contentionem. Ergo in diem alium rejicitur concilium. Interim Ruzinus, quæ acta eſſent, perſcribit ad Senatum: ſimul *premi ſe anguſtiis* demonſtrat: *vereri enim ne, cum ſocii ſua quiſque jam compoſuiſſent, longiorem moram non ferrent*. Ac patres quidem non diutina tenuit deliberatio. Nam tunc quoque Sexviris omnibus convocatis, hiſque cenſentibus, quanquam injuſta poſtulabat Turca, parendum tamen tempori eſſe; eam ſententiam Senatus comprobavit. Verum, approperarent quantumvis patres, major in conventu legatorum cura erat ad exitum feſtinandi. Germani fidem dederant Turcis, intra decimum quintum diem,

diem, qui dies erat futurus a. d. VI. Kal. Febr. condiciones peracturos. Polonus diſceſſum jam parabat: Moſchus autem, *quod maxime pro Veneto vellet, non eſſe*, ajebat, *liberum ſibi; legatis Cæſaris in propoſito perſeverantibus, ultra præſtitutum diem non prolatare*. Nec rogatu ullo, ullave gratia Ruzinus impetrare ab his potuit, ut expectarent Senatus reſponſum. *Plus nimio productam rem*, cauſabantur: *dudum ſe juſſu Cæſaris prædixiſſe, maturato opus eſſe: Viennæ quoque Lauredanum non ſemel præmonitum: niſi intra ſtatum tempus negotium ipſe abſolvat, facturos ſe quod e rep. Venetorum eſſe videretur, ne eis mora noceret*. Haud multo poſt, petentibus Turcis, venit denuo in colloquium; legatis itidem Germanis accitis. Ibi recuſantibus Turcis audire de Illyrico, cujus protinus mentionem injecerat; rediit ſermo de continente Græcia. Eam univerſam Maurocordato obſtinate vendicante; coactus poſtremo eſt ad condiciones deſcendere. *Everſa quoque Nicopoli, ceſſurum Venetum*, ait, *locis omnibus, uno excepto Antirrhio: quod, ut ſuſpicio quævis amoveretur, ſine agro retineret*. Tum præfracte Maurocordatus, velut tergiverſationem non ferens, nequicquam illo diſſentiente, pactiones exaravit arbitratu ſuo. Inde actum de Leucade eſt, quam conceſſit obtinendam Venetis una cum Leucadia inſula. Continuo diſceptatio excepit de Illyrico. Negabat, *admodum noſſe ſe, aut Effendum, ſitum finesque regionis: ſatis tamen eſſe*, affirmabat, *ſi præcipuæ arces nominarentur, Tinninium, Singum, Citclutum: nam de reliquis, quæ haberentur momenti minoris, viſuros illos, quos in rem præſentem rex & ſenatus Venetus mitterent*. Fraudem, id quod erat, ſubeſſe ſuſpicatus Ruzinus, *haud temere confuſeque agendum*, monere: *& cum arces non ignobiles alias, tum Caſtrum Novum, montes quoque, qui minime controverſioſi termini forent, atique ſilentio non prætermittenda*. Cum multa hinc atque illinc dicta eſſent: demum, ut ſi quis dolus necteretur, oſtenderet ipſe ſe, petenti Maurocordato permiſſum, ut condiciones ſcriberet. Provinciam dividebat omnino in partes tres.

1699.

Finitur a Germanis dies peragendis condicionibus.

Inſtant omnes Ruzino ut maturet.

Colloquium novum.

De continēte Græcia concedit Venetus; excepto Antirrhio.

Sed id quoque ſibi vindicant Turcæ.

A?us eorū in cōtroverſia de Illyrico.

Fraudem ut revincat Ruzinus,

permittitur condiciones ſcribant.

Digitized by Google

1699. Prima fere fluviis continebatur, Titio & Narona: Tinniniumque, Singum, Citclutum, atque arces cæteras, ſi quæ intra fines eos eſſent, Venetis attribuebat. Alteram hinc Narona flumine, hinc Caſtro Novo terminans, unum modo diſerte cavendo, ne quid terras Epidauriorum ab Turcarum terris disjungeret, Zaſabia, Popovo, & Tribunio, ſuppreſſis horum nominibus, ejiciebat Venetum. Pertinebat tertia ad Caſtrum Novum, quod Venetus cum omni agro retineret. Malitia ſe cum prodidiſſet, recenſeretque ordine Ruzinus ſingula, quæ adverſus formulam arte iſtiuſmodi adimebantur; Maurocordatus vero ipſum ſibi fingere talem metum dictitaret; neque enim ſe alia mente hæc tantum loca nominaſſe, niſi quia abſonum eſſet dignitati regis ſui plura recenſeri, quorum jacturam feciſſet: neutro cedente alteri, re

Colloquio abit re irrita: quid ſurripiatur a Turcis oſtendit legatis Cæſaris:

infecta ſolvitur colloquium. Vix digreſſos Germanos convenit Ruzinus: ſubjectaque oculis deſcripta forma regionis, & ſitu arcium, fluviorum, montium, demonſtrat, tum alibi haud parva nonnulla, tum ultra Naronam tractum ingentem aſtu eo ab Turcis ſurripi. Quod autem recuſarent certos terminos locorum nunc definire; ſpectare illuc, ut deinde inter definiendum certando rixandoque alia ad ſe raperent: qua calliditate deceptus Venetus, Cretico bello confecto, itidem in Illyrico multa

auxilium eorum expoſcit.

amiſiſſet. Itaque etiam atque etiam rogabat, hoſtium aviditati aliquando occurrerent. Promittentibus iis, ſi unquam ante alias, prolixe: poſtero die rurſus congrediuntur

Colloquium ultimum.

ad colloquium, quod ultimum, idemque inane fuit. Ibi profeſſus Venetus, *ſe dum æquis legibus liceret, nihil*

Condiciones ponit.

morari pacem; contendebat, *ut initium novorum finium ab Zuonigrado duceretur; inde arces ſingulæ nominatim conſtituerentur, quæ termini eſſent, deſignato cuique certo agri modo: tum etiam ut nominatim determinarentur regiones inter Neſtum & Naronam flumina, quæque ultra Naronam eſſent, inter Turcarum terras & Epidauriorum.* Nequicquam tunc Pagetus, & Collierſius, legatique Cæſaris honeſta poſtulanti aderant,

Mau-

Maurocordatus nanque, collato prius ſermone cum Eſfendo, elate ad omnia ferociterque, *Zuonigradum*, reſpondit, *ſe ignorare ubi & quale ſit: dubitare, ad quos pertineat regio inter Neſtum & Naronam: certum utique eſſe, non pati tenere Venetum loca, veluti compedes futura Epidaurioruum, qui ſub tutela regis Turcarum eſſent, eique annuum tributum darent*. Adjecit ad extremum, *in eo facere impotenter Venetum, quod quæ poſſideat in Illyrico, continuari velit cum Albania*. Ita nullo cum fructu diſceſſum ab colloquio eſt. Ubi vero dies VI Kal. Febr. advenit, prima luce editus ex arce Petro-Varadini & Tauruni fragor tormentorum pacis eadem die conficiendæ index fuit. Nec mora, cum in unum conveniſſent legati, uno Ruzino excepto; peracta ritu ſolemni res: conſignatæque publicis tabulis pactiones. Pudor erat, ex communi bello expertem pacis Venetum eſſe, qui annos quindecim urgendis Turcis terra marique, fœderatis tantopere profuiſſet. Ob id, Polono & pacificatoribus adhibitis, conſilium ab Germanis initum ex tempore, ut ipſi pro illo paciſcerentur; præſtituto ſpatio triginta dierum, intra quod de condicionibus, quas deſcribebant, peragendis voluntatem acciperent Senatus. Earum exemplum alterum illico ad Cæſarem mittunt; alterum tradunt Ruzino; addentes: *quando hactenus ipſe expertus quidlibet fruſtra eſſet, conatos ſe controverſias componere. Et, ut in iis anguſtiis, non una utilia impetraſſe: nam & ceſſiſſe Turcas Ægina inſula, & tributum pro Zacyntho remiſiſſe: cautum quoque, ne locorum cis Naronam ambigua poſſeſſio Veneto foret. Si, ut ſpes erat, ſenatus, quæ ipſi ſtatuiſſent, confirmaret; condicionum tabulas ad Pagetum & Collierſium intra dies triginta curaret perferendas Taurunum: ſin abnueret; dari ſemeſtre ſpatium, quo per oratorem ſuum Viennæ diſceptaret cum legato, quem eo deſtinaturus eſſet rex Turcarum. Ceterum coactos ſe duo adjicere: ut interea eſſent induciæ: utque, niſi de pace ſtato tempore conveniret, conſuleret ſibi per ſe Venetus*. Hæ autem erant condiciones: *ut porro Venetus poſſi-*

1699.

Abnuit præfracte Maurocordatus.

VI Kal. Febr. pax conficitur, excluſis Venetis;

pro quibus Germani & Polonus paciſcuntur.

Tradunt Ruzino ſcriptas condiciones;

addentes minus conſona fidei ſociali.

Condiciones.

1699. *poſſideret omnem Peloponneſum , cujus termini mare & veſtigia muri olim Iſthmum claudentis eſſent ; itemque Æginam inſulam : uti continentem Græciam , ſicut ante bellum , Turca obtineret ; itaque Venetus præſidium deduceret Naupacto ; Antirrhium & Nicopolin everteret : ut ſinubus duobus Saronico & Corinthio Turca & Venetus communiter uterentur : Leucas & Leucadia inſula cum aditu pontis , quo jungitur continenti , Venetorum uti eſſent : ne quod jus eſſet Venetis exigendi tributum ex inſulis Ægæi maris ; neve quod vectigal pro Zacyntho Turcis ipſi penderent : in Illyrico Tinninium , Singum , Citclutum Veneti retinerent ; utque in poſterum cauſæ tollerentur turbandi fines , rectus limes figeretur ab Tinninio ad Verliccam , inde ad Singum , ab Singo ad Duare , ab Duare ad Vergoratium , ab hoc ad Citclutum ; haberetque Venetus omnia inter limitem eum & mare : uti arcibus his ſingulis , quæ terras ſpectarent Turcarum , tantum agri tribueretur , quantum poſſet hora itinere circumiri : ut Tinninii ager vergeret in Croatiam , proximeque attingeret fines Germanorum ; quod tamen fraudi non eſſet neque Germanis , neque Turcis , terminantibus ibidem regiones ſuas : ut ne quid ab terris Turcarum divideret Epidaurios : Rhyzinium & Caſtrum Novum , cum agro utrumque ſuo , Venetorum uti eſſent : ut quos rex Turcarum & ſenatus Venetus mitterent ad fines pangendos , ii proximo æquinoctio verno rem aggrederentur : uti latrones & exules exigerentur utrinque : bello capti invicem redderentur : liberum uti foret arces , quas uterque poſſiderent in finibus , reficere ac munire ; novas condendi jus ne eſſet : quas everſas traderet Venetus , eas Turca ne reſtitueret : ut religionis , negotiationis , libertatis , permutationis captivorum , leges , quæ alias , eædem valerent : ſi hæc probarentur ſenatui , uti pax duraret in id ſpatium annorum , quod in pace firmanda conſtitueretur .* Patres

Senatus adprobat. jam tum providentes , quo evaſura eſſet res , cum Cæſar ab cupiditate pacis , fere quidquid poſceret hoſtis , concedebat ; tametſi erant momenti permagni , quæ in Illyrico adverſus formulam *ut poſſidetis* remittebantur Turcis , in quod facultatem prorſus nullam fecerant Ruzino : tamen tempore tali ne paulum quidem addubitaverunt

runt quin allatas condiciones confirmarent. Itaque fit 1699.
ſ.c. ut rata haberentur, quæ pro Venetis pacta eſſent. Ubi Valerius Princeps litera ſua condicionibus ſubſcripſit: hæ ad Ruzinum opperientem Petro-Varadini juſſa Senatus, inde per Nicoloſium ad pacificatores Taurunum miſſæ ſunt; relatæque in publicas tabulas. Paucos poſt dies cum pariter rex Turcarum Hadrianopoli manu ſua teſtatas dediſſet: a principe Viſiriorum ad pacificatores, ab his ad Ruzinum, illinc Venetias ad Senatum pervenere.

Inde rex Turcarum

Ita pace ſancita utrinque; nulla cura fuit ante eam, ut Deo O. M. largienti bona omnia tribuerentur honores debiti. Quare Principem ſecuti, in templum D. Marci frequentes iere patres, affluente ſimul magna populi multitudine: ibique ad aram B. Mariæ Virginis ſupplicaverunt.

Venetiis honos Deo habetur pro pace.

Continuo Laurentium Superantium legatum extra ordinem deſtinant ad regem Turcarum: Joannem autem Grimanum præficiunt finibus determinandis.

Laur. Superantius legatus deſtinatur ad regem Turcarum.

Hic exitus fuit belli Turcici octavi; quod duæ præſertim res fecerunt memorabile. Nam & moverunt ultro Veneti, ad alia ſemper laceſſiti: & partem illorum, quæ Turca per nefas ademerat, recuperarunt. Medio in curſu depoſitum eſt; datumque hoſti ſpatium ad reſpirandum. Quod ſi, ſublatis jam certaminibus inter Chriſtianos populos, queis Cæſaris diſtinebantur vires, fœderati ſinguli urgere perculſum inſtitiſſent; ad quod, quamvis impendio magno ſtaret bellum, Senatui tamen Veneto ſuperabat animus: certa erat ſpes, qui antea ſemper terruiſſet, ei tandem aliquando futuros in perpetuum terribiles ipſos. Leges, in quas Germani pepigerant, fuere: *uti Tranſylvania, intra antiquos terminos, Cæſaris eſſet: Temeſvariæ agrum, & ipſum finibus ſuis circumſcriptum, ut Turca haberet: uti Karanſebes, Lugas, Lippa, Genadium, cæteraque circa arces, inter Maruſium Iſtrum & Tibiſcum flumina, everterentur ab Germanis, neve reſtituerentur ab Turcis: navigatio per Maruſium & Tibiſcum libera utriſque ut eſſet: ut regionem cis Tibiſcum, inter hunc*

Condiciones pacis inter Cæſarem & Turcas.

1699. *atque Iſtrum, Caſar obtineret: uti ab extrema ripa Tibiſci uſque ad Iſtri ripam, itemque ab ripa Tibiſci uſque ad ripam Bacuntii amnis, ubi is Savo incidit, recta regione limites figerentur; ac quidquid trans eos limites Taurunum verſus eſſet, pertineret ad Turcam, cis ad Caſarem: ut partem Savi, ab faucibus Bacuntii uſque ad fauces Vana, hinc Cæſar poſſideret, hinc Turca: terris uſque ad Vanam, Boſnam verſus, uti decederet Caſar; qui tamen Caſtanovitium, inſulaſque ad pagum Novi Savum verſus, ripas quoque inferiores Vanæ, & loca ultra Vanam, quæ ante bellum ſub ditione ejus fuiſſent, retineret: neutri jus uti eſſet in finibus extremis arces novas condendi: ut incurſiones, injuriæque inter finitimos utrinque tollerentur; neve ſeditioſi ac rebellantes foverentur, reciperenturve: qui tamen ex Pannonia & ex Tranſylvania in Turcarum terras jam migraſſent, ii ut ibi tuto conſiſterent: uti redderentur invicem captivi: tum ut, quæ alias cum regibus Turcarum pacta fuiſſent, de non impediendo cultu religionis Chriſtianæ, recte obſervarentur: de facultate autem facienda Chriſtianis ut peregrinarentur ad loca Sancta Hieroſolymorum, ſermo rejiceretur in id tempus, quo legatus Caſaris veniret ad Muſtapham regem: liberum uti eſſet commercium; haberenturque apud Turcas jure eodem gentes ſubjecta Caſari, quo aliæ amicæ eorum: ut legatum deſtinaret uterque ad alterum; qui Junio menſe convenirent Sirmium, & ab rege uterque ſuo apta dignitati ipſorum dona ferrent: uti exinde legati, quos Caſar ad regem Turcarum mitteret, veſtibus, quibus liberet, uterentur: ut iis, quos legarent ad fines ſtatuendos, proximum æquinoctium vernum initium ſtatuendi foret: intra dies triginta leges has comprobaret Caſar & rex Turcarum: induciæ ut tenerent quinque & viginti annorum; quas proferre quocunque tempore liceret.* His aſſenſus Cæſar legatum dicit ad regem Turcarum Ottinganum; Marſilium autem finibus deſcribendis præponit. Lætum quidem Viennæ fuit, quod ceſſatum ab armis eſſet: at cum per eos ferme dies vita exceſſiſſet Kinskius, præcipuus auctor finiendi utcunque belli; non defuerunt qui verterent in religionem, tanquam

quam factum ira Dei, ne diu ferret impune conſilium, 1699.
quo magnam Chriſtianorum opportunitatem adverſus communem hoſtem corrupiſſet. Cum Polonis in has *Inter Turcas & Polonos.*
condiciones pax convenerat: *qui fines regnorum fuiſſent ante duo poſtrema bella, iidem in poſterum uti ſervarentur: ut decederet Polonus locis, quæ occuparat in Moldavia: Turca Cameneciam, quo ſtatu tunc eſſet, ut traderent, abdicarentque jus, quod ſibi eſſe dicerent, in Podoliam & Ucraniam: ne Turcæ ac Tartari Polanos aut terras Polonorum infeſtarent; neve hi Turcas & Tartaros terraſve Turcarum & Tartarorum: Catholicis ſacerdotibus ne uſus templorum ſuorum turbaretur: commercium inter gentem utramque liberum ut eſſet; utque de captivis eadem valerent, quæ poſt alia bella pepigiſſent: pax perpetua uti maneret inter regem Turcarum, & Polonos.* Perlati Varſoviam nuncii pacis gaudio ingenti regnum implevere. Cum levatos ſe oneribus belli, quod propter inteſtina diſſidia populorum, & prava principum certamina vix tolerabile erat; tum recepta Camenecia lætabantur, quæ nonniſi difficili ac diutina obſidione expugnari potuiſſet. Deſtinatus illico Conſtantinopolin Stanislaus Rzevvskius, Chelmenſis præfectus, ad pacem ultro citroque confirmandam. Et traduntur paulo poſt a Polonis *Poloni cedunt Moldavia.*
arces Moldaviæ. Turca octo tantum poſt menſibus Camenecia deceſſit. Ibi, effoſſis cadaveribus Turcarum, *Turca Camenecia.*
repurgata templa, honoſque Deo redditus; ad diei celebritatem magno ordinum omnium concurſu undique facto. Moſchi in præſens nihil ultra pepigerunt, quam *ut annorum duorum induciæ eſſent cum Turcis: ubi legatus Petri regis Conſtantinopolin veniſſet, tum ut proferretur tempus induciarum, aut pax in perpetuum fieret.* *Leges pacis cum Moſchis.*
Ac legati quidem duo prope confeſtim Moſcua miſſi Conſtantinopolin: ſed impedita adeo fuit diſceptatio, ut nonniſi tertio poſt anno in has condiciones conſentirent: *ut inter Moſchorum & Turcarum reges tenerent induciæ in annos triginta: ut urbes quatuor ad Boryſthenem fluvium, Tavan, Karichermen, Jaſincharmen, & Nuſtritchermen vocant, everterentur; neve reſti-*

1699. *reſtitui in poſterum poſſent; ager autem earum omnis cederet Turcis: ut commodo mercatorum, modico inde intervallo, liceret vicum conſtruere, muro circumdato: Moſchus ut poſſideret porro regionem uſque ad oppidum Acciarof, id quoque ad Boryſthenem ſitum; tum Tanaim urbem, arceſque, agrumque, ac portus ejus retineret; & , quod hac ad lævam careret agro, tantum agri ut tribueretur, quantum equus duodecim horis percurreret: qui demandatam curam haberent finium regundorum, ut Cuban verſus terminos ſtatuerent: Moſchis, & Turcis communis piſcatus uti eſſet uſque ad portum Tanais: ut Tartaris Cremenſibus facultas fieret agendi armenta in paſcua extra Pracopenſes fines: ut qui ſub imperio aut tutela Moſchorum degerent, præſertim Coſacci, ab omni injuria abſtinerent adverſus Turcas; neve Euxini Ponti navigationem redderent infeſtam: Tartari item, ſociaque alia gentes Turcarum, ne Moſchis graves re ulla forent: ne rex Moſchorum vectigal ullum Tartaris exinde penderet: captivi ut permutarentur; commerciumque liberum utrinque uti eſſet: ne quod vectigal exigeretur a Moſchis Hieroſolymam petentibus religionis cauſa: uti legati Moſchorum Conſtantinopoli eſſent eodem jure, quo legati aliorum Europæ regum; utque naves Moſchorum mercatorum libere trajicerent ex Ægæo mari in Euxinum Pontum: ut legatio apparate inſtructa intra ſex menſes ab rege Moſchorum decerneretur ad pacta hæc ab rege Turcarum confirmata accipienda*. Compoſitis legibus inter fœderatos alios & Turcam; ventum inde ad fines determinandos: quæ res negotii haud parum Venetis exhibuit. Præter omnium opinionem orta primum ab Cæſare moleſtia eſt. Stato tempore in Illyricum convenerant Joannes Grimanus ab Venetis, ab Turcis Oſmannes Aga: aberantque illinc non procul Marſilius & Heibrahimus, a Cæſare ac rege Turcarum miſſi ad conſtituendum una cum illis locum, qui communis Croatiæ, Illyrici, & Boſnæ terminus eſſet. Neceſſaria videbatur manus aliqua armatorum, ut continerentur populi, qui extrema colunt regionum earum; ſi forte cauſa finium ponendorum turbarent aliquid.

Excipit finium conſtitutio.

Ab Cæſare naſcitur moleſtia Venetis.

quid. Militem propterea contrahentibus cæteris; ad idem præfectus etiam Cæſaris in Japidibus, Antonius Coroninus, comparare credebatur. Alio tamen hic ſpectabat. Nam collectis peditibus amplius mille, equitibus ad quadringentos, ſilenti agmine ad Zuonigradum accedit; quam arcem undecim ante annis ceperat Cornelius. Mirari primo præfectus Venetus; nec ſatis putare commiſſurum quidquam hoſtiliter Germanum. Ubi is ſubibat propius; timuit quidem ne vis pararetur: at non auſus ut contra hoſtem agere, tormentis tribus admoveri ignem jubet, ut militari exploraret more, amicuſne an oppugnaturus adventaret. Quietus Coroninus obtendere amicitiæ fidem, intromiſſis interim aliquot ſuorum, tanquam cum præfecto collocuturis. Hos ſecuti protinus alii portam capiunt. Tum, ut in tumultu ſubito, & copiis haudquaquam paribus, nullo certamine coactus Venetus arce exire; profitente Coronino, facere ſe juſſum ab Cæſare. Haud difficile erat Mocenico legato occupatam dolo arcem armis extemplo recipere. Sed viſum id majus, quam ut fieret Senatu inconſulto. Offendit res pergraviter patres. Et ut Cæſar arbitraretur arcem ad ſe pertinere: tamen inſolens omnino videbatur, fraude, quam diſceptatione juris habere maluiſſe. Nihilominus quidlibet potius tentandum rati ſunt, quam ut vis adhibita amicitiam multis partam meritis ſibi ab eo dijungeret. Placuit ergo Lauredanum Viennæ de injuria expoſtulare, arcemque repetere. Veruntamen futurum longe aliter ac fas flagitabat, apparuit initio ſtatim. Conſiliarii nanque Cæſaris Lauredanum aggreſſi, acriter inſtabant interrogantes: *quonam jure Venetus ultra Tedanium amnem protuliſſet provinciam? Legi in fœdere contra Turcas nominatim cautum, ut duntaxat in Illyrico gereret bellum: Zuonigradum vero, ſitum cis Tedanium, extra Illyricum eſſe, quod ad Occidentem hoc flumine terminetur.* Ad ea Lauredanus non diffiteri quidem hoc eſſe in fœdere; at, quod in condicionibus pacis ad Rittium per Germanos ipſos compoſitum fuerat,

1699.

Germani fraude occupant Zuonigradum;

quod Viennæ repetitur a Venetis.

Negant miniſtri, vana commenti de finibus Illyrici.

1699. opponere: *ut Tininii ager vergeret in Croatiam, proximeque attingeret fines Cæſaris. Si probatiſſimus quiſque deſcriptor terrarum adhiberetur teſtis, ex numero etiam Germanorum; longitudinem Illyrici non ab Tedanio, ſed ab Arſia flumine in Hiſtris ad Drilonem uſque fluvium protendi, latitudinem autem ab Croatia & Boſna ad Adriaticum mare. Quod ſi cauſa Venetorum his non niteretur; attamen, quod ipſi primum viam aperuiſſent ad regionem Turcico ſervitio liberandam, æquum profecto eſſe, præmium belli Zuonigradum eoſdem habere.* Lenius agebat Cæſar. Nam, *prorſus ſibi non probari factum*, affirmabat: *magni ducere ſe ſe Venetos; velleque eis omni tempore amicum eſſe: rem tamen expendi prius in concilio oportere: quippe non pati dignitatem ſuam, arcem vixdum ablatam temere reſtitui.* Cognitio erat non multi negotii; juſque haud dubie pro Venetis ſtabat: eo ſpem ceperat Lauredanus, fore ut propediem Cæſar contra ſe ſtatueret. Sed quæſita opera, dilata primum dies aliquot conſultatio eſt. Deinde non ſatis conſtare miniſtrorum ſententia. Modo Viennæ cum oratore Veneto, modo in Illyrico inter Grimanum & Marſilium placebat diſceptari: tum eo inclinari animos ſubobſcure ſignificabant, ut, deducto præſidio, arcem vacuam relinquerent, donec decerneretur, utrius intra fines eſſet. Interea Marſilius, id quod erat, patefacit Grimano, cauſas objicienti cur in finibus determinandis Zuonigradum Veneto adjudicandum eſſet. *Habere enim ſe in mandatis*, non diſſimulavit, *ut adſcriberet utique Cæſari arcem eam; agrique, quantum ſatis videretur, daret.* Ille, poſtquam ſedulo obſiſtendo minus proficiebat; ad extremum negare ſe rei, quam probare neutiquam poſſet, interfuturum. At Marſilius nihil propterea ab perficiendo conſilio retardatus, una cum Heibrahimo, inſpecto loco ad Tedanii fontes, certum agrum ablatum Venetis ad arbitrium ſuum tribuit Zuonigrado. Tum Oſmanne quoque aſſumpto, montem (Bellobarbo nomen eſt) conſcendit, imminentem regioni, quæ Tedanium interjacet, Titiumque, ut inde communem terminum

Refellit Lauredanus.

Tergiverſatur Cæſar.

Juſſus Marſilius, arcem agrũque illi adjudicat.

Montẽ Bellobarbo conſcendunt legati.

num poneret. Haud viſum Grimano id etiam agi ſe abſente; ut qui intelligeret, minus damni eſſe, ſi præberet ſpeciem concedentis amicitiæ ſtudio, quam ſi committeret, ut coram Turcis inſigne fieret diſſidium inter Cæſarem & Venetos. Ergo jam antea profeſſus, ſe haudquaquam aſſentiri, quidquid cum detrimento Venetorum ſtatueretur; eodem venit expectatus. Ibi Marſilius converſus ad ſeptentriones; *hinc*, inquit, regionem deſignans Vanam fluvium verſus, *rectus eſto limes terras Cæſaris finiens*: poſtea ad auſtrum: *limes rectus eſto hinc*, ait, *ad Tinninium, quo terræ Venetorum claudantur: regionem utrinque ultra limites hos ad Orientem Ottomanni habento*. Continuo lapidem quiſque jacit: itidemque jacientes, qui comitabantur, tumulos tres in proximo effecerunt, monumentum rei. Ita Zuonigradum ademptum Venetis; quod, poſtmodo his ſæpius repoſcentibus, Germani ſpe ducentes, eludenteſque, nihilominus retinuerunt. Inde Marſilius & Heibrahimus, Grimanus & Oſmannes diverſi abeunt ad fines alibi componendos. Ac Marſilius quidem, præterquamquod de pago Novi perſuadere nequiit Heibrahimo, (hunc pagum triennio poſt, ſuadente Pageto, evertit Cæſar, agrumque ejus reſtituit Turcis) nullo fere certamine cuncta peregit. At Grimanum diſceptatio tenuit longa & moleſta cum Oſmanne. Dum is alia atque alia conatur ad ſe vertere, ac etiam parva quæque nihilque ambigua vocat in contentionem, rixaturque procaciter; biennium conſumpſere. Arcibus inter montem Bellobarbo & Naronam fluvium, qua vergunt in terras Turcarum, ſpatium anguſtum agri, ſemicirculi forma, datum. Trans Naronam pars Zaſabiæ attributa Veneto, quæ non plus quindecim millia paſſuum in longitudinem excurreret. Reliquum regionis ejus, Popovum quoque & Tribunium intercepta, ne quid divideret Epidaurios ab Turcis. Altercatio inde multo aſperior exorta de agro Caſtri Novi; quem bene amplum conſtabat eſſe, perexiguum autem aſſignabat Oſmannes: poſtmodum

de

1699.

Illinc Marſilius fines conſtituit imperiorũ.

De finibus alibi facile convenit Marſilio cũ Turcis.

Diſceptatio difficilis Grimani cũ Oſmanne in Illyrico:

1699. de Clobucho arce, quam idem repetebat; cum tamen, ſi legibus pacis recte ſtaretur, poſſeſſio ejus eſſet Venetorum minime anceps. Poſteaquam pertinaciter in utroque obtinendo tendebat Turca; viſum Senatui concedere, ut controverſiis tandem exitus imponeretur. In Græcia per Hieronymum Delphinum equitem, præfectum claſſis, atque Iſmaelem Baſſam Eubœæ, & Oſmannem, labore nullo conficitur negotium. Peloponneſo primum conſtituunt fines, muri veſtigia in faucibus Iſthmi, & mare. Deinde Nicopolis & Antirrhium, militari inſtrumento avecto, everſa ſunt. Quod autem Nicopolis incolæ recuſarent ſubeſſe imperio Turcarum; tralatis in Leucadiam inſulam (hujus terminum convenit eſſe pontis aditum, quo Leucas continenti adhæret) ager ibidem viritim diſtributus. Poſtremo, deducto præſidio, aſportatiſque tormentis, & bellico apparatu alio, traditur Naupactus. Hujus quoque habitatores, fruſtra Turcis conantibus retinere, maluerunt migrare alio. In Peloponneſo data ab Veneto ſedes; terræque deſcriptæ, unde alerentur. Inter hæc Laurentius Superantius Conſtantinopolin pervenerat, exceptus cum omni honore. A principe Viſſiriorum delectus Effendus, ut cum eo ageret de antiquis condicionibus pacis, quarum in conventu legatorum ad Rittium facta erat mentio. Placuerat ibi, ut ſupra eſt dictum, quæ de religione, negotiatione, libertate, permutandis captivis, alias ſancitæ leges eſſent, eaſdem ſervari. At, dum iniquiora quædam Turca inſerit, Superantius autem obnixe adverſatur, menſes haud minus ſexdecim præterierunt. Demum pervicit Venetus, ut novis pactionibus antiquæ verbis iiſdem ipſis adjicerentur. Tum rex ſolemniter conventa confirmavit, juratus, *perpetuitatem pacis cum Principe & Civitate Venetorum eandem, qua & imperii ſui, fore*. Venetiis hoc anno excitata lex eſt, quæ prope interciderat vetuſtate, latiuſque prorogata vis ejus. Occaſionem præbuit Vincentius Grimanus, qui contra patrias leges ſe miniſtrum addixerat externo Principi; eoque adni-

quam tollit ſenatus concedendo.

In Græcia rem facile conficit Delphinus.

Superãtius agit Conſtãtinopoli cum Effendo de condicionibus antiquis.

Tenet propoſitum.

Rex jurejurando pacẽ confirmat.

Cardinalis Grimanus præbet can-

adnitente, quemadmodum alibi eſt narratum, & Cardinalis creatus fuerat, & tandem ab Senatu veniam impetrarat. Sive hoc unum ſpectans Franciſcus Michaelius eques, ſeu alia quoque ad normam inſtituti antiqui redacturus, quæ viderentur aberrare; in Senatu vehementer inſectatus eſt tanquam morem peſſimum, impune progredientem, ut Veneti cives privatæ utilitatis cauſa operam navarent exteris Principibus: quæ cupiditas & ipſos & conſanguineos eorum averteret a patriæ caritate. *Scire ſe ſe*, ajebat, *conditas in id a majoribus leges. Ergo Sexviri diligenter eas exquirerent, & proferrent. Si quidem ſatis illa conſulerent; recte ſervarentur: ſin autem ſufficerent minus; adderentur, quæ licentiam iſtiuſmodi, in damnum magnum aliquod, ni in tempore obviam iretur, erupturam cohiberent*. Viſi Sexviri, quanquam dudum ſe in hanc curam incumbere affirmarant, ſed tamen cunctanter agere. Quare aliquot poſt diebus, dum illos acrius incitat Michaelius idem, effecit ut ab Senatu negotium daretur IIIviris Advocatis reip. qui tunc in magiſtratu erant, & qui proxime magiſtratum eundem geſſerant, ut quamprimum ordine exponerent, quidquid tali de re majores ſtatuiſſent. Inſpectis diligenter monumentis; memoriam ſupra quadringenteſimum annum repetentes IIIviri, inter alia docuerunt: *ex quo cœpiſſent cives ab Romanis Pontificibus allici opimis ſplendidiſque ſacerdotiis, fuiſſe leges latas, varie caventes pro temporibus ne publice id noceret: tum ab annis jam inde centum quinquaginta agitatum, an qui aut pater, aut frater, aut filius, aut gener eſſet Cardinalis, vel Epiſcopi, qui abſens regeret Eccleſiam ſuam, is ordine Sexvirum, & Quinquevirum ſenatu regendo intercludendus foret?* Tamdiu nihil fuerat deliberatum, ſeu quia timeret invidiam, qui ad Senatum referret; ſeu quia nihil inde detrimenti cepiſſet reſp. Magnopere tunc movebat exemplum Grimani recens, tum crebræ legationes, quas pro Romano Pontifice obirent Veneti patricii. Itaque cum plurimi putarent occurrendum; ejuſque ſententiæ indicia minime obſcura fie-

Margin: 1699.

Jam nova legi condenda.

adverſus cives navantes operam Principibus externis;

& conſanguineos ſacerdotia obtinentium.

1699. fierent Sexviris Quinquevirisque: ferre legem non ultra diſtulerunt. Ingenti certamine & in Senatu & in comitiis majoribus acta res eſt. Ad extremum magno con-

Lex perfertur.

ſenſu legem juſſere: *qui ſacerdotia haberent, itidemque conſanguinei eorum, ut omnino arcerentur ab iis, quæ in ſenatu diſceptarentur ad Pontificem Romanum pertinentia: ne quis Venetus civis a ſecretis ſenatus eſſet, neve in ordinem ſcribarum Principis reciperetur, cujus avus paternus, aut frater hujus, pater, fraterve, filius, patruus, ex filio nepos, aut fratris filius, ſacerdotia poſſideret; ſi horum aliquis tunc poſſideat, ſemeſtre ſpatium daretur ad dimittendum; ni dimiſerit, privaretur munere, quo vel in ſenatu, vel inter ſcribas Principis fungeretur: ne Venetus patricius Principi externo impenderet operam ſuam: neve per eum a Pontifice Romano ſacerdotia impetraret: ne, qui certos magiſtratus adminiſtrarent, aut ipſi, aut conſanguinei eorum in primo ac ſecundo gradu, oblata a Pontifice Romano ſacerdotia tituloſve acciperent, niſi anno exacto poſt geſtum magiſtratum: ut conſanguinei ſacerdotia poſſidentium, neque Sexviri, neque Quinqueviri ſenatu regendo, neque Triumviri Advocati reip. crearentur, neve præficerentur aquis curandis: ſi Venetus patricius legationem pro Romano Pontifice ad reges Principeſve alios ſuſciperet, ut avo ejus paterno, patri, patruo, filiis, fratribus, ac nepotibus, filiiſve fratris, aditus ne pateret ad ſecreta conſilia, non per legationem ſolum, ſed etiam per triennium ab legatione: ut pœnis graviſſimis afficerentur qui ſecus feciſſent; lex autem quovis tempore inviolata ſervaretur*.

Fert graviter Pōtifex.

Paſſus moleſte Innocentius Pontifex: nec abſtinuit querela cum Petro Ottobono Cardinali primum, mox cum Nicolao Eritio equite, oratore ad eum Veneto.

Obviam it Card. Ottobonus, & Eritius or.

Sed defendebat uterque: *nihil novi conſtituiſſe patres; legem, quæ antiquitate exoleviſſet, reſtitutam: hanc minime obſtare, quo minus cives Veneti ſe ſacris dicarent, Romanæque Eccleſiæ tribuerent operam ſuam: provideri unice, ut qui accederent ad remp. ſe conformarent ad patria leges, atque inſtituta majorum; ad illa maxime, quæ communem civitatis libertatem continerent*. Et viſus Pontifex ferre mitius; ut ea de

re

re ſilentium inde eſſet. Inſequenti anno obiit Silveſter Valerius Princeps, ultima ſtirps familiæ ſuæ; magna prudentia & ſpectata pietate in Deum ac patriam. Moriens etiam animum eundem declaravit. Multa nanque legavit templis & pauperibus, multa compluribus civium ſuorum, Civitati autem quinquaginta millia argenteorum nummum. Virtutis ergo patres decreverunt, ut III. Non. Quinct. qua die e vivis exceſſerat, in templo D. Marci anniverſario funere honoraretur memoria ejus in futurum tempus omne. Sufficitur Aloyſius Mocenicus, ſenator: quem ad claritatem generis, unde Principes quatuor extiterant, magiſtratus quoque complures domi foriſque optime geſti faciebant loco ſupremo dignum. Eodem anno decedit Innocentius XII. ætatis anno quinto ſupra octogeſimum; Pontifex probitate & conſilio in præcipuis celebrandus. Ut cætera ſileantur facta & decreta habitura perennem laudem: tum Conſtitutionem condidit, qua regnantium Pontificum conſanguineis dominatum ademit, & abolevit in perpetuum; tum ſanctione vetavit venalia eſſe munera & magiſtratus, Clericos Cameræ, Ærarii præfectos, Auditores, Præſides; quique pro his pecunias dediſſent, iis pecunias reſtituit: aditus ut illuc unus merita forent. V. Kal. Octobr. mortuus eſt. IX. Kal. Decemb. hominum expectatione maturius, ſucceſſorem Cardinales creaverunt Jo. Franciſcum Albanum Urbinatem, qui Clemens XI. eſt appellatus; doctrina virum plurima & prudentia, viſum accommodatum temporibus, quæ mox incidere undique aſpera. A vita enim diſceſſerat Kal. Novembr. Carolus Secundus rex Hiſpaniarum, ut facile appareret inſtare bellum, quo Europa miſceretur univerſa. Cum Bavarici Electoris filius, quem Carolus, ut ſupra indicatum eſt, regni ſcripſerat hæredem, duobus poſt menſibus deſideratus eſſet: Galli, Britannique, & Belgæ, cauſam prætendentes avertendi belli, novam regnorum Hiſpaniæ jam commenti Partitionem erant: *ut, ſi Carolus ſine liberis extingueretur, cederent Delphino, fi-*

1700.

Moritur Princeps Valerius.

Aloyſ. Mocenicus ſuccedit.

Innoc. XII. obit. Elogiū ejus.

Surrogatur Clemens XI.

Nova Partitio regn. Hiſpaniæ.

Digitized by Google

1700. *lio Galliæ regis, quæ biennio ante ei aſſignarant, præterea vero Lotharingia: Duci Lotharingio, Mediolani Provincia pro Lotharingia ut daretur: Hiſpania autem, tum quæ reliqua Carolus in Europa, quæque extra Europam poſſideret omnia, uti ad Carolum Archiducem Auſtriæ, Leopoldi Cæſaris filium natu minorem, pervenirent: ut Cæſari tempus trium menſium præfiniretur, intra quod indicaret voluntatem ſuam: ſi condicionem detrectaret, tum ut deliberarent ipſi inter ſe de integro, quemnam alium æquum eſſet habere, quæ Carolo Archiduci tribuebantur: quicunque Partitioni huic obſiſteret, eum pro communi hoſte ut ducerent, & conjunctis viribus bello perſequerentur.* Haud diſcernebat, quin Britanni & Belgæ conſtituiſſent ex animo; ut quibus cavendum valde eſſet, ne acceſſione regnorum omnium Hiſpaniæ, immodica fieret potentia Auſtriæ aut Borboniæ gentis. Ac plus quidem aliquanto, quam ſibi undique arbitrarentur tutum, creſcere cernebant Auſtrios vel unis illis, quæ Partitio adjiciebat. Minus tamen inde eſſe videbatur periculi, quam ſi Hiſpaniam tenerent Galli; quos pollentes claſſibus timere poterant, ne detrimento eſſent negotiationi maritimæ, qua præſertim opes ſuæ nitebantur. At quæ ſecuta ſunt, viſa oſtendere, regem Galliæ ſpectaſſe longe aliud, quam quod ageret. Cum enim putaret, hæreditatem univerſam pertinere ad Delphinum filium ſuum, prognatum ex *Maria Thereſia*, ſorore Caroli; vereretur autem, ne hic ſucceſſorem ſibi faceret ex eadem gente Auſtria, filium Cæſaris: ſatis creditur objeciſſe metum iſtiuſmodi, quo mallet Delphinum unum hæredem dicere, quam pati nobiliſſimum regnum, maximumque in terris, divelli in partes, & tanquam corpus pluribus ſimul lacerantibus, membratim diſcerpi. Utcunque res fuerit; condiciones Partitionis deſcriptas ad oratorem ſuum ſtatim miſit Venetias: qui dum traderet patribus, moderationem ejus extulit oratione prolixa; quod cum Delphinus minime ambiguum jus haberet in Hiſpaniarum regna cuncta, tamen tantula parte contentus eſſet, ne quid Europæ turbaret otium. *Exiſtimare*, adjecit,

In ea conſilium Britannorum & Belgarum:

regis Galliæ.

Qui Partitionis exemplar mittit ad ſenatū.

jecit, *eundem, ſi Carolum II. vita deficiat, Civitatem, juſtæ* 1700.
*cauſæ ſemper faventem probaturam condiciones; ac, ut ſerven-
tur, adjuturam etiam.* Ad hæc patres, *gratum feciſſe regem,*
reſponderunt, *qui rem eam ſcire ſenatum voluiſſet: laudare re-* *Animus pa-*
gium animum, communis tranquillitatis curam utilitatibus antefe- *trum ea de*
rentem ſuis: maximopere optare diuturnam Carolo II. vitam; tum *re.*
*ut concordia eſſet inter reges, atque ut populi omnes uſque frue-
rentur bono pacis.* Eadem Pariſiis regi ipſi per Aloyſium Pi-
ſanum oratorem ſuum, ac ſimilia his Viennæ Cæſari ſi-
gnificarunt per Lauredanum: cui ille paulo ante, mentio-
ne injecta ſucceſſionis in regna Hiſpaniæ, *paratum ſe,* aſ-
ſeverarat, *conſociare cum patribus conſilia, ut, quod impende-
ret bellum, ab Italia arcerent.* Cæterum, quod ita compo- *Vulgo male*
ſuiſſent inter ſe reges Galliæ Britanniæque, & Civitates *audit Par-*
Belgarum, credi vix poteſt, quanta ex eo ceperit ubivis *titio.*
gentium homines admiratio. Nullo exemplo factum vi-
debatur, ut de regnis alienis, regis amici, viventis & e-
juſdem inviti, privata ſententia ad libidinem ſuam exter-
ni Principes ſtatuerent. Cæſar cum ab Villarſio, Galliæ re- *Tegit dolo-*
gis extra ordinem legato, ſcriptas condiciones Partitionis *rem Cæſar.*
accepiſſet, quas intra finitum tempus probaret vel rejice-
ret; ægritudine animi in præſens diſſimulata, profitebatur
*ſtudioſum ſe pacis: ſi Carolus rex ſine liberis moreretur; quod ta-
men abeſſe procul ſponderet ætas; non recuſaturum quæ æqua &
ſalutaria proponerentur.* Spei multum collocabat in bene-
volentia cum Caroli ipſius, tum Mariæ Annæ uxoris, il-
li cariſſimæ, cujus ſororem habebat in matrimonio. Agit
